WIDENER LIBRARY
HX JVE6 Y

Digitized by Google

Microfilm

No Circulation Restrictions

Gift
of
PROFESSOR LEE ROBERT DICE, M.S.
Yale Professor of Research Zoology

Received Dec. 20, 1933

Frederic D. Allen.

Digitized by Google

Digitized by Google

HESIODI

THEOGONIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

HESIODI

THEOGONIA.

LIBRORUM MSS. ET VETERUM EDITIONUM

LECTIONIBUS COMMENTARIOQUE

INSTRUXIT

DAVID IACOBUS VAN LENNEP.

AMSTELODAMI,
APUD IOANNEM MUELLER.

MDCCCXLIII.

Digitized by Google

Gh 46.220

1897, Dec. 3.

From the Library of
Prof. C. S. Gilbert

TYPIS C. A. SPIN.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Cum ab ineunte aetate mea aliquot mensium quotannis in villa paterna rusticatio magno me vitae reique rusticae amore imbuisset, consequens fuit, ut, ex quo pariter literas amare, veteresque scriptores Graecos et Latinos, praesertim poëtas, in deliciis habere coepissem, lubentius semper me ad illos applicarem, qui vel agriculturae praecepta traderent, vel agricolarum pastorumve opera, studia, lusus, agrorumque et sylvarum amoenitates, praecipuum operis argumentum haberent. Itaque, ut Virgilii Georgica, eiusdem et Theocriti Bucolica, ex Horatianis etiam multa sic mihi placebant, ut eorum lectionis nulla me satietas caperet, ita in Hesiodeis fuerunt Opera et Dies, quae primum et potissimum me allicerent, maximeque me legentem oblectarent. Itaque post delatum mihi Graecas Latinasque literas in Illustri Amstelodamensi Athenaeo tradendi munus cum de auctore cogitarem, cuius editione procuranda bene de literis mererer, meque loco, quem obtinueram, haud plane indignum ostenderem, fuere item maxime Opera et Dies, quae me impellerent ad eligendum, quem ederem, Hesiodum. Ceterum accessit, quod animadvertisse mihi

Digitized by Google

videbar, Hesiodeorum nondum satis ex omni parte probabilem editionem exstare, Doctorumque Virorum adhibitam iis curam multa adhuc aliis praestanda reliquisse. Capto igitur novam eorum editionem comparandi consilio statim id egi, ut necessariis instruerer subsidiis, praesertim collatione Codicum MSS., satisque cito nactus sum minime contemnendum eius generis apparatum. Neque tamen ita factum est, ut possem cito quoque editionem absolvere. Namque primo, quo minus continenter operam in Hesiodo ponerem, variae deinceps obstiterunt causae, ut fuere pietatis officia mihi implenda in absolvendis editionibus Anthologiae Graecae Boschiana, Terentiani Mauri Santeniana, factaque interim a me semel iterumque Ovidianarum Heroidum editio; sed inprimis, quod occupatissimum me haberet demandatum mihi in Athenaeo munus, ubi per quadraginta annos soli mihi sine collega tradendae fuere Graecae Latinaeque literae et antiquitates cum historia tum populorum, tum artium ac doctrinarum; in quo negotio sic versandum esse mihi statui, ut eius praecipuam semper curam haberem, reliquis omnibus postpositis, quippe qui mallem in schola ac domi studiosae iuventuti prodesse, quam edendis in publicum scriptis famae meae foras consulere. Deinde, cum iam, aliquid otii subinde nactus, ad Hesiodum redibam, quo magis in eo progrediebar, eo magis tarde cauteque mihi progrediendum esse intellexi: qua de re iam pene persuasum mihi fuit, ex quo Ruhnkenii Epistolam Criticam, Heynii Commentationem de Theogonia, eiusdem et Wolfii Commentarium in eam legi. Nec fere postea prodiit alicuius viri docti, quod ad Hesiodum per-

Digitized by Google

tineret, scriptum, quin novum semper mihi scrupulum, quo tardarer, obiiceret; interdum etiam faceret, quo minus me tardiorem in vulganda editione fuisse poeniteret, qui iam uti possem etiam recentiorum Doctorum Virorum in Hesiodum curis, editione carminum eius a Goettlingio a. 1831, *censuraque huius editionis anno seq. ab Hermanno facta, tum et egregio opere Muetzellii* de emendatione Theogoniae Hesiodeae *edito a.* 1833. *Cum vero tandem aliquando mihi pro provincia, quam in Athenaeo sustinebam, alia in re publica obvenisset, plus mihi otii relinquens, eo statim usus sum otio ad continentius operam Hesiodo navandam, factumque est labore quinquennii, ut duntaxat in Theogoniam parata iam haberem ea, quibus vulgatis possem haud omnino male de dilecto mihi poëta Ascraeo meritus videri. Nam, tametsi per Opera et Dies mea ille primum in se studia converterat, perque ea mihi sic etiam commendatus homo fuerat, ut in hoc eius carmine lubentissime versarer, tamen haud una fuit causa, quae me impelleret, prius illa ut digererem et absolverem, quae super Theogonia adnotaveram. Scilicet pridem ea mihi sedit opinio, compositam esse ab Hesiodo Theogoniam ante Opera et Dies; deinde, cum provectior mea aetas faceret, ut iam sperare vix possem, fore, ut satis mihi otii vitaeque superesset ad absolvendam omnium Hesiodi carminum editionem, edendi initium mihi faciendum visum est ab eo poëtae carmine, quod nostra aetate Doctorum Virorum curas maxime advertit, ut, cum essent tot ab his prolatae variae de Theogonia sententiae, mea quoque iam in lucem emissa exstaret, quo fortasse ante obitum possem, qualis ea harum rerum peri-*

tis videretur, intelligere. Ea sententia ferme huc redit: rationes, quae Viros Doctos impulerint, ut Theogoniam, quae nunc exstat, variis locis vel interpolatam, vel conglutinatis variis eiusdem enunciati recensionibus deformatam, vel mancam et mutilam ad nos venisse statuerent, non tam certis argumentis niti, ut non possit contra cum aliqua veritatis specie disputari.

Scilicet esse in eo carmine multa minus concinna et parum apte disposita multasque otiosas repetitiones, ita demum, me iudice, certum interpolationis indicium haberi potest, si censendus est Hesiodus excultae iam ad aliquam perfectionem artis poëta. Atqui causa, cur talis ille censeatur, manifesto nulla apparet. Potius iusta suspicandi causa est, illo tempore, quo vixit Hesiodus, poëtas fere magis ingenio, quam arte valuisse, artemque poëticam longe tum adhuc a perfectione abfuisse. Neque me laudes movent, quas Hesiodo tum alii Veterum tribuerunt, tum disertius Quintilianus Inst. Or. X. I. 52. *Namque illae laudes non ad artem pertinent, sed ad lenitatem verborum et compositionis, quam a dispositione distinguit idem Quintilianus VIII. III.* 59. *Est autem artis, eiusque iam excultae, disponere, ut est item eius repetitiones effugere, quas rudioris adhuc et simplicioris aevi poëtae passim admittere non reformidant, ut docent etiam illorum exempla, qui apud recentiores Europae populos ante renatas literas rhythmica carmina composuerunt. Itaque, cum crebra in Theogonia eiusdem enunciati repetitio praecipue in causa fuerit, cur de variis in eo carmine recensionibus Viri Docti cogitarent, vereor, ut alterum ex altero colligi necessario debuerit.*

Neque, quod sunt versus in Theogonia, quales vel iidem vel similes apud Homerum exstant, statim semper ut interpolationis indicium agnoscendum mihi videtur. Primo, quis definiat, uter illos ab altero mutuatus sit, cum ipsis Veteribus incerta habita et controversa fuerit utriusque aetas? Deinde licitum, puto, fuit utrique sic alterum ab altero mutuari, vel utrumque ab antiquioribus mutuari versus, qui paullatim solemnes facti essent in re certa quasi formulae.

Possit fortasse quibusdam in locis recentioris operae ac proinde interpolationis certum satis indicium haberi (nec vero non habitum est) neglectum digamma, fateorque ultro, mihi quoque omnino rationem eius habendam videri in Hesiodeis; neque tamen ei rei tantum tribuo, ut propterea statim abiudicandos Hesiodo versus dicam, ubi neglectum appareat, cum possit, quo tempore et loco poëta ille vixit, minus iam constans fuisse observatio digammatis, ita ut liberum poëtis fuerit pro re nata vel usurpare digamma vel negligere. Qui sic statuebat, Wakefieldius, in Epistola quadam, ad C. I. Foxium scripta, non omnino temere monuit, similiter Italos modo ovo, *modo* uovo *usurpare, congruitque a me facta observatio similiter in carmine aliquo Maerlantii, Belgae rhythmici poëtae, qui saeculo XIII exeunte floruit, idem vocabulum,* ostream *significans, scriptum exstare modo* oester, *modo* hoester, *modo* woester.

Mancam ac mutilam ad nos pervenisse Theogoniam, sic demum admitterem, si citarentur a Veteribus ex eo carmine loci, nunc in eo non exstantes, vel adessent eorundem alia de ea re testimonia, quibus posset satis tuto fides tribui: qualia

mihi nondum se obtulerunt. Nam, quem locum ex Chrysippi quodam libro citat Galenus, neque Theogoniae, quam Grammatici Alexandrini agnoverunt, pars fuisse probatur, neque colorem habere mihi videtur Hesiodeum.

Ceterum supra dicta non sic accipi velim, quasi negem, esse nonnunquam in delata ad nos Theogonia certa satis interpolationis vel alĭus corruptelae indicia, aut repugnem, quo minus in aliis bene multis locis scrupuli adesse censeantur, ad quos offensus aliquis haud omnino temere in suspicionem de interpolatione vel aliqua corruptela incidat: tantum hoc volo, temerarium esse, si quis, ultra suspicionem procedens, pro certo habeat, quod certum non sit, neque ut certum demonstrari unquam possit. Quam lubricum autem sit omne super re tam antiqua et incerta iudicium, etiam hinc liquet, quod, qui sunt maxime ad interpolationes vel varias recensiones admittendas proni, inque hoc consentientes, ceterum tamen magnopere inter se variant sententiis, saepe alio tuente, quod alius reiicit, recensionum etiam numerum et rationem aliter definiente alio. Itaque ipse tandem eo deveni, ut mallem in eorum iudicio acquiescere, qui Theogoniam, ut nunc exstat, pro longe maiori certe parte ab Hesiodo profectam censuerunt: quam sententiam fere Veterum fuisse tot ab iis ex eo carmine citati loci arguunt. Diligens pridem fueram in citationibus iis ad suum quamque carminis locum adnotandis: cumque non minus diligens in ea re fuisset Muetzellius, eius vulgato libro constitit mihi, comparatione facta, non nisi perpaucas vel me vel illum fugisse. Consequens fuit, ut, collectis rationibus, quae mihi pro illa Veterum sententia facere

viderentur, eas item ad suum quasque locum apponerem, additis etiam iis, quae mihi dissentientium rationibus viderentur posse obiici, sed ita, ut fere non procederem ultra illud sic videri mihi, *neque meas rationes proponerem ut certas, sed ut aliquo modo probabiles. Sic paullatim ac serius mihi nata est altera pars mei in Theogoniam Commentarii, post elaboratam a me multo iam prius illam, qua res in eo carmine proditas verbaque ac sententias illustrare studui: quam quidem partem aggredientem me statim advertit celebratus Herodoti locus (II. 53.) statuentis, Hesiodum et Homerum esse* τοὺς ποιήσαντας Θεογονίην Ἕλλησι, *καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντας, καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διέλοντας καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντας, in quo loco quod ab Herodoto coniunctim cum Hesiodo memorari Homerum videbam, continuo me impulit, ut hos poëtas inter se conferens, accurate notarem prodita ab iis,* ἔνθεν ἐγένετο ἕκαστος τῶν θεῶν, εἴτε δὲ ἀεὶ ἦσαν πάντες, ὁκοῖοί τε τίνες τὰ εἴδεα. *Hac collatione instituta cum viderem, illos in nonnullis consentire, in aliis diversos abire, nec raro factam ab uno vel Dei vel alicuius mythicae personae aut historiae mentionem apud alterum frustra quaeri, consequens fuit, ut crederem, ea, in quibus consentirent, fuisse tum pridem iam opinione Graecorum recepta, nondum vero ea, in quibus dissentirent, ut potuerint de iis pro sua uterque opinione suove lubitu tradere. Neque enim mihi deneganda visa est utrique omnis inveniendi in hac re laus, ut verbum* ποιήσαντες *apud Herodotum l. c. ita accipiendum sit, quasi voluerit ille, Homerum et Hesiodum primos esse* carmine *complexos, quae iam pridem ante illos vulgo innotuerant.*

Ad Hesiodum quidem quod attinet, tametsi illum non eo usque progressum puto, ut Deum aliquem primus fingeret, tamen in memorandis Deorum nuptiis, generationibus, cognationibus, affinitatibus, itaque Theogoniâ proprie sic dictâ, multa eum, quae illo tempore ἑτύμοισιν ὁμοῖα viderentur, invenisse primum ac finxisse, mihi persuasum habeo. Ceterum post absolutam illam, de qua dixi, Homeri atque Hesiodi comparationem, neque negligendae mihi visae sunt, quae celebriores exstarent aliorum poëtarum super iisdem illis rebus traditiones. Itaque illas etiam in Commentarium recepi. Simul quoque recipienda in eum censui, quae de memoratorum ab Hesiodo Deorum variis Graeciae locis notitia ac religione prodita apud antiquos scriptores exstant, quo scilicet manifestius pateret, non finxisse Deos Hesiodum, sed contra religiose cavisse, ne quem Deum, alicubi in Graecia cultum, silentio praetermitteret. Denique inquirendum quoque mihi post alios duxi in causas, quae in carmine Hesiodeo de Cosmogonia ac Theogonia commemoratis mythis, seu poëta illos antiquioribus debuerit, seu primus illos prodiderit, occasionem et ortum dederint. Attamen illa inquisitione neminem posse ulterius, quam ad probabilem aliquam quasi veritatis speciem pervenire, facile statim intellexi, qualem si videar aliquatenus adsecutus meis de significatione mythico sermoni personarumque mythicarum nominibus tribuenda coniecturis (namque hac de re scripta mihi in Commentario fere non nisi pro meris accipi coniecturis volo) satis superque habebo.

Commentarius quo minus, quod prius constitueram, carminis contextui subderetur, fecit maior sensim facta eius moles. Fuerat quidem commodius, si, quae ad poëtam il-

lustrandum pertinebant, legentis eum statim item fuissent oculis subiecta: sed non patiebantur illa se divelli ab longiore saepe de controverso loco disputatione, quae requireretur ad meam locum explicandi rationem tuendam. Tales autem disputationes, ipsae quoque contextui carminis subiectae, ita maiorem cuiusque paginae partem occupassent, nec fere ita nisi perpaucis carminis versibus ac saepius non nisi uni in quaque pagina relictus esset locus, quod plane inelegans, neque ulla ratione legenti gratum fore putabam. Sic igitur potius duxi, carminis contextui nonnisi varias Codicum MSS. Editionumque lectiones subiicere, addito subinde, quam brevissime res sineret, meo de singulis iudicio. Longiores criticas, quae vulgo dicuntur, super locis, de interpolatione vel aliunde suspectis, disputationes omnes, ob causam supra mihi indicatam, reservandas duxi Commentario.

Ad contextum constituendum multa, ut dixi, mihi adfuerunt subsidia, de quibus iam accuratius dicendum, ac primum quidem de Codicibus MSS.

Codicum igitur Florentinorum *sex collationem, ad Editionem D. Heinsii a.* 1603 *factam, Viro eruditissimo Francisco de Furia debui. Sunt hi, literis a me maiusculis designati,*

Flor. *A. chartaceus in* 8vo *Bibliothecae Laurentianae plutei XXIV. n.* 31. *comprehendens Opera et Dies, Theogoniam et Scutum Herculis, scriptus saeculo XVI. Vid. Bandinius Bibl. Laurent. T. II. p.* 95.

Flor. *B. chartaceus in* 4to, *plutei XVI. n.* 32. *praeter multa alia comprehendens Opera et Dies, Theogoniam et*

Scutum Herculis; scriptus saeculo XIII, atque inter meliores habendus. Vid. Bandin. ibid. p. 142.

Flor. *C. chartaceus in* 4to, *plutei XX. n.* 31. *continens Theogoniam et Scutum, scriptus saeculo XV. Vid. Bandin. ibid. p.* 91.

Flor. *D. quondam Abbatiae Florentinae, nunc Bibliothecae Laurentianae sub n.* 2823, *continens Theogoniam, Opera et Dies, et Scutum, scriptus saeculo XIV.*

Flor. *E. chartaceus in* 8vo *plutei X. n.* 91. *comprehendens inter alia Theogoniam, sed quae mutila desinit in v.* 705, *scriptus saeculo XIV. Vid. Bandin. T. III. p.* 429.

Flor. *F. membranaceus in* 4to *plutei XXXII. n.* 31. *continens Scutum Herculis et Theogoniae fragmentum, quod desinit in v.* 577, *scriptus saeculo XV.*

Horum Florentinum C. Muetzellius de Em. Theog. p. 157. *eundem esse putat* Mediceum, *cuius, facta ad Edit. Iuntinam a.* 1540, *collatio, e d' Orvillianis libris deprompta, exstat in Gaisfordi* Poëtis Graecis Minor. T. I. p. 197 *seqq.: sed repugnat magna lectionum in Flor. C. et Mediceo dicto Codice diversitas.* (*Vid. e. g. notatas mihi Varr. Lectt. in vv.* 55. 108. 150. 158. 273. 288. 336. 370. 384. 398. 405. 454. 482. 499. 593. 595. 601. 605. 669. 697. 703. 721—723. 748. 763. 764. 795. 827. 847. 981. 991.). *Aliquanto magis hic Codex, neque tamen in omnibus, conspirat cum memorato mihi Florentino D., multo autem minus cum Florr. A. B., recteque iam Muetzellius eum a Florr. E. F., quippe mutilis, diversum esse censuit. His dè causis seorsim semper a me notatae sunt* Medicei *dicti Codicis Varr. Lectiones.*

Debeo item Viri humanissimi Francisci de Furia singulari in me benevolentiae, quod collationem accepi Codicis Regii Neapolitani, *Opera et Dies, Theogoniam et Scutum continentis, factam a Viro docto Salvatore Cyrillo ad Graevianam Edit. a.* 1667, *cui collationi doleo non additam fuisse descriptionem Codicis. Ceterum illum non magni pretii esse comperi.*

Vaticanae *Bibliothecae Codicem n.* 915., *quo tempore delatus Roma fuerat Parisios, ibi cum Loesneriana Ed. contulit mihi Vir eximius I. F. Boissonadius, qui Codicem esse notavit bombycinum, folio parvo, scriptura non bona, saeculi fortasse XIV vel XV.*

Ab hoc diversus, Goettlingio *collatus*, Vaticanus *n.* 1409; *cuius item in Varr. Lectt. rationem habui, sicut etiam habui collatorum ab eodem Codicum*

Taurinensis *B. III.* 16. *saeculo XVI scripti et*

Veneti *Bibliothecae S. Marci Codd. Gr. n.* 464. 4to, *scripti manu Demetrii Trielinii annis* 1316—1320. *Vide Iac. Morellum in* Wolfii Anal. Litt. III. p. 263.

Qui de Goettlingianis Vaticano et Taurinensi accurate disputavit, Muetzellius L. II. c. 11. *p.* 239 *seqq. de Veneto L. I. c.* 1. *p.* 6 *seqq., idem posteriore capite et loco pleniorem nobis notitiam aperuit alterius Codicis Veneti, quem a Bibliotheca S. Ioannis et Paulli, ex qua in Marcianam delatus est,* Paullinum *appellavit. Ex hoc Paullino Codice notatarum passim ab eodem lectionum item ratio a me habita est.*

Parisini *Codd., quorum ad me collatio pervenit, hi sunt:*

Codex, mihi A., Paris. 2551, *chartaceus, continens inter*

alia Scutum Herculis et Theogoniam, saeculo XV, ut videtur, exaratus. Conspirant eius lectiones fere cum Aldinis.

Codex, mihi B., Paris. 2678, *continens inter alia Theogoniam et Scutum Herculis cum Glossis interlinearibus et quibusdam Scholiis marginalibus, scriptus saeculo XVI.*

Codex, mihi C., Paris. 2708, *saeculo XV scriptus, continens inter alia Theogoniam, cum Glossis passim inter lineas, coniectisque ad marginem Scholiis, quae ab editis diversa; Scutum Herculis cum similibus Glossis et Scholiis etiam ineditis; Scholia in Theogoniam, quae ab Heinsio Vetera dicuntur; Opera et Dies cum similibus Glossis et Scholiis ineditis; Manuelis Moschopuli Scholia in Opera et Dies; Ioannis Diaconi Scholia in Theogoniam, Procli Diadochi Scholia in Opera et Dies. Est hic Codex Goettlingio et Muetzellio* Parisinus 1., *cuius lectiones iis innotuerant ex collatione, quam Gaisfordo fecit doctus Vir Gregorius Georgiades Zalucus, natione Graecus, a Gaisfordo edita in* Poët. Graec. Minor. *T. II.* Append. ad Vol. *I. p. IX seq. Egit de hoc Cod. Muetzellius L. II. c.* 2. *p.* 158 *seq. c.* 6. *p.* 213 *seqq.*

Codex, mihi D., Paris. 2763, *chartaceus, olim Colbertinus, saeculo XV exaratus, inter alia continens Opera et Dies, quibus subiecta Scholia, quam in Editis breviora; Scutum Herculis et Theogoniam. Est hic Codex, Goettlingio et Muetzellio dictus* Paris. 2., *ex quo cum Ruhnkenius exemplari Heinsiano bonam variarum lectionum copiam apposuisset, eam Gaisfordus Lugduni Batavorum a se transscriptam in publicum emisit. Vide Edition. Gaisfor-*

diani Hesiodi Lips. T. I. p. 170. *et confer Muetzellium L. II. c.* 2. *p.* 159. *c.* 7. *p.* 219 *seqq.*

Codex, mihi E., Paris. 2772, *bombycinus, olim Guarini Veronensis, saeculo XIV, ut videtur, scriptus, continens Opera et Dies cum Glossis passim inter lineas miniatis coniectisque ad marginem Manuelis Moschopuli Scholiis; Scutum Herculis cum Glossis interlinearibus miniatis et Scholiis marginalibus, quae in multis ab editis discrepant, praefixo item argumento, ubi quaedam ab editis diversa; Theogoniam cum Glossis interlinearibus et Scholiis brevioribus, ad calcem reiecta huius poëmatis explicatione allegorica sine auctoris nomine.*

Codex, mihi F., Paris. 2776, *chartaceus, saeculo XVI scriptus, continens Opera et Dies cum Glossis hīc illic interlinearibus, coniectisque ad marginem Scholiis partim minio, partim atramento scriptis, praefixoque argumento; Scutum Herculis cum pauculis Scholiis, item praefixo argumento; denique Theogoniam.*

Codex, mihi G., Paris. 2333, *membranaceus, elegantissimis vineolis ornatus, olim Mediceus, inter alia continens Hesiodi Opera et Dies, cum Glossis passim interlinearibus coniectisque ad marginem brevibus Scholiis, praemissis Procli argumento in Theogoniam et Poëtae vita; Scutum Herculis, praefixo argumento adiunctisque Glossis et Scholiis brevibus; Theogoniam cum Glossis et similibus Scholiis. Sub finem saeculi XV exaratus videtur.*

Codex, mihi H. Paris. 2834, *membranaceus, saeculo XV scriptus, inter alia continens Opera et Dies, Scutum et Theogoniam.*

Codex, mihi I. Paris. 2877, *chartaceus, Saeculo XVI exaratus, olim Boutellerianus, continens inter alia Theogoniam cum Glossis interlinearibus et Scholiis quibusdam marginalibus non magni momenti; Scutum quoque Herculis. Conspirat in multis cum* Paris. A.

Horum Codicum collatio facta ad Loesnerianam Editionem, Parisini quidem E. a Boissonadio, ceterorum autem omnium a Georgiade.

Adhibita quoque a me collatio Codicum in Anglia servatorum, tum eorum, quibus Robinsonus usus est, Bodleiani *et* Regiae Societatis *Londinensis,* (*mihi* Bodl. *et* Reg. Soc. *vel R. S.*) *tum, cuius per Gaisfordum prima ad nos notitia pervenit, Cantabrigiensis Collegii* Emmanuelis (*mihi* Emm.), *cuius tamen ab eo lectiones a versu demum* 537 *commemorantur. Vid. Muetzell. L. II. c.* 2. *p.* 159 c. 8. 9. 10.

Neque a me neglecta est collatio Codicis, Rehdigerani *dicti a quondam possessore eius Thoma Rehdigero, quam debemus viro doctissimo G. Marckscheffelio, subiectam ab illo praefationi ad* Hesiodi, Eumeli, Cinaethonis, Asii et Carminis Naupactii fragmenta, *quorum ab eo curata Editio prodiit Lipsiae a.* 1840. 8vo. *Scriptus ille Codex in Italiae Patavino, vel Veneto tractu, Saeculo XV exeunte. Vid.* d. praef. *p. XI. seq.*

In horum Codicum etiam minutiis notandis diligentior fui, cum mihi videretur inde quoque posse statui de illorum pretio ac dignitate, deque librariorum vel fide ac peritia, vel negligentia aut stupore.

Editiones usurpavi veteres ac recentiores omnes, quarum facta est a Muetzellio recensio in laudati operis Libro I.,

praeter Iuntinam anni 1515, *quam neque mihi videre contigit, unde acquiescere debui in citatis eius Variis Lectionibus in Loesneriana Ed., ubi depromptae exstant ex Ioh. Petr. Schmidii ad novam carminum Hesiodi editionem, quam is meditabatur, apparatu. Vid. Loesner. in Praef. Sed adfuit mihi, quam Muetzellius non vidit,* Frobeniana. *Scilicet Ioannes Frobenius, qui iam a.* 1518, *Hesiodi Opera et Dies cum Nic. Vallae translatione versibus heroicis ediderat, idem Hesiodi Opera omnia edidit Basileae a.* 1521, 8vo, *cuius cum exemplum haberem, eius quoque Varias Lectiones mihi notandas duxi, unde constitit mihi, Frobenianam non nisi in paucis differre ab Aldina, ut vix videatur Frobenius aliquem Codicem adhibuisse.*

Vt autem Varias Codicum et Editionum Lectiones, ita, quam potui, diligentissime etiam illas notavi, quas in citatis apud Veteres Scriptores Theogoniae locis exstantes repperi.

His igitur Codicum atque Editionum subsidiis, nonnunquam etiam, tametsi rarius, certioribus mihi visis Doctorum Virorum coniecturis ad constituendum contextum usus sum.

In illo non nisi paucos a me appositos uncinos apparere nemo mirabitur, qui supra a me scripta legerit. Neque sane videbam qui, post Gruppium praesertim, plus quam nongentos versus e Theogonia resecantem, constituendus iam esset uncinis modus. Tum eo minus necessarios uncinos putavi, quod locorum, quos suspectos aliqua de causa Viri Docti habuerant, satis plane esset a me factum indicium in Commentario.

Vix equidem sperare audeo, fore, ut quae in illo Commentario contra inveteratam iam magis magisque opinionem de factis in Hesiodeo carmine interpolationibus, deque variis eius recensionibus disputavi, multos ab opinione illa deducant, sed tamen futurum spero, ut me dissentientem ab se Viri Docti ferant, utque adeo quibusdam meum illud vetera Veterumque auctoritatem tuendi institutum aliquam habere videatur a novitate gratiam, cum certe novum id videri debeat, pridem in alia omnia digressis eruditorum hominum plerisque.

Hac profligata mihi in Theogoniam opera, porro sine dilatione me conferam ad ea, quae parata habeo in reliqua Hesiodi carmina et fragmenta, item iam accommodanda editioni; mihique inprimis est in votis, ut possim duntaxat Hesiodei Carminis de re rustica, quo mihi primum et maxime commendatus poëta fuit, editionem absolvere. Quod, vel alia deinceps, conantem si mors occupaverit, spes mihi blanditur, fore, ut propterea non prorsus perituri sint labores mei, sed amica manus idem iis praestitura sit officium, quod ipse praestiti Boschianis ac Santenianis. Scr. Amstelodami, ipsis Kalendis Decembribus anni CIↃIↃCCCXLIII.

ΗΣΙΟΔΟΥ ΘΕΟΓΟΝΙΑ.

Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν,
αἵθ' Ἑλικῶνος ἔχουσιν ὄρος μέγα τε ζάθεόν τε,
καί τε περὶ κρήνην ἰοειδέα πόσσ' ἁπαλοῖσιν
ὀρχεῦνται καὶ βωμὸν ἐρισθενέος Κρονίωνος·
καί τε λοεσσάμεναι τέρενα χρόα Περμησσοῖο

VARIAE LECTIONES.

vs. 3. *καί τ'ἐπὶ κρ.* Par. C. et sic exemplaria Libanii Or. XIX. T. III. p. 352 1 seqq., sed deberi id librariis, non auctori, docent sequentia ibid. 14, 15. *ἁπαλοῖσι* Flor. C.

vs. 4. *ὀρχοῦνται* Flor. F. et sic habet Schol. Victor. ad Il. Z. apud Heynium T. VII. p. 804. Vulgatum tuentur Libanius loco prius citato et Lucianus de Saltatione c. 24 T. II. p. 82.

vs. 5. *λοεσάμεναι* Flor. E. *Περμησσοῖο* receptam post Stephanum lectionem agnoscunt Par. B. C. E. Neap. *Περμησσοῖο* exhibet Flor. A. ut Trinc. at *Παρνησσοῖο* Flor. B. *Τερμησσοῖο* Flor. C. D. Par. F. I. Taur. Vat. Goettlingii, Stephani margo; *Τερμησσοῖο* Flor. E. F. Vat. Par. A. D. G. H. Rehd. Ald. Iunt. 1. 2. Frob. Basil., ubi interpres etiam, ut Mombritius, *Termessi*. Docent Scholia Veneta *Τερμησσοῖο* scriptum fuisse in Zenodoteis exemplis; Cratetis autem in Boeoticis testimonio constare, fluvium ab Heliconis accolis vocari consuevisse *Πάρμησον*. Recepit Goettlingius *Τερμησσοῖο*, quod hoc nomine fluvius memoratur apud Pausaniam IX. 29. Me vero, ut cum aliis Π non Τ vocabuli initio scriberem, maxime movit cum ille Cratetis aetate Heliconis accolarum usus, tum auctoritas Nicandri Ther. 12. Strabonis IX. p. 407. 409, et in primis etiam Latinorum poëtarum. Contulit iam Muetzellius, cuius est copiosissima de hac re disputatio de Emend. Theogoniae p. 33, Virgilianum illud Ecl. VI. 64. *Permessi ad flumina*, ubi vid. Servius, ac Statianum Theb. VII. 283 *tuque, o Permesse, canoris et felix Hormie vadis*, in quibus Statio obversatus videtur hic Hesiodi locus. Vult Goettlingius *Τερμησσὸν* dictum esse fluvium, quod esset Heliconis *τέρμων*. Sed potest similis etymologia a *πέρω*, *πέρημι*, unde *πέρας*, etiam formae *Περμησσὸς* affingi. Secundum Schol. Ven. ad h. l. et Schol. margin. Par. G. *Τερμησσὸς ὄρος, οὐ ποταμός*. Fuit utique mons Boeotiae,

ἢ Ἵππου κρήνης, ἢ Ὀλμειοῦ ζαθέοιο,

VARIAE LECTIONES.

Τευμησσὸς et Τελμησσὸς dictus, de quo multis egit Valcken. ad Euripidis Phoen. 1107. Is quorundam pronunciatione pro Τελμησσὸς etiam dictus fuisse Τερμησσὸς potest, nec veri specie carebit opinio, homines non Boeotos et procul a Boeotia degentes, quod montis nomen erat, in fluvium transtulisse: sed ab accolis fluvii profecto non tam facile Περμησσὸς in Τελμησσὸς, vel contra pronunciatione mutari potuit, quam Περμησσὸς in Παρμησός. Itaque lectio Cod. Flor. B. h. l. et quorundam Nicandri Codd. l. c. Παρνησσοῖο vel Παρνησσοῖο corrupta ex Παρμησσοῖο videri potest: quam formam adeo Nicandro tribuit Sylburg. ad Pausaniam l. c. quemadmodum etiam e vetustissimorum librorum fide *Parmessiaci gurgitis fontes* apud Martianum Capellam L. VIII. p. 273. Grot. reponendum ait Muetzellius l. c. quamvis h. l. Περμησσοῖο tuens. Fuit Περμησσὸς haud dubie scriptura antiquior: sed pronunciatum Περμησσός fuisse Latinorum usus docet, ac videtur pridem etiam in his vocabulis postrema acutis ut Ταρτησσὸς, Ἁλικαρνασσὸς, Λυκαβησσὸς in scribendo duplici litera notatus fuisse sibilus. Cum autem antiquiorem in Homero et Hesiodo scripturam ubique restituere nemo facile possit, non est eius, qui constare sibi velit, in uno id alterove loco facere.

vs. 6. ἢ Ἵππου κρήνης sic disiunctim Flor. A. Taur. Ven. Par. C. D. F. G. H. I. Rehd. Ald. Frob. Iunt. 1. 2. Trinc. Steph. margo, favetque huic scripturae tum Callimachi illud H. in Lav. Pall. 71 Ἵππῳ ἐπὶ κράνᾳ Ἑλικωνίδι, tum ipsa de fontis origine historia, luculente ab Arato in primis prodita v. 215 seqq. ubi bis, v. 216 et 220, item disiunctim scriptum exstat. ἢ Ὀλμειοῦ scribere malui cum Par. B. Ald. Frob. quam cum ceteris SS. et Edd. Ὀλμειοῦ, tum, quod Epici post ἤ producendum libentius adspiratum ponunt, tum ob Statii locum supra citatum, in quo nolui equidem *Hormie*, quod habet etiam Lactantius, cum Hemsterhusio mutare in *Holmie*, cum Ὁρμειὸς verius esse nomen potuerit magno impetu (ὁρμῇ) ruentis fluvii, quod solemni illa literarum ρ et λ permutatione factum sit Ὁλμειὸς, vel promiscue iam olim dictus esse fluvius Ὁρμειὸς vel Ὁλμειὸς de monte ruens et volutus. E locis Veterum, qui praeter Statium huius fluvii mentionem fecerunt, vix est, ut solvatur de spiritu in nomine quaestio. Namque apud Strabonem IX. p. 409 et 412 (Ed. Almel. p. 624 A. p. 631 B.) Chrestomath. Strabon. p. 1265. Lucianum adv. ind. c. 3 ibique Schol. Nonnum VII. 236, iam omnes a Muetzellio p. 45 docte hanc quaestionem tractante citatos, vel variant libri, vel incertum videri potest, qua auctoritate librarii hunc vel illum spiritum praetulerint. Nonnus quidem ipse pene recentior est, quam ut hac in re auctoritatem habeat. Valet idem in Arcadio p. 44 ib. et Hesychio, apud quem adeo scriptum legitur Ὁλμειὸς contra Arcadii praeceptum postremum acui iubentis. Recentior etiam Auctor Libelli περὶ πνευμάτων post Ammonium Valckenarii p. 232 lenem usurpandam in h. v. praecipiens. Neque multum movere nos debet, quod

ἀκροτάτῳ Ἑλικῶνι χοροὺς ἐνεποιήσαντο
καλούς, ἱμερόεντας· ἐπερρώσαντο δὲ ποσσίν·
ἔνθεν ἀπορνύμεναι, κεκαλυμμέναι ἠέρι πολλῇ
ἐννύχιαι στεῖχον περικαλλέα ὄσσαν ἰεῖσαι,
ὑμνεῦσαι Δία τ' αἰγίοχον καὶ πότνιαν Ἥρην
Ἀργείην, χρυσέοισι πεδίλοις ἐμβεβαυῖαν,
κούρην τ' αἰγιόχοιο Διὸς γλαυκῶπιν Ἀθήνην,
Φοῖβόν τ' Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
ἠδὲ Ποσειδάωνα γαιήοχον, ἐννοσίγαιον,

VARIAE LECTIONES.

apud Schol. Ven. et Schol. Par. F. ad h. l. dicitur Ὄλμειδς ποταμὸς ἐν Ἑλικῶνι τῆς Βοιωτίας ἀπὸ Ὄλμείου Σισύφου παιδός, cum ille Sisyphi filius Ὄλμος dictus in Schol. Ven. ad Il. B. 511. et Codd. Pausaniae II. 4, in eiusdem Codd. IX. 24. 34. 36 modo Ὄλμος, modo Ἄλμος vel Ἄλμος dicatur, unde Ἄλμωνες vel Ἄλμωνες populus. Conf. Schol. Paris. ad Apollon. Rh. III 1094 ac puto equidem cum Muellero in Orchomeno, p. 134 in nota, ipsum fluvii nomen induxisse nonnullos, ut Sisyphi filium huc traherent et accolam Heliconis fingerent, aliis rectius ei sedem tribuentibus ad orientem lacus Copaïdis: vid. Pausanias IX. 24.

vs. 7. ἀκροτάτῳ ἐν Ἑλικῶνι Flor. F. Par. H. Ἑλικώνῃ Par. H. Iunt. 1. ἐνεποιήσαντο Flor. A. ἀνεποιήσαντο Vat. Fuisse ἐνὶ ποιήσαντο statuit Heynius Comm. ad. Il. Ω. 610.

vs. 8. ἡμερόεντας Vat. ut Trinc. ex iotacismo. ἐπερώσαντο. Par. F. ἐπεράσαντο Par. A.

vs. 9. ἠέρι πολλῷ Flor. D. C. E. Neap. Par. C. F. (qui tamen in margine πολλῇ) Gresh. Bodl. Vat. Goettl. Rehd. Ald. Iunt. 1. 2. Frob. Basil. Steph. margo, Robinson: male, cum sit ἀήρ, quando caliginem notat, feminini generis. Conf. infra v. 697.

vs. 10. στοῖχον περὶ καλέα Frob. ἰεῖσαι Par. A. D. F. G. H. v. 11. αἰγίοχόν τε καί. Par. H. Frob. Ἥρην Par. G.

vs. 15. Offenderunt VV. DD. ad Ποσειδάωνα γαιήοχον ob primam in γαιήοχον correptam, quae apud Homerum Il. Υ. 34, Od. Γ. 53, I. 528 producta observatur, ut est longa semper prior in γαῖα. Itaque γεήοχον rescripsit Hermannus in Praef. ad Hymn. Hom. p. XIV. seq. adstipulante Boeckhio not. crit. ad Pindar. p. 224. Ποσειδάω γαιήοχον Goettlingius, invitis omnibus libris et Etymol. M. p. 727. 37. Ποσειδάονα habent Ald. Frob. Bas. Equidem, si quis a vulgari consuetudine (conf. a Muetzellio p. 227 citatus Eustath. ad Od. p. 1392. 23) et tantum non omnium Codicum lectione discedendum hic putat, ei recipiendam censeo coniecturam Hermanni, plane firmatam a Flor. B. et cuius haud dubie non nisi corruptela est, quod e Bodleiano Cod. Robinsonus enotavit, γενό-

καὶ Θέμιν αἰδοίην, ἑλικοβλέφαρόν τ' Ἀφροδίτην,
Ἥβην τε χρυσοστέφανον, καλήν τε Διώνην,
Ἠῶ τ', Ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπράν τε Σελήνην,
Λητώ τ', Ἰάπετόν τε, ἰδὲ Κρόνον ἀγκυλομήτην,
Γαῖαν τ', Ὠκεανόν τε μέγαν, καὶ Νύκτα μέλαιναν,
ἄλλων τ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων·
αἵ νύ ποθ' Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδήν,
ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὕπο ζαθέοιο.
Τόνδε δέ με πρώτιστα θεαὶ πρὸς μῦθον ἔειπον

VARIAE LECTIONES.

χον. Sed mihi quidem non recedendum duxi a vulgata, cum ex hoc ipso, quod γαῖα in γῆ contractum et inde orta sint γεημόρος, γεηπόνος et similia, colligi mihi posse videatur, diphthongi αῖ in γαῖα et derivatis hanc fuisse naturam, ut facile se pronunciando corripi pateretur, multorumque usu γαιήοχος in γεήοχος abiret. Ac potuit, quo tempore primum scripta haec fuerunt, diphthongus hîc in scriptura servari, quamvis non amplius longae vim syllabae in pronunciatione retineret, ut retinuit in Homeri locis citatis. Certe ex Homeri usu non continuo reformanda est in Hesiodeis lectio. vv. 18, 19, inverso ordine, ut a Wolfio exhibiti sunt, leguntur in Flor. A. D. E. F. Taur. Ven. Vat. Goettl. Par. C. D. E. F. G. H. I. Rehd. Iunt. 1. 2. Trinc. Colligit hinc Hermannus in cens. Goettlingianae, versum 18. serius additum fuisse, cui sedem ipse iustam fuisse censet post v. 20. Sed, ut recte animadvertit Muetzell. p. 69, series ab universorum Deorum memoria concinnius post Iapetum et Saturnum ad omnium rerum primordia ducitur. Abest v. 18. a Flor. C. Par. I. in eo versu Ἠώ τ' Ald. Iunt. 1. 2. Frob. Bas. primus Trinc. recte Ἠῶ τ'. Vid. Schol. Ven. ad Il. B. 262, I. 140. Pro λαμπράν τε Goettl. scripsit λαμπρήν τε cum Hermanno, sed hic in Goettl. cens. priore illa opinione sua reiecta tam hîc, quam infra v. 371. (372) servandum λαμπράν statuit, quod tum Codd. (mei quidem omnes) utroque loco exhibent, tum citantes v. 371. (372) firmant Schol. ad Eurip. Phoen. 175, ad Apoll. Rh. IV. 54 et sic est λαμπρά τε Σελήνη in Hom. Epigr. 3.

vs. 19. Abest a Par. M. Λητώ τε Ἰάπετόν τε ἠδὲ Κρ. legitur apud Aristidem T. II. p. 369. Ed. Iebb. Est ἠδὲ Κρ. etiam in Flor. B. Ἰάπετόν τ' ἠδὲ Κρ. corrigebat Heyn. in Ep. ad Wolf. Placuit idem Bentleio. Mihi post comma minus habere videtur offensionis hiatus.

vs. 20. Γαῖαν δὲ, Ὠκ. Vat. Par. E.

vs. 24. Τόντε δὲ Flor. F. Par. A. B. Ald. Bas. sed interpres *hoc autem*. πρῶτα Par. D. G. ἔειπον praeferendum duxi cum Heynio in Ep. ad Wolf. et secuto hunc Dindorfio, exhibentibus illud Flor. C. D. E. F. Neap. Par. C. G. H. I. Iunt. 1. 2.

Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο·
Ποιμένες ἄγραυλοι, κάκ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἷον,
ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,
ἴδμεν δ', εὖτ' ἐθέλωμεν, ἀληθέα μυθήσασθαι.
Ὡς ἔφασαν κοῦραι μεγάλου Διὸς ἀρτιέπειαι·
καί μοι σκῆπτρον ἔδον, δάφνης ἐριθηλέος ὄζον,
δρέψασθαι θηητόν, ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν
θείαν, ἵνα κλείοιμι τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα·

VARIAE LECTIONES.

ἔοικεν Frob. ceteri ἔειπαν. Goettlingio tuendum hoc in Hesiodo visum, ut rarius.

vs. 26. *γαστέρες οἷον* Rehd. Par. B. Frob. Bas. et ibi *ventres veluti* interpres: at Mombritius *duntaxat ventres*.

vs. 27. *ἴσμεν* Athenagoras Leg. § 24 extr. Ed. Marani. Abest versus a Par. B.

vs. 28. *εὖτ' ἂν ἐθέλωμεν* Flor. C. E. Taur. Par. I. Trinc. *αὖτ' ἂν ἐθέλ.* Bodl. R. S. *εὖτ' ἐθέλ.* Ald. Frob. *εὖτε θέλωμεν* Rehd. *μυθήσασθαι* exhibent SS. mei, editique omnes. Fuit tamen, teste Scholiasta, olim in quibusdam libris *γηρύσασθαι*, convenitque Paullinus Cod. Morellii in Wolfii Analectis II. p. 267 et est glossa haec *τοῦ μυθήσασθαι* in Par. C. Vulgato praestabilius id visum Graevio in Lectionibus Hesiodeis, conferenti Ἔργ. 257 seqq. et esse Epicis frequentatum *γηρύσασθαι* docet Muetzell. p. 364. citans H. Hom. in Merc. 425 seq. Apollon. Rh. II. 884 seq. Oraculum apud Porphyr. de Vita Plotini p. 15. D. Hesychium v. *γηρύσασθαι* et *ὅπα γηρύοντες*, tametsi parem esse putat vulgatae conditionem. Nobis ipsa simplicitate sua magis arridet vulgata, quam et Homericus usus passim firmat. Vid. Il. Z. 382. Od. Ξ. 125. P. 15. Σ. 344.

vs. 29. Pro *κοῦραι* Flor. C. Rehd. *κεῖναι*, Flor. F. Par. II. *Μοῦσαι*, sed in Florentini margine alia manu *γρ: κοῦραι*. *μεγάλαι Διός* Flor. A. Ven. *Διὸς μεγάλου* Flor. D. E. Paull. Par. C.

vs. 30. *ἕδων* Bodl. Ald. Frob. Bas. *ἕλον* Flor. E. Taur. Par. I.

vs. 31. *δρεψάσαι* Par. C. *δρεψάμεναι* Par. B. Tzetzes p. 2. Ed. Heins. Vtrumque tanquam vulgatae medicina Wolfio in mentem venit. Attamen illud maluit in contextum recipere, quem latebat antea iam sic correctum voluisse Iortinum in Biblioth. Britann. T. VII. p. 9. Recepit idem Dind. Nobis sana visa est Codicum tantum non omnium lectio *δρέψασθαι*, firmata etiam ab Aristide T. II. p. 370. Conf. infra Commentarius. *θειητὸν* Flor. F. Neap. Par. A. H. Bodl. Ald. Bas. Frob. Iunt. 1. 2. *θνητὸν* Flor. D. Par. F. Interpres in Basil. reddens *decerpendum mortali* in suo exemplo videtur habuisse *θνητῷ*.

vs. 32 *Θεῖαν ἵνα κλείοιμι* lectionem ceteris praeferendam duximus. *ἵνα κλείοιμι τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἔοντα*, ut Hesiodea citat Aristides l. c. Apud Lucianum, in Disp. cum Hesiodo pr. alloquentem poëtam, est *ὅπως κλείοις*. Exstat item *κλείοιμι* in Codd. Flor. E. F. Neap. Par. A. B. H. I. (etiam in C.

καί με κέλονθ' ὑμνεῖν μακάρων γένος αἰὲν ἐόντων,
σφᾶς δ'αὐτὰς πρῶτον τε καὶ ὕστερον αἰὲν ἀείδειν·
ἄλλα τίη μοι ταῦτα περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην;
Τύνη, Μουσάων ἀρχώμεθα, ταὶ Διὶ πατρὶ
ὑμνεῦσαι τέρπουσι μέγαν νόον ἐντὸς Ὀλύμπου,
εἰρεῦσαι τά τ' ἐόντα, τά τ'ἐσσόμενα, πρό τ'ἐόντα,
φωνῇ ὁμηρεῦσαι· τῶν δ' ἀκάματος ῥέει αὐδὴ

VARIAE LECTIONES.

ex corr.) Bodl. Vat. Goettl. et sic Ald. Frob. Bas. Iunt. 1. 2. κλύοιμι Par. F. ἵνα, quod apud Aristidem legitur, Codd. fere omnes exhibent, ut Ald. Frob. Bas. Iunt. 1. 2. Steph. margo. Quod autem post Trincavellum plerasque Edd. occupavit, probatum item Guyeto, ὥστε κλύοιμι legitur in Ven. Flor. A. Par. C. ὄφρα κλύοιμι in Flor. B. Correxit ὡς κλείοιμι Stephanus, adoptarunt hoc deinceps Robins. Wolf. Gaisf. Boisson. Dind. Goettl. Quod in omnibus Edd. est θείην, exstat item in Florentinis meis omnibus, Vat. Par. A. D. E. G. H. I. sed est θεῖαν in Parisinis reliquis, Neap. Bodl. R. S. et hoc postulat sequens ἵνα; cumque ἰθεῖαν dixerit Hesiodus Ἔργ. 224, potest etiam h. l. dixisse θεῖαν. Apud Aristidem et Lucianum ll. cc. eius, ni fallor, explicatio est θεσπεσίην: nam paullo fervidius Muetzell. p. 378 ita reperisse eos in suo Hesiodi exemplo statuit, itaque veram esse lectionem; ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν Θεσπεσιὴν κλείειν ἅμα τ'ἐσσόμενα πρό τ'ἐόντα. Speciosum quidem est argumentum ex Aristidis καὶ θεσπεσιὴν παλὶν αὖ προσέθηκε ductum, sed ipse Aristides ut Hesiodea citat ἵνα κλείοιμι, ante quae θεσπεσιὴν stare non potuit, habentque optativum et τά τ' ἐσσόμενα, ut Aristides, nec non Lucianus, sic omnes Hesiodi Codd. quorum ne unus quidem θεσπεσιὴν exhibet. τά τ'ἐσόμενα Flor. C. τὰ πρότ' ἐόντα Par. B. πρῶτ' ἐόντα Par. G. πρῶτα ἐόντα Rehd.

vs. 33. καὶ μ'ἐκέλονθ' Flor. A. B. Par. C. καί μ' Ἐκέλον θ' Trinc. καί με κέλον θ' Frob. Bas. καί μ'Ἔθελον θ' Bodl. ἀϊόντων Flor. D.

vs. 34. abest τε a Flor. C. F. Par. F. ὕστατον, quod ab Wolfio commendatum in contextum recepit Dindorfius, Codicum unus exhibet Flor. B. sed correctum manu antiqua ex ὕστερον. Hermannus in cens. Goettl. Dindorfii factum probans, in rebus constante usu firmatis nihil esse debere momenti ait in Codicibus praesertim Hesiodi. Mihi contra non recedendum videtur a lectione, quam a vulgari consuetudine diversam tot numero Codices tuentur. ὕστατον quidem librariorum, opinor, nemo facile in ὕστερον mutasset. αἰὲν abest a Taur.

vs. 36. τήνη vitium est Frobenianae.

vs. 37. ὑμνευεῦσαι Frob. μέγα νόον Flor. C. αἰὲν Ὀλύμπου Trinc. incertum, an ex Codice.

vs. 38. εἰρεῦσαι ex εἰροῦσαι Par. I.

ἐκ στομάτων ἡδεῖα· γελᾷ δέ τε δώματα πατρὸς
Ζηνὸς ἐριγδούποιο θεᾶν ὀπὶ λειριοέσσῃ
σκιδναμένη· ἠχεῖ δὲ κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου,
δώματα τ' ἀθανάτων. αἱ δ' ἄμβροτον ὄσσαν ἱεῖσαι
θεῶν γένος αἰδοίων πρῶτον κλείουσιν ἀοιδῇ,
ἐξ ἀρχῆς οὓς Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ἔτικτεν,
οἵ τ' ἐκ τῶν ἐγένοντο θεοὶ, δωτῆρες ἐάων·
δεύτερον αὖτε Ζῆνα, θεῶν πατέρ' ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
ἀρχόμεναί θ' ὑμνεῦσι θεαὶ, λήγουσαί τ' ἀοιδῆς,

VARIAE LECTIONES.

vs. 41. *ἐριγδούπου* Flor B. *θεᾶν* formam Boeoticam cum Schol. Cantabr. plerique exhibent Codd. *θεῶν* Flor. A. C. Vat. Goettl. Ven. Paull. Trinc. *θεῶν* meus Vat.

vs. 42. *κιδναμένη* Flor. B. Par. B. F. *νιφόεντα* Bodl.

vs. 43. *Δώματα τ' ἀθανάτων*. Sic Flor. A. Ven. Par. B. C. et ita correxerat Wintertonus, quem secuti sunt Gaisf. Dind. Goettl. probante correctionem illam etiam Hermanno in Ep. ad Ilgen. p. XIV. *δώματ' ἀθανάτων* Flor. D. F. Paull. Rehd. Ald. Iunt. 1. 2. Frob. Bas. Trinc. *δώματα ἀθανάτων* ceteri SS. et Edd. Correctionem sibi non probari indicans Muetzell. p. 20, cur probari nequeat, longa ait explicatione indigere. Num offendit eum, quod sic diversa memorantur *κάρη νιφ. Ὀλ.* et *δώματα ἀθανάτων*? Sed simile est Il. E. 398 *πρὸς δῶμα Διὸς καὶ μακρὸν Ὄλυμπον*. *ἱεῖσαι*. Par. B. D. F. G.

vs. 44. *θεῶν γένος αἰδοίων* cum Iunt. 1. 2. Goettl. praeferendum duximus secundum Par. B. F. vulgato *αἰδοῖον*.

vs. 45. cum Wolfio secundum Scholia distinctionem, quae vulgo in Edd. obtinet, post *ἀρχῆς* sustuli. *Γαῖα τε καὶ Οὐρ.* Flor. F. Vat. Par. E. H. Iunt. 1. 2. *ἔτικτον* (interpretis in Bas. *genuerunt*) quod post Wintertonum Editores recipiendum duxerunt, unus habet Par. E. *ἔτικτε* Flor. A. B. F. Par. D. F. G. I. reliqui *ἔτικτεν*, firmantque hoc Schol. Vict. et L. ad Il. A. 604 p. 45 Ed. Bekker., ubi citantur posteriora huius versus cum initio sequentis.

vs. 46. *δοτῆρες* Par. C. E. Rehd. Ald. Frob. Bas. Iunt. 1. 2. *ἑάων* Par. F.

vs. 47. *πατέρα ἠδὲ* Par. A. Ald.

vs. 48. *ἀρχόμεναί θ' ὑμνεῦσι θεαὶ λήγουσαί τ' ἀοιδῆς*. Pro lectione hac faciunt tum Scholia, tum Codd. fere omnes. Versus est spondiacus, *ἀοιδῆς* in disyllabum contracto, quod quin fieri potuerit, dubitare nos non sinit recentior huius vocabuli forma *ᾠδή, ῆς*, quae iam exstat Hom. H. in Cer. 497 in Ap. 20. Itaque recte hac ratione vulgatum tuiti sunt Heins. Krebs. Wolf. Boisson. ad h. l. Arnald. Obss. Crit. p. 30. Ruhnken. ad H. Hom. in Bacch. 5.

ὅσσον Φέρτατός ἐστι θεῶν, κράτεΐ τε μέγιστος·
αὖτις δ' ἀνθρώπων τε γένος κρατερῶν τε γιγάντων
ὑμνεῦσαι τέρπουσι Διὸς νόον ἐντὸς Ὀλύμπου
Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο,
τὰς ἐν Πιερίῃ Κρονίδῃ τέκε πατρὶ μιγεῖσα
Μνημοσύνῃ, γουνοῖσιν Ἐλευθῆρος μεδέουσα,
λησμοσύνην τε κακῶν ἄμπαυμά τε μερμηράων.
ἐννέα γάρ οἱ νύκτας ἐμίσγετο μητίετα Ζεὺς

VARIAE LECTIONES.

Wolfius etiam in Anal. p. 418. *λήγουσί τ'ἀοιδῆς* Neap. Flor. F. (sed in margine *γρ. λήγουσαι*) Ald. (sed *ἀοιδοῖς*) Iunt. 1. 2. Frob. Bas. Stephani margo. Citat etiam sic Turneb. Adv. VI. 17. sed ait in nota Stephanus esse *ἀνακόλουθον* hoc *ἀρχόμεναι ὑμνεῦσι καὶ λήγουσιν ἀοιδῆς*, nisi subaudiamus participium hoc modo: *ἀρχ. ὑμν. καὶ λήγουσιν ἀοιδῆς ὑμνεῦσαι.* At esse unice verum *λήγουσι* subaudito hoc participio putat Hermann. in Cens. Goettl. et iam antea idem placuerat Ernestio ad Callim. T. I. p. 260, probatumque sibi sic Gaisfordius *λήγουσι* in contextum recepit. Guyetus item, sed de coniectura, praeferens *λήγουσι*, intellectum volebat *dicentes, quam sit praestantissimus.* Mihi vix ferenda huiusmodi ellipsis videtur. Lennep. ad Coluth. p. 2 vulgatam haud minus sensu, quod miror, quam metro laborare arbitratus, hinc tentavit *λήγουσί τ'ἀοιδῇ*, ut intelligatur *Ζηνὸς*, parum item, me iudice, probabiliter. Dindorf. coniecit *ἀρχόμεναί θ'ὑμνεῦσιν, ἴδὲ λήγουσαι ἀοιδῆς* probabili sensu, sed invitis Codd. Recte iam Wolf. contulit Theognidea pr. *Ὦ ἄνα, Λητοῦς υἱέ, Διὸς τέκος, οὔποτε σεῖο Λήσομαι ἀρχόμενος, οὐδ' ἀναπαυόμενος* et ipsius Hesiodi fr. apud Eustath. p. 1163 *ἀρχόμενοι δὲ Λίνον καὶ λήγοντες καλέουσι.*

vs. 49. *ὅσον* Flor. E. *τόσσον* Flor. B. D. Neap. Par. A. B. Bodl. Ald. *φέρτερος* Flor. F. (sed in marg. *φέρτατος*) Vat. Par. E. II. Iunt. 1. 2. *κάρτεϊ* Flor. C. Vat. Par. E. *κάρτει* Par. D. Rehd.

vs. 50. *αὖτις* ut epicam et antiquiorem formam (Vid. Συναγ. λεξ. χρησ. in Bekkeri Anecd. p. 463. 8.) praeferendum duxi cum Dind. et Goettl. oblatum a Vat. Par. B. C. E. Ceteri, ut vulgo, *αὖθις*. Variatur sic etiam in Homeri Codd. *δ'* omittunt Flor. D. Frob. ut mox *τε* Flor. E.

vs. 51. *ὑμνοῦσαι* Bodl. ut supra v. 48 *ὑμνοῦσι*.

vs. 52. *Ὀλυμπιάδαι* Flor. E.

vs. 53. *τέκε πρὶν μιγεῖσα* Flor. D.

vs. 55. in Flor. C. supra *λησμοσύνην* eadem manu v. 8. *Μνημοσύνην* scriptum. *λησμοσύνη* Med. Par. B. Ald. Consentit Schol. Cant. p. 219. Scilicet fuisse aliqui videntur, qui poëtae suas tribuentes argutias ludere cum voluisse crediderunt in *Μνημοσύνη λησμοσύνη*.

vs. 56. *μίσγετο* Flor. B. Bodl. *μητίετα* Dind.

νόσφιν ἀπ' ἀθανάτων ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνων·
ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐνιαυτὸς ἔην, περὶ δ' ἔτραπον ὧραι
μηνῶν φθινόντων, περὶ δ' ἤματα πόλλ' ἐτελέσθη,
ἡ δ' ἔτεκ' ἐννέα κοῦρας ὁμόφρονας, ἦσιν ἀοιδὴ
μέμβλεται, ἐν στήθεσσιν ἀκηδέα θυμὸν ἐχούσαις,
τυτθὸν ἀπ' ἀκροτάτης κορυφῆς νιφόεντος Ὀλύμπου,
ἔνθα σφι λιπαροί τε χοροὶ καὶ δώματα καλά,
πὰρ δ' αὐτῇς Χάριτές τε καὶ Ἵμερος οἰκί' ἔχουσιν
ἐν θαλίῃς· ἐρατὴν δὲ διὰ στόμα ὄσσαν ἱεῖσαι
μέλπονται πάντων τε νόμους καὶ ἤθεα κεδνὰ
ἀθανάτων κλείουσαι, ἐπήρατον ὄσσαν ἱεῖσαι·
αἳ τότ' ἴσαν πρὸς Ὄλυμπον ἀγαλλόμεναι ὀπὶ καλῇ,
ἀμβροσίῃ μολπῇ· περὶ δ' ἴαχε γαῖα μέλαινα

VARIAE LECTIONES.

vs. 57. *ἀπαθανάτων* Rehd. *εἰς ἀναβαίνων* Trinc.

vs. 58. *δή ῥ' ἔην ἐνιαυτὸς* Vat. Par. E. H. Iunt. 1. 2. Frob. *ἔτραπεν* Flor. B. *ἔτρεπον* Ven. *ὧραι* Par. C.

vs. 59. *ἐτελέσθην* Flor. C. Par. A. D. F. G. Rehd. Ald. Bas.

vs. 60. *ἡ δ' ἔτεκ'*. Par. C. *ἔτεκε* Iunt. 1. 2. Frob. *κοῦρας* primus recte Gaisf. Antiquiores Edd. et SS. omnes *κούρας*.

vs. 61. *μέλλεται ἐν* Flor. F. Neap. Par. A. H. Ald. Bas. Frob. Iunt. 1. 2. *μέλλετ' ἐν* Par. B. *μέλβεται ἐν* Par. F. *μεμήλετ' ἐν* Par. C. Trinc. *μεμήλεται ἐν* Paull.

vs. 62. *τυτθὸν ἐπ'* Par. 1. Schol. Bas. p. 219. sed ibid. seq. pag. *τυτθὸν ἀπ'*.

vs. 63. recipiendum *ἔνθα σφι λιπαροί τε* duximus e Par. B. Bodl. probatum etiam Muetzellio p. 227. Pronunciabatur *σφιλλιπαροί*, quod recentiores cum lateret, hi de metro solliciti *σφιν* scripserunt.

vs. 65. *ἐν θαλίαις* Flor. B. Wolfius distinctione post *ἔχουσιν* posita post *θαλίῃς* sustulit. *διὰ στόματ' ὄσσαν* Taur. quem secutus est Goettl. Sed nihil est, cur vel numerus singularis, vel hiatus offensionem hic faciat. Confer citatum a Muetzellio p. 242. Apollon. Rh. III. 410. 496. *ἱεῖσαι* Par. D. F. G. H. I. Rehd.

vs. 66. cum seq. abest a Flor. C. D. Paull. Vat. Goettl. Par. C. *νομοὺς* Ven. Trinc. *ἤθεα καλά* Vat. sed supra scriptum *κεδνά*.

vs. 67. *κλείουσαι* e Flor. E. Taur. Par. D. G. ut epico sermoni convenientius cum Hermanno in Cens. Goettl. recipiendum duxi pro *κλείουσιν*, ut habent cum plerisque SS. omnes Edd. *κλαίουσαι* Rehd. *ἱεῖσαι* etiam hic Par. F. G. H.

vs. 68. *ὀπῇ* vitiose Iunt. 1. 2.

vs. 69. *ἀμβροσίᾳ* Flor. D. *περὶ δ' οἴαχε* Trinc. *περὶ δι' ἄχε* Iunt. 1. *περιδίαχε* Iunt. 2. Guyeto scribendum vi-

ὑμνεύσαις· ἐρατὸς δὲ ποδῶν ὕπο δοῦπος ὀρώρει
νισσομένων πατέρ' εἰς ὅν· ὁ δ' οὐρανῷ ἐμβασιλεύει,
αὐτὸς ἔχων βροντὴν ἠδ' αἰθαλόεντα κεραυνὸν,
κάρτεϊ νικήσας πατέρα Κρόνον· εὖ δὲ ἕκαστα
ἀθανάτοις διέταξεν ὁμῶς καὶ ἐπέφραδε τιμάς·
Ταῦτ' ἄρα Μοῦσαι ἄειδον Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
ἐννέα θυγατέρες μεγάλου Διὸς ἐκγεγαυῖαι,
Κλειώ τ', Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε, Μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ', Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ', Οὐρανίη τε,
Καλλιόπη θ'· ἡ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων·

VARIAE LECTIONES.

debatur *περὶ δὲ σφέας ἴαχε γαῖα μέλαινα*. Sed sic versus fit iusto longior. Fortasse deletum voluit *μέλαινα*. At vero iniecto *σφέας* nihil indigemus, nisi versum ita reformatum malis ob digamma. Sed *περὶ δ' Fίαχε (duiache)* equidem ferendum puto.

vs. 70. *ὑποδοῦπος* Flor. C. E. Par. I. *ὑπὸ δ.* Rehd.

vs. 71. *νισομένων* Flor. A. C. Ven. *νυσσομένων* Trinc. *νεισσομένων*, quod primus Stephanus invexit, adoptarunt Heins. Graev. etiam Gaisf. et Dind., in nullo Codice inveni, nec facile probabitur conferentibus, quos citat Muetzell. p. 73. Etym. M. p. 606. 13. seq. Gud. p. 410. 7. 8. *νισσομενῶν* malebat Wolfius. *εἰς ἰὸν* Par. D. G. Rehd. *οὐρανὸν* Taur. Par. E. H. Iunt. 1. *ἐμβασιλεῦεν* Neap. Par. A.

vs. 72. *αὐτὸν ἔχων* Par. C. Habuit fortasse alius Cod. *ὁ δ' οὐρανὸν ἐμβ. Αὐτὸν, ἔχων βρ.*

vs. 73. *κράτεϊ* Flor. D. E.

vs. 73 seq. *εὖ δὲ ἕκαστα Ἀθανάτοις διέταξεν ὁμῶς* agnoscit et firmat Theophilus ad Autolycum II. 5. Variant autem in illis Codd. *ἕκαστον* Flor. E. sed supra scriptum eadem manu *ἕκαστα*. Idem cum Bodl. et Par. I. *ἀθανάτων*. In Par. H. ut in Iunt. 1. 2. est *ἀθανάτους*. Guyetus scribi volebat *ἀθανάτοις διέταξε νόμοις leyibus immortalibus*, quod vereor, ut sit epicum et Hesiodeum. Equidem pene in id inclino, ut profectum a poëta putem *εὖ δὲ ἕκαστα Ἀθανάτοις διέταξε νόμους καὶ ἐπέφραδε τιμάς* ob versum supra 66 et Ἔργ. 274. constructione simili Homericae Il. Λ. 11. Od. Τ. 592 seq.

vs. 74. *καὶ πέφραδε* Theophilus l. c. quem Muetzellius p. 383 legitimos et genuinos servasse numeros statuit, cum altera forma *ἐπέφραδε* commodam in tertio pede sedem habens (ut infra 162. Od. Τ. 250. Apollon. Rh. IV. 1459) vix ferenda sit in quarto. Sed Codd. omnes hic *ἐπέφραδε* tuentur. Vnus Bodl. levi mutatione *ἐπέφρασδε*.

vs. 77. Post *Εὐτέρπη* deest *τε* in Flor. D. qui versui 77 subiectos habet v. 66 seq.

vs. 78. *Οὐρανία τε* Par. A. Ald. Bas.

vs. 79 *ἡ σφέων πρ.* Diodor. Sic IV.

80 ἡ γὰρ καὶ βασιλεῦσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.
Ὅντινα τιμήσουσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι διοτρεφέων βασιλήων,
τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἔερσην,

VARIAE LECTIONES.

7. ἥ καὶ πρ. Io. Diacon. p. 352, 12. ἧδε Par. A. C. ut Bas. Ceteri ἥ δὲ, ut vulgo Edd. Quod apud Stobaeum Serm. XLVI. p. 326 legitur Καλλιόπη τ'εἴδη, recentiori correctione τ'εἴδει, probabiliter Muetzellius p. 384 corruptelam esse censet vulgatae. Commendatum ab Hermanno in praef. ad Hymn. p. xv ᾗ τε in contextum recepit Dindorf. qui tamen postea praeferendum ἥ δὴ censuit. ἁπασῶν Flor. C. D. Par. B. ἁπασάων Par. A. C. F. Ald. Frob. Bas. Trinc. ἁπασῴων Iunt. 2.

vs. 80. ἥ γὰρ καὶ, ut habent Dio Chrysost. Or. II. de Regno T. I. p. 80. et Themistius Or. IX p. 122. D. quodque firmare videtur Aristides T. II. p. 98, exhibent etiam Codd. tantum non omnes et Edd. usque ad Lectium, qui primus ἣ μὲν γὰρ edidit, ut legitur apud Stobaeum l. c. Placuit hoc inde Graevio et paucis quibusdam aliis. Apud Plutarchum T. II. p. 746 D. p. 801 E. ante βασιλεῦσιν est δὴ, priore loco extra versum, posteriore ut pars versus editum. αἰδοίῃσιν Flor. D. Trinc.

vs. 81. Pro τιμήσουσι, quod habet cum Dione, Aristide, Stobaeo ll. cc. Themistius Or. XXXI extr. apud eundem Or. IX l. c. τιμήσωσι legitur, pariterque hoc exstat in Par. B. Flor. F. (ex correctione) et Dionis MSS. Morelli, potestque accommodatum id videri ad sequens ἐσιδῶσι; itaque recepit post Dindorfium Goettlingius, neque improbavit hoc Hermannus. Mihi retinenda visa altera plurimorum Codicum lectio, cum habeat magis definitam mansuri quoque in posterum his regibus honoris promissionem.

vs. 82. γιγνόμενον Aristides, sed ibi Coisl. γινόμενον, ut habent Themistius, Stobaeus, Flor. A. Frob. Iunt. 1. 2. Ceteri SS. et Edd. γεινόμενον. Conf. Heyn. ad Il. Τ 128. τ' ἐπίδωσι Flor. E. Paull. Par. C. τε'ίδωσι Stobaeus.

vs. 83. τοῦ μὲν Themistius. γλώσσης Par. D. γλώσσην Aristidis Coll. nova et Bar. 7. χεύουσιν Flor. B. ut Aristides et Themistius, sed Aristidis Cod. Coisl. et Coll. nova χείουσιν, quae forma est antiquior. χύουσιν Par. F., sed cum ει superscripto; προχέουσιν Stobaeus; ἀοιδὴν Aristides, Stobaeus, Flor. A. D. F. Ven. Par. A. B. E. H. Bodl. margo, Ald. et antiquiores Edd. omnes. At ἔέρσην Themistius, Flor. B. C. E. Neap. Taur. Vat. Goettl. et meus, Bodl. Rehd. Par. D. F. G. I. et sic Scholiastes legerat. Hoc a Graevio probatum primus in contextum recepit Clericus, quem secuti sunt recentiores. Attamen Wolfius disputatis a Graevio *quid regibus cum cantilena* obiici posse Achillis censuit exemplum. Sed recte animadvertit Muetzellius p. 286 proximos versus nullam cantationum h. l. cogitationem admittere. Quod autem ipse ἀοιδὴν interpretatur *Orationem numerosam atque temperatam* vellem eius

τοῦ δ' ἔπε' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα· οἱ δέ νυ λαοὶ
πάντες ἐς αὐτὸν ὁρῶσι διακρίνοντα θέμιστας
ἰθείῃσι δίκῃσιν· ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύων
αἶψά τε καὶ μέγα νεῖκος ἐπισταμένως κατέπαυσε.
τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
βλαπτομένοις ἀγορῇφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι
ῥηϊδίως, μαλακοῖσι παραιφάμενοι ἐπέεσσιν·
ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ θεὸν ὡς ἱλάσκονται

VARIAE LECTIONES.

hac significatione vocabuli exempla ex epicis protulisset; quodque ἐέρσην elegantiam esse putat serioris aetatis, temere ab illa in Hesiodum invectae, potest contra aliquis censere, ἀοιδὴν glossam esse invectam ab eo, qui poëtae mentem haud satis perspectam haberet. Me quidem iudice et convenientius dicitur χείουσιν ἐέρσην, quam χείουσιν ἀοιδήν, quacunque significatione hoc vocabulum accipias et optime iunguntur τῷ μὲν ἐπὶ γλωσσῇ γλυκερὴν χείουσιν ἐέρσην (*dulcem rorem* s. *roscida mella affundunt linguae*) et τοῦ δ' ἔπε' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα.

vs. 84 Ἔπη ἐκ στ. Stobaeus. In plerisque Aristidis libris Ἔπε' excidit; in uno est τοῦ δ' ἄρα ἐκ στ. οἱ δέ τε λαοὶ Aristides et Themistius.

vs. 85. εἰς αὐτὸν Flor. D. Vat.

vs. 86. ἠθείῃσι Aristidis Cod. Bar. 7 et Coll. nova; τηθείῃσι Taur. margo. δίκῃσι Steph. ὁ δ' ἀτρεκέως Aristides, quem hinc colligas de memoria citasse; nam vulgatam cum Stobaeo omnes habent Codd.

vs. 87. κατέπαυσεν Flor. A. Vat. κατάπαυσε Trinc.

vs. 88. τοὔνεκεν ἄρ' Aristides T. II. p. 99. Οὕνεκα γὰρ Ald. οὕνεκεν ἄλλοις Stobaeus XLVI. p. 326. sed οὕνεκα λαοῖς LXXIV. p. 468. λαοῖσι Par. A. Ald. Bas. Trinc.

vs. 89. ἀγορῆς Par. C. τελεῦσιν Flor. A. τελοῦσι Aristides.

vs. 90. παραφάμενοι Aristidis Coll. nova, Bar. 7. Ald. Frob. Bas. Iunt. 1. 2 Trinc. παρεφάμενοι Bodl. ἐπέεσσι Flor. B. D.

vs. 91. θεὸν θ' ὡς Flor. A. Ven. ut Trinc. Ceterum Codd. mei omnes versum, ut edidimus, exhibent. Vnus Par. F. in margine additum habet γρ. ἀγῶνος. Voluit ἀγῶνα, quemadmodum Scholia habere librarius viderat. In Basil. quoque reddidit interpres *incedentem vero per coetum populi*, citatque Coelius Rhodiginus Lectt. Antiq. XVIII. 3. ut Hesiodi ἐρχόμενον δ' ἀν' ἀγῶνα. Hanc, quam Scholiastes ut meliorem lectionem affert, agnoscit quoque et quodammodo firmat Schol. Mosquensis ad Il. Ω. 1. p. 627. Ed. Bekk. παρὰ δὲ Βοιωτοῖς ἀγὼν ἡ ἀγορὰ καὶ τὸν ἀγορανόμον ἀγωνάρχον καλοῦσιν· ὅθεν καὶ ἀγωνίους θεοὺς Αἰσχυλος τοὺς ἀγοραίους καὶ Ἡσίοδος· Ἐρχόμενος (sic) δ' ἀν' ἀγῶνα. Leguntur eadem ferme, sed sine Hesiodi mentione, apud Schol. Ven. ad illum locum (Villois. p. 515 a) et Eustath. p. 1335. 37. seqq.

αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισιν·
οἵά τε Μουσάων ἱερὴ δόσις ἀνθρώποισιν·
ἐκ γὰρ Μουσάων καὶ Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο

VARIAE LECTIONES.

Praeferendum hinc *ἀν' ἀγῶνα* duxit Graevius ad h. l. et Sc. 312. Mihi quidem, ut Muetzellio p. 339. 387 seq. illud certum esse videtur *ἀν' ἀγῶνα* doctae antiquitatis memoria a multis et probatis auctoribus fuisse in Carmine sive lectum, sive repositum, quod etiam bene conveniat sequentibus: *μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισι*. Sed cum *ἀνὰ ἄστυ* non minus bonum sit et auctoritate Homerici exempli cum supra allati, tum Od. Π. 69 seq. confirmetur, hoc, quod tanto consensu Codd. offerunt et in suo exemplo Scholiastes iam invenerat, equidem haud temere deserendum duxi.

vs. 92. *πρέποι* Flor. D. Rehd. *ἀγρομένοισι* Flor. C.

vs. 93 et 94. inverso ordine exhibet Flor. D.

vs. 93. *οἵά τε* vel *οἵα τε* vel *οἷα τε* omnes fere Codd. *οἷα τε* etiam Ald. Frob. Bas. Iunt. 1. 2. Omissum *τε* in Flor. B. *οἷα τοι* Flor. A. *οἵα τοι* Ven. quod vitium hinc Triqcavellianam et alias bene multas Edd. occupavit. Simul duntaxat metri causa recipienda fuerat eiusdem Florentini Cod. lectio. *Μουσέων*, ut factum video a Boissonadio, tametsi vereor, ut *οἷα* posteriore longa sit Hesiodi. Conf. Sc. 1. *Τοίη Μουσάων*, quae Guyeti correctio est, in contextum recepta a Wintertono, Gaisf. Dind. probata etiam Lennepio ad Coluth. p. 51. Wolfio ad h. l. et Muetzellio p. 84. nullius, quod sciam, auctoritate Codicis firmatur. Attamen reditum iam a Bas. interprete *Tale Musarum ingens munus hominibus*, quem secuti hinc alii. Sed, vel si ille sic ex Cod. reddiderit, unius huius Codicis auctoritas non satis ponderis habet contra tantum aliorum consensum, ut pro *οἵα τε* substituamus *τοίη*, ac puto *οἵα τε* locum suum hic tueri posse. Conf. infra Comment.

vs. 94 abest a Paull. In Par. C. versum ad marginem scripsit idem librarius, qui Scholia. *ἐκ γάρ τοι Μουσάων* Schol. A. D. ad Il. A. 176. Ed. Bekk. Schol. minora ad eund. locum Ed. Ald. p. 17. B. Schol. Pindari ad Pyth. IV. 133. Nem. III. 1. Schol. Cantabr. et Ven. ad Theog. 30. Flor. B. C. D. Ven. Taur. Par. D. F. Bodl. Rehd. Iunt. 1. 2. quod ferri possit recepto *Μουσέων*, ut fecit Boissonadius: sed, excepto, quod in Cod. Gott. Scholiorum ad Pindari Pyth. l. c. item *Μουσέων* exstat, constans in Codd. et apud auctores citatos lectio est *Μουσάων*. Cum Themistio ll. cc. Eustathius p. 76. *ἐκ μὲν Μουσάων*: cui tamen variationi non nimium tribuendum puto: at Themistii utroque loco lectionem *καὶ Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο* in contextum recipere non dubitavi, cum vulgata *καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος* in digamma peccet, altera autem etiam apud Homerum clausula inveniatur Il. II. 85. T. 285. H. in Ap. 1. et aliis locis. Quod in Schol. Ven. et Par. ad Th. 30. legitur *καὶ Ἑλικωνίου* Απ. scribentis error censendus est.

ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπὶ χθόνα καὶ κιθαρισταί·
ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες· ὁ δ' ὄλβιος, ὅντινα Μοῦσαι
φιλῶνται· γλυκερή οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή·
εἰ γάρ τις καὶ πένθος ἔχων νεοκηδέϊ θυμῷ
ἄζηται κραδίην ἀκαχήμενος, αὐτὰρ ἀοιδὸς
Μουσάων θεράπων κλεῖα προτέρων ἀνθρώπων
ὑμνήσῃ, μάκαράς τε θεοὺς, οἱ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
αἶψ' ὅγε δυσφρονέων ἐπιλήθεται, οὐδέ τι κηδέων
μέμνηται· ταχέως δὲ παρέτραπε δῶρα θεάων.

VARIAE LECTIONES.

vs. 95. ἔασσιν Flor. F. Ald. Frob. Iunt. 1. 2. Trinc. Habet etiam Par. C. supra ἔασιν scriptum σ. Scholia Veneta vocabulum omittunt ἐπὶ χθονὶ, probatum Guyeto ad h. l. et Hermanno praef. ad Hymn. p. XIX., cum sit item in Hom. H. in Musas, exhibent Schol. ad Pindari Pyth. 1. c. Schol. Ven. ad h. l. et Cod. Par. C. Vulgatam tuitus est Schaefer. ad Longum p. 427. confirmantque eam similia Th. 187. 530. Ἔργ. 505. Neglexit haec vocabula in citatione Themistius, pariterque Eustath. l. c. Apud Cornutum c. 32. sic exstat versus ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπιχθόνιοι βασιλῆες. Scilicet Cornutus, ita versum citans, memoria magis tenebat ea, quae versum antecedunt, quam, quod proxime sequitur, ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. Cornutum expressit Eudocia p. 9.

vs. 96. ἐκ Διὸς omisso δὲ Flor. D.

vs. 97. φιλῶνται, quod cum Dind. recepimus, probatum I. H. Vossio et Hermanno ad Hom. H. in Cer. 117 exhibent Flor. A. C. D. E. (etiam B, sed ex correctione manu antiqua ex φιλεῦνται) Ven. Paull. Taur. Vat. meus et Goettl. Par. D. E. H. Rehd. Ceteri, ut vulgo Edd. φιλεῦνται, pro quo iam Mitscherlich. ad H. in Cer. l. c. scribendum censuerat φίλονται, quod prima in φιλέω, ομαι fere brevis, in φίλομαι autem longa sit. Accedit, quod φιλεῦνται passivam, ut formam, ita significationem habet, cum φίλεσθαι activa significatione comprobet Homericum ἐφίλατο Il. E. 61. Stobaei Codd. pari ut hic, discordia alii φιλῶνται, alii φιλεῦνται. Sed H. in Musas 3 Codd. omnes φίλωνται.

vs. 98. νεοκιδέϊ Par. A. νεομηδεῖ Rehd.

vs. 99. ἄζηται Rehd. ἀκεχήμενος Par. H. Iunt. 1. 2. ἄταρ Flor. C. Par. D. Rehd.

vs. 101. ὑμνήσει Flor. A. E. F. Ven. Taur. Par. E. H. I.

vs. 102. αἶψα δ' ὅγε δυσφρονέων Flor. D. αἶψα τε δυσφορέων Par. D. αἶψα τε δυσφρονάων Vat. quasi esset a δυσφρονή, de quo cogitasse etiam Virum Doctum video in notis penes me MSS. δυσφροσυνέων Flor. B. E. Par. C., quod ortum esse e glossa potest. Idem Flor. E. ἐπιλήθεται, quasi ἐπὶ suspectum habens. οὐκέτι κηδέων Par. B. F.

vs. 103. ταχέως γὰρ παρέτρεπε Par. B.

Χαίρετε τέκνα Διὸς, δότε δ' ἱμερόεσσαν ἀοιδήν·
κλείετε δ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων,
οἳ Γῆς ἐξεγένοντο καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
Νυκτός τε δνοφερῆς, οὓς θ' ἁλμυρὸς ἔτρεφε Πόντος.
Εἴπατε δ' ὡς τὰ πρῶτα θεοὶ καὶ γαῖα γένοντο,
καὶ ποταμοὶ καὶ πόντος ἀπείριτος οἴδματι θύων,
ἄστρα τε λαμπετόωντα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
οἵ τ' ἐκ τῶν ἐγένοντο θεοὶ, δωτῆρες ἐάων,
ὥς τ' ἄφενος δάσσαντο καὶ ὡς τιμὰς διέλοντο,
ἠδὲ καὶ ὡς τὰ πρῶτα πολύπτυχον ἔσχον Ὄλυμπον.
Ταῦτά μοι ἔσπετε Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι
ἐξ ἀρχῆς, καὶ εἰπαθ' ὅ, τι πρῶτον γένετ' αὐτῶν.

VARIAE LECTIONES.

vs. 106. *οἳ Γῆς τ'ἐξεγένοντο* Flor. B.

vs. 107. *Νυκτός τε δνοφερῆς* maluimus cum Gaisf. Dind. Goettl. oblatum a Theophilo ad Autol. II. 6. p. 85. Flor. A. C. Vat. meo et Goettl. Taur. Par. A. B. C. D. F. Bodl. Ald. Bas. Trinc. Steph. *νυκτός τε καὶ δν.* Iunt. 1. *νυκτὸς δὴ δν.* Par. I. *Νυκτὸς καὶ δν.* Flor. B. E. Opor. Heins. Graev. ceterique ante Gaisf. *οὓς δ'ἅλμυρος* Par. H. Iunt. 1. 2. Frob. *οὓς ἅλμυρος* Theophilus Flor. E. Par. B. I. Bodl. *ἔτρεπε* Iunt. 1. 2.

vs. 108. *εἶπετε* Med. in meorum Florentinorum nullo repperi. *θ'ὥς* Par. H. Frob. *γένοιτο* Par. A.

vs. 109. *οἴδμασι* Flor. D. *οἴδματα* Par. H. *οἶδμα τε πόντου* Origenes in Philos. c. 26 p. 174.

vs. 110. *ἄστρα τε λεπτήεντα* sive *λεπτόεντα* Origenes l. c. vide Supplementum Ed. Wolfianae p. 48.

vs. 111. omissus est ab Origene, vel potius librariorum socordia praetermissus in citatione, cum ad narrationem absolvendam omnino requiratur, *δοτῆρες* Par. C. E. Vat. Rehd. Iunt. 1. 2. *ἑάων* Par. I.

vs. 112. *ὥστ' ἄφενος* Par. A. C. Vat. Ald. *ὡς στέφανον δάσαντο* Origenes l. c. Nam *λάσαντο* ibi merus est I. Gronovii error, testo Salvinio Supplem. l. c. In *ὡς στέφανον* latet fortasse *ὡς τ'ἄφενον*, ut habet Flor. D. Idem et B. *δάσαντο*, ut Origenes. Mox *καὶ ὡς* Par. A. C. E. Ald.

vs. 113. etiam *ὡς* Vat. Ald.

vs. 113. *καὶ ἔπειτα ὅτι περ πρῶτον γένετ' αὐτῶν* Origenes l. c. quibus Muetzell. p. 392. eum dissolvisse poëtae orationem statuit, cum Iac. Gronovius in iis veram ac veterem lectionem censuisset *καὶ ἔπειθ' ὅτι πρῶτον γένετ' αὐτῶν*, qua recepta evitaretur ineptissima et inutilis abundantia vs. 108 *εἶπατε*, vs. 114 *ἔσπετε*, vs. 115 *εἰπαθ'*. Sed *ἔπειτα* multo magis hic ineptum est. *εἰποθ' ὅ, τι* Par. A. I. Ald. Bas. *γένεθ'* Vat.

καί με κέλονθ' ὑμνεῖν μακάρων γένος αἰὲν ἐόντων,
σφᾶς δ' αὐτὰς πρῶτον τε καὶ ὕστερον αἰὲν ἀείδειν·
ἄλλα τίη μοι ταῦτα περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην;
Τύνη, Μουσάων ἀρχώμεθα, ταὶ Διὶ πατρὶ
ὑμνεῦσαι τέρπουσι μέγαν νόον ἐντὸς Ὀλύμπου,
εἰρεῦσαι τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα,
φωνῇ ὁμηρεῦσαι· τῶν δ' ἀκάματος ῥέει αὐδὴ

VARIAE LECTIONES.

ex corr.) Bodl. Vat. Goettl. et sic Ald. Frob. Bas. Iunt. 1. 2. κλύοιμι Par. F. ἵνα, quod apud Aristidem legitur, Codd. fere omnes exhibent, ut Ald. Frob. Bas. Iunt. 1. 2. Steph. margo. Quod autem post Trincavellum plerasque Edd. occupavit, probatum item Guyeto, ὥστε κλύοιμι legitur in Ven. Flor. A. Par. C. ὄφρα κλύοιμι in Flor. B. Correxit ὡς κλείοιμι Stephanus, adoptarunt hoc deinceps Robins. Wolf. Gaisf. Boisson. Dind. Goettl. Quod in omnibus Edd. est θείην, exstat item in Florentinis meis omnibus, Vat. Par. A. D. E. G. H. I. sed est θεῖαν in Parisinis reliquis, Neap. Bodl. R. S. et hoc postulat sequens ἵνα; cumque ἰθεῖαν dixerit Hesiodus Ἔργ. 224, potest etiam h. l. dixisse θεῖαν. Apud Aristidem et Lucianum ll. cc. eius, ni fallor, explicatio est θεσπεσίην: nam paullo fervidius Muetzell. p. 378 ita reperisse eos in suo Hesiodi exemplo statuit, itaque veram esse lectionem; ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν Θεσπεσιὴν κλείειν ἅμα τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα. Speciosum quidem est argumentum ex Aristidis καὶ θεσπεσιὴν παλὶν αὖ προσέθηκε ductum, sed ipse Aristides ut Hesiodea citat ἵνα κλείοιμι, ante quae θεσπεσιὴν stare non potuit, habentque optativum et τά τ' ἐσσόμενα, ut Aristides, nec non Lucianus, sic omnes Hesiodi Codd. quorum ne unus quidem θεσπεσιὴν exhibet. τά τ' ἐσόμενα Flor. C. τὰ πρό τ' ἐόντα Par. B. πρῶτ' ἐόντα Par. G. πρῶτα ἐόντα Rehd.

vs. 33. καὶ μ' ἐκέλονθ' Flor. A. B. Par. C. καί μ' ἔκέλον θ' Trinc. καί με κέλον θ' Frob. Bas. καί μ' ἔθελον θ' Bodl. ἀϊόντων Flor. D.

vs. 34. abest τε a Flor. C. F. Par. F. ὕστατον, quod ab Wolfio commendatum in contextum recepit Dindorfius, Codicum unus exhibet Flor. D. sed correctum manu antiqua ex ὕστερον. Hermannus in cens. Goettl. Dindorfii factum probans, in rebus constante usu firmatis nihil esse debere momenti ait in Codicibus praesertim Hesiodi. Mihi contra non recedendum videtur a lectione, quam a vulgari consuetudine diversam tot numero Codices tuentur. ὕστατον quidem librariorum, opinor, nemo facile in ὕστερον mutasset. αἰὲν abest a Taur.

vs. 36. τήνη vitium est Frobenianae.

vs. 37. ὑμνευσῦσαι Frob. μέγα νόον Flor. C. αἰὲν Ὀλύμπου Trinc. incertum, an ex Codicc.

vs. 38. εἰρεῦσαι ex εἰρεῦσαι Par. I.

Χαίρετε τέκνα Διὸς, δότε δ' ἱμερόεσσαν ἀοιδήν·
κλείετε δ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων,
οἳ Γῆς ἐξεγένοντο καὶ Οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
Νυκτός τε δνοφερῆς, οὓς θ' ἁλμυρὸς ἔτρεφε Πόντος.
Εἴπατε δ' ὡς τὰ πρῶτα θεοὶ καὶ γαῖα γένοντο,
καὶ ποταμοὶ καὶ πόντος ἀπείριτος οἴδματι θύων,
ἄστρα τε λαμπετόωντα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
οἵ τ' ἐκ τῶν ἐγένοντο θεοὶ, δωτῆρες ἐάων,
ὥς τ' ἄφενος δάσσαντο καὶ ὡς τιμὰς διέλοντο,
ἠδὲ καὶ ὡς τὰ πρῶτα πολύπτυχον ἔσχον Ὄλυμπον.
Ταῦτά μοι ἔσπετε Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι
ἐξ ἀρχῆς, καὶ εἴπατ' ὅ, τ πρῶτον γένετ' αὐτῶν.

VARIAE LECTIONES.

vs. 106. *οἳ Γῆς τ'ἐξεγένοντο* Flor. B.

vs. 107. *Νυκτός τε δνοφερῆς* maluimus cum Gaisf. Dind. Goettl. oblatum a Theophilo ad Autol. II. 6. p. 85. Flor. A. C. Vat. meo et Goettl. Taur. Par. A. B. C. D. F. Bodl. Ald. Bas. Trinc. Steph. *νυκτός τε καὶ δν*. Iunt. 1. *νυκτὸς δὴ δν*. Par. I. *Νυκτὸς καὶ δν*. Flor. B. E. Opor. Heins. Graev. ceterique ante Gaisf. *οὓς δ'ἅλμυρος* Par. H. Iunt. 1. 2. Frob. *οὓς ἅλμυρος* Theophilus Flor. E. Par. B. I. Bodl. *ἔτρεπε* Iunt. 1. 2.

vs. 108. *εἴπετε* Med. in meorum Florentinorum nullo repperi. *θ'ὡς* Par. H. Frob. *γένοιτο* Par. A.

vs. 109. *οἴδμασι* Flor. D. *οἴδματα* Par. H. *οἴδμα τε πόντου* Origenes in Philos. c. 26 p. 174.

vs. 110. *ἄστρα τε λαμπτήεντα* sive *λαμπτόεντα* Origenes l. c. vide Supplementum Wolfianae p. 48.

[illegible] ab Orig[illegible]

in citatione, cum ad narrationem absolvendam omnino requiratur, *δοτῆρες* Par. C. E. Vat. Rehd. Iunt. 1. 2. *ἐάων* Par. I.

vs. 112. *ὥστ' ἄφενος* Par. A. C. Vat. Ald. *ὡς στέφανον δάσαντο* Origenes l. c. Nam *λάσαντο* ibi merus est I. Gronovii error, teste Salvinio Supplem. l. c. In *ὡς στέφανον* latet fortasse *ὥς τ'ἄφενον*, ut habet Flor. D. Idem et B. *δάσαντο*, ut Origenes. Mox *καὶ ὡς* Par. A. C. E. Ald.

vs. 113. etiam *ὥς* Vat. Ald.

vs. 115. *καὶ ἔπειτα ὅτι περ πρῶτον γένετ' αὐτῶν* Origenes l. c. quibus Muetzell. p. 392. cum dissolvisse poëtae orationem statuit, cum Iac. Gronovius in iis veram ac veterem lectionem censuisset *καὶ ἔπειθ' ὅτι πρῶτον γένετ' αὐτῶν*, qua neptia evitaretur ineptissima et inutili abundantia vs. 108 *εἴπατε*, vs. 114 *ἔστιν*, vs. 115 *εἴπαθ'*. Sed *ἔπειτα* nobis magis *hic* ineptum est. *τοῦ δ*, ο Par. A. I. Ald. Bas.

Ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου,
Τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης,
ἠδ' Ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθάνατοισι θεοῖσι,

VARIAE LECTIONES.

vs. 116. Πάντων μὲν πρώτιστα scripsit Aristoteles Metaph. I. 4. Physic. Auscult. IV. 1. quem locum transscripsit Iustinus Martyr. Aristot. Dogm. Avers. p. 131. Omnium, quod sciam, Hesiodi Codicum lectionem ἤτοι confirmant versum citantes Cornutus c. 17. Plutarch. Conv. Quaest. V. 5. p. 678. F. Aquinc, an Ign. p. 955 E. Sext. Empir. P. II. III. 16. S. 121. 123. adv. Phys. I. 6. 7. II. 11 et 18; Achilles Tat. Isag. ad Arat. c. 3. Origenes Philos. c. 26. p. 177. Clemens Romanus Hom. IV. 3. Theophilus ad Autol. II. 5. p. 90. Stobaeus Edd. Phys. I. 10. Proclus et Philo apud Lobeck. Aglaoph. p. 470 seq. Simplicius ad Aristot. de Coelo I. 364. B. Cod. Taur. apud Peyron. Empedoclis et Parmenidis fr. p. 16. Videtur mihi quidem cum P. Petito Misc. Obs. c. 18. Aristoteles πάντων scripsisse non, quod sic in suo Hesiodi exemplo invenisset, sed ut rebus antecedentibus, quae ab omni parte declarant poëtae iudicium, brevitatis causa praetermissis, leni mutatione omnem eius sententiam illustraret. In Schol. ad Il. Σ, 246. πάντων πρῶτον non nisi explicatio est τοῦ πρώτιστα. Eodem modo locutus Aristoteles de Xenophane c. 1. Conf. Muetzell. p. 396. ἤτοι μὲν γὰρ πρῶτα Sext. Emp. P. II. l. c. Sed, ut alii, ἤτοι μὲν πρώτιστα adv. Physic. l. c. Pro γένετ' in Bodl. est γίνετ'.

vs. 117. Γαῖα δ' εὐρ. Bodl. ἕδος Par. B. G. H. I. Rehd.

vs. 118. ἀθανάτων τοι Cornutus l. c.

vs. 119. Τάρταρα τ' εὐρυόδοντα vitiose in citatione loci scriptum est apud Cornutum p. 173. Sed est ἠερόεντα ibid. seq. pag. Apud Stobaeum l. c. (p. 20 Ed. Heeren) item vitiose nonnulli exhibuerunt ἠρέοντα. Apud Origenem autem l. c. ἠνεμόεντα varia videri lectio potest. Sed omnes Hesiodi Codd. h. l. constanter ἠερόεντα habent, firmantque lectionem hanc Th. 682. 721. 736. 807. et cum Cornuto ac Theophilo Plutarch. de Primo Frigido p. 984 F. Adde etiam citatos a Muetzellio p. 400. Schol. Ven. ad Il. A. 312. Eustath. p. 108. 23. Etym. M. p. 520. 31. Choeroboscus in Etym. Gud. p. 314. 15. μυχῶν Flor. A. Bodl. Trinc. Voluerunt, puto, μυχὸν, ut legisse videtur Cornutus p. 174. scribens τὰ ἠερόεντα Τάρταρα, ἃ δὴ μυχὸν γῆς ὠνόμασεν ὁ προειρημένος ποιητής. Eandem ex optimis Stobaei Codd. lectionem produxit Heeren. l. c.

vs. 120. Aristoteles Metaph. et de Xenophane ll. cc. sic citat: ἠδ' Ἔρος, ὃς πάντεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισιν, quod Muetzellius p. 402. non dubitat, quin pro verae discrepantiae exemplo habendum sit. Mihi videtur Aristoteles de memoria citasse, dicti sensum magis, quam verba recordatus. Sext. Empiricus quidem, in ceteris Aristotelem

λυσιμελὴς, πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων
δάμναται ἐν στήθεσσι νόον καὶ ἐπίφρονα βουλήν.
Ἐκ Χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο·
Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐξεγένοντο,
οὓς τέκε κυσαμένη, Ἐρέβει φιλότητι μιγεῖσα.

VARIAE LECTIONES.

exprimens l. c. versum posuit, ut eum exhibent tum Codd. quod sciam, omnes, tum etiam Cornutus, Origenes, Theophilus, Stobaeus. Ἔρως e vulgari usu Par. 1. Rehd.

vs. 122. δάμνα τε Vat. Codices autem Origenis Mediceum et Taurinensem δαμνᾶ τε exhibere auctor est Salvinius Supplement. ad Wolf. p. 48. Puto equidem δάμνα τε Vaticani ortum esse ex pronunciatione τοῦ ται in δάμνανται, quae librarium dictata excipientem in errorem induxerit: quod cum item passus esset operam Origeni dans librarius, postea factum esse, ut solertior alius scripturam manifesto vitiosam correxerit δαμνᾶ τε, laborante tamen sic versu, cui medela porro facienda erat scribendo δαμνᾶ τ' ἐν στήθεσσι, ut scribendum statuit Hermannus in Cens. Goettl. citans Od. Λ. 221. atque idem praecedente versu πάντων τε θ. π. τ' ἀνθρ. e λυσιμελὴς nectens, ut sane tum nectenda sunt. An sic voluerit Bas. interpres, dubitari potest. Certe δάμναται legit, non δαμνᾶ τ', reddens *domat*, non *domatque*. Varia autem est in antiquis Edd. interpunctio. Ald. et Trinc. post θεοῖσι vs. 120. maiorem distinctionem habent, versu 121. comma post λυσιμελὴς, non post ἀνθρώπων; Basil. autem comma post θεοῖσι, ut item in vs. 121 post θεῶν et ἀνθρώπων. Ab Iuntinis et Frob. omnis interpunctio abest. Commoda quidem secundum Ald. constructio est versuum 121 et seq. Sed incommode sic, servato δάμναται, tollitur nexus cum superioribus. Vulgo autem recepta interpunctio commodum satis omnium nexum exhibet, modo τε post prius πάντων non de more ad sequens τε referas, sed pro καὶ accipias, quod tamen durius fieri non temere dictum est ab Hermanno. Sed huius rursum rationi vereor ne hoc obstet, quod sine exemplo sic vocabulo λυσιμελὴς tribuitur vis substantivi, cum sit nomen mere adiectivum, tum in versibus Sapphûs et Archilochi apud Hephaest. p. 42. 90. Gaisf., tum Th. 911. Od. Υ. 57. Ψ. 343. Eurip. Suppl. 46. Itaque tuentibus Hesiodi Codd. tantum non omnibus cum imitato locum hunc Archilocho δάμναται, in vulgata quoque interpunctione loci acquiescendum mihi duxi. στήθεσι Flor. D. Pro ἐπίφρονα Cornutus l. c. ἐχέφρονα. Alterum epicum est et Hesiodeum.

vs. 123. Χάους Flor. C. Par. D. Rehd, ἐγένετο Par. I. ἐξεγένοντο Ald. Frob. Bas. Trinc.

vs. 124. abest a Flor. D. δ' αὖ Αἰθὴρ Flor. C. Rehd. τ' αὖτ' Αἰθὴρ Par. C. ἡμέραι legitur apud Ammonium v. ἡμέρα vitio non ipsius, sed librariorum; ἡμέρα apud Etym. M. p. 429, 25 seq. et Schol. Vratisl. ad Pindar. Ol. II. 38.

vs. 125. κισσαμένη Flor. A. B. Ald. κεκισσαμένη Trinc. κυσσάμενος Flor. D. κυσαμένη cum altero σ superaddito Par.

Γαῖα δέ τοι πρῶτον μὲν ἐγείνατο ἶσον ἑαυτῇ
Οὐρανὸν ἀστερόεντ', ἵνα μιν περὶ πάντα καλύπτῃ,

VARIAE LECTIONES.

C. Ceteri SS. et plerique Edd. *κυσαμένη*. Scribendum *κυσαμένη* recte praecepit Heyn. ad Il. Z. 26, quod *κύω praegnans sum*, unde *ἐγκύμων*, productum *υ* habuit. Recepere igitur iam Dind. et Goettl.

In vs. 126. Codicum nulla variatio est, nisi quod Flor. A. vitiose *Ἴσσον*. Rehd. *Ἴσον*. Sed *Γαῖα μέν τοι πρῶτον* Orio Etym. p. 118. 30. *Γαῖα δέ τοι πρώτιστον* Schol. ad Pind. Nem. VI. 1. *Γαῖα πρῶτα μὲν ἐγείνατο* Origenes l. c. *Γαῖα δέ τοι πρῶτον γείνατο* Scholia ad Arat. vs. 22. p. 270. deinde *Ἴσον αὐτῇ* Orio, *Ἴσον ἑαυτοῦ* Schol. ad Aratum l. c. Adfert tamen *ἑαυτῇ* scrupulum: quippe apud Hesiodum non nisi unum hoc exemplum exstat compositae pronominis reciproci formae; apud Homerum autem nusquam *ἑαυτῇ* vel *ἑαυτῷ* reperias; et, quod apud eum *ἑαυτὴν* Il. Ξ. 162. P. 551. probavit Zenodotus, id divisim scribendum Aristarchus aliique Veteres Grammatici censuerant. Vid. Apollon. Dyscol. de Pron. p. 102. f. de Synt. II. 18. p. 140 seq. Schol. ad Il. ll. cc. et A. 271. Eustath. p. 103, 22; p. 1202. 8. atque esse illud Homericae utique in pronominibus rationi convenientius, nemo, opinor, qui subtilem super his Apollonii disputationem legerit, inficias ibit. An autem Grammatici, quae Homerico sermoni scriptae erant consuetudinis leges, earumdem ad normam Hesiodea exegerint, nobis non tam exploratum videtur, ac visum est Muetzellio p. 406. Certum est in Hesiodeis multa observari potuisse ab Homericis diversa, nec potuisse aut certe debuisse Hesiodea semper ad Homericam normam exigi, quamobrem neque statim admittendum est, quod e Grammaticorum de Homericis iudicio collegit Muetzellius, *Ἶσον ἑαυτῇ* aut ferri h. l. non potuisse ab Aristarcho, Seleuco, Aristonico, si acceperant traditum; aut eo tempore nondum comparuisse in libris. Quid Aristarchus aliique memorati a Muetzellio Grammatici h. l. existimaverint, prorsus ignoramus et parum firmum est omne inde petitum argumentum. Didymus quidem, cuius sententia in Scholiis ad h. l. exstat, utique *Ἶσον ἑαυτῇ* legit, videturque mihi tum Cratetis disputatio in iisdem Scholiis, tum Zenonis Stoici de h. l. sententia apud Diog. Laërt. VIII. 48. satis ostendere, lectum etiam ab iis h. l. pronomen fuisse, quod *Ἶσον* referendum ad Terram argueret, quo referri non tam planum aut perspicuum est, si cum Muetzellio fuisse in libris statuas *Ἶσον ἁπάντῃ*, vel cum Hermanno in Cens. Goettl., item ad *ἑαυτῇ* offenso, *πάντοτε Ἶσον*. Nam potest sic *Ἶσος Οὐρανὸς* alia ratione, magis ad ipsum pertinente, accipi, ut dicuntur *νῆες ἴσαι* et *ἀσπὶς πάντοσ' ἴσῃ*. Tum pronomen quoque legit certe iam Cornutus, cuius vide explicationem p. 175. Attamen etiam mihi suspectum est *ἑαυτῇ*, cum, ut dixi, unum hoc eius formae apud Hesiodum et ex illa aetate exemplum exstet. Itaque fere est, ut a poëta profectum putem *αὐτῇ Ϝίσον* vel *αὐτῇ ἴσον*, quod a posterioribus ad morem sui temporis immutatum fuerit.

vs. 127. *δύναμιν περὶ πάντα καλύπτειν* Origenes. *καλύπτῃ* recepimus ex Orione et Schol. Pind. l. c. Cyrillo adv.

ὄφρ' εἴη μακάρεσσι θεοῖς ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί·
γείνατο δ' οὔρεα μακρὰ, θεῶν χαρίεντας ἐναύλους
Νυμφέων, αἳ ναίουσιν ἀν' οὔρεα βησσήεντα·
ἠδὲ καὶ ἀτρύγετον Πέλαγος τέκεν οἴδματι θῦον,
Πόντον, ἄτερ φιλότητος ἐφιμέρου· αὐτὰρ ἔπειτα,
Οὐρανῷ εὐνηθεῖσα, τέκ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην,
Κοῖόν τε, Κρεῖόν θ', Ὑπερίονά τ', Ἰαπετόν τε,

VARIAE LECTIONES.

Iulian. II. p. 53. Theophili Cod. Bodl. Hesiodeorum Flor. A C. Ven. Vat. Par. C. D. G. pro *καλύπτοι*, quod ab aliis Codd. oblatum Editiones vulgo occupavit. Familiaris est Hesiodo post *ἵνα* subiunctivus. Vid. infra v. 461. 2. 892. 3. Sc. 107. Ἔργ 461. 539. 626.

vs. 129. *οὔρατα* Par. H. Pro *θεῶν χαρ.* Origenes l. c. *ὅσα χαρ.* Sed cum Theophilo l. c. *θεῶν* Codd. Hesiodi omnes. Hermannus in Cens. Goettl. sequente *Νυμφέων*, *θεᾶν* scriptum fuisse coniicit. Exemplum equidem huius formae vereor ut apud epicos exstet: neque tamen dixerim Hermanno sine causa suspectum fuisse hoc loco *θεῶν*, cum de feminis epicorum sit *θεάων*.

vs. 130. *Νυμφάων* Flor. F. Vat. Par. A. B. E. F. H. Ald. Iunt. 1. 2. Bas. Frob. *Νυμφαίων* Origenes. *ἀντ' οὔρεα* Neap. Par. A. Ald. *μησσήεντα* Par. B.

vs. 131. *ἠδὲ καὶ*, quod habent Ald. Iunt. 1. 2. Bas. Frob. Trinc. restituendum duximus. Stephanus Η *δὲ*, incertum quo spiritu. Prima Heinsiana minor *ἡ δὲ καὶ*, quod temere postea receptum ab aliis. Namque, ut recte animadvertit Muetzellius p. 80 seq. *ἠδὲ καὶ* cum singulari vi dictum est, quemadmodum vs. 112, 113, 619 et aptius sic iunguntur haec cum superioribus, cum hic quoque sermo sit de prole, quam Terra ex se citra nuptias genuit. Consentit Hermannus in Cens. Goettl. Codicum certe Rehd. *ἠδὲ*. De ceteris affirmare id non ausim, cum in mihi facta collatione ad vulgatum in Edd. *ἡ δὲ* nihil variationis enotatum videam. *τέκεν* abest a Par. I. *τέκεν ἐν οἴδμ.* Vat. *οἴδμασι* Flor. B. *θύον* Rehd.

vs. 132. pro *ἐφιμέρου* Par. D. G. Rehd. *ἱμέρου*, Vat. *ἐφηνέρου*. Apud Cornutum p. 176 et in Gronoviano Origenis exemplo scriptum est *ἐφημέρου*. Scilicet, cum dictata haec a librariis exciperentur, confundi saepe vocales *η* et *ι* debuerunt.

vs. 133. *Οὐρανῷ δ' εὖν*. Flor. E. *τέκεν Ὠκ.* Flor. C. Par. D. Rehd.

vs. 134. *Κρεῖόν θ'* omnes Codd. tuentur, excepto, quod Par. B. *Κρεῖόν τ'*. Editionum autem solae Iuntinae *Κρεῖόν τ'*. In exemplo Mombritii nimis admota nomini copula fecit, ut bonus vir redderet *Creontem*. Firmant vulgatam Plutarchus de Plac. Philos. I. 6. p. 880. Origenes l. c. Cyrillus adv. Iulian. II. p. 53. C. Tum etiam a Veterum plerisque, Titanem hunc memorantibus, nomen *Κρεῖος*, vel *Κρῖος* scribitur, paucis Aristarchum secutis, qui, teste Etym. M. p.

135 Θεΐάν τε, Ῥείαν τε, Θέμιν τε, Μνημοσύνην τε,
Φοίβην τε χρυσοστέφανον, Τηθύν τ' ἐρατεινήν.
τοὺς δὲ μέθ' ὁπλότατος γένετο Κρόνος ἀγκυλομήτης,

VARIAE LECTIONES.

346, 41 *κριδς*, etiam cum Titan significaretur, scriptum voluit. Vide copiosius de his disputantem Muetzellium p. 189 seqq.

vs. 135. abest a Flor. D. Θιὰν Rehd. Ceterum Θεΐάν τε Ῥεΐάν τε cum Origene et Cyrillo omnes Codd. Hesiodi, neque aliter Edd. omnes usque ad Goettl. qui primus Θείην edidit, in hoc Dindorfio obsecutus. Id temere factum equidem arbitror cum Muetzellio p. 140. Θεῖα, *Dea*, per excellentiam sic dicta, numen fuit antiquioris Graeciae, cuius apud posteros obsoleto cultu minus inde frequens etiam memoria fuit. Itaque nomen etiam rarius usurpatum eo sincerius priscam formam retinuit, non, ut alia, constante et communi Graecorum cultu per varias tractum Graeciae dialectos, proque diversis iis diversum factum est: quam ob rem etiam in referente ferme Hesiodea versu, quod sub Orphei nomine citat Proclus apud Lobeck. in Aglaoph. p. 505, scriptum videmus Θείαν τε, subiecto Ῥείην τε, in quibus auctor priore nomine formam secutus videri potest, quam apud Hesiodum invenerat, aliis raro Deam illam memorantibus, posteriore autem sequi maluisse vulgarem seriorum poëtarum consuetudinem. Apud Homerum Il. Ξ 203. Ῥείας scriptum voluere Aristarchus et Aristophanes, teste Schol. Ven. A. ad illum vers., secundum quos Ῥεΐάν τε h. l. contra Dindorfium tuitus est Goettlingius, scribens recentiorum epicorum esse Ῥείην. Attamen Ῥείην invenias Il. in Cer. 442. Ῥείη H. in Ap. 93, ad quae provocans Herm. in Cens. Goettl. etiam hic cum Dindorf. Ῥείην, itemque Θείην scribi iussit; versu autem Th. 453 lectioni Ῥεῖα δ' ὑποδμηθεῖσα praeferendam statuit alteram Ῥείη δ' αὖ δμηθεῖσα. Certum est vers. 467 Ῥέην, vers. 634 Ῥείην omnium esse Codd. lectionem, quamvis ibi Ῥέαν, Ῥεῖα pariter ferri possint. At v. 625 Flor. D. Ῥεῖα. Equidem in re dubia non temere discedendum censeo ab auctoritate Codicum, neque sequendum in his constantiam, quam fortasse ne poëtae quidem ipsi sunt secuti. Quod enim Muetzellius in accuratissima ceteroquin super his disputatione p. 140 seqq. statuit formas Ῥέα et Ῥεία censendas esse Homeri proprias fuisse, contra Ῥέη et Ῥείη vindicandas esse Hesiodo ac poëtis serioribus, illud vereor ut tam certum sit, ac Viro Doctissimo videtur. Nam quidni tum Homero, tum Hesiodo licuerit, ut in diversis vocibus, ita subinde etiam in iisdem diversas sequi Dialectos? Ῥεΐάν τε Trinc. Goettl. Ceteri omnes rectius Ῥείαν τε.

vs. 136. Φοίβον τε Flor. E. Τηθὺν ἐρ. Flor. D. Par. C.

vs. 137. τοὺς δὲ μετ' ἀκρότατος Origenes. Vulgatam firmat Cornutus p. 178, apud quem, quod in Ed. Galei legitur ἁπλότατος, corrigendum est ex ipsius explicatione et Iodoci Velarei exemplari p. 159. ὁπλότητος vitium est Iuntinae 1, quod inde adoptavit etiam Frob. ἀγκυλομήτις Flor. E. Par. 1. ἀγκυλομήτ$^{η}_{ι}$ς Rehd.

δεινότατος παίδων· θαλερὸν δ' ἤχθηρε τοκῆα.
γείνατο δ' αὖ Κύκλωπας ὑπέρβιον ἦτορ ἔχοντας,
Βρόντην τε, Στερόπην τε, καὶ Ἄργην ὀβριμόθυμον,
οἳ Ζηνὶ βροντήν τ' ἔδοσαν, τεῦξάν τε κεραυνόν.
οἱ δ' ἤτοι τὰ μὲν ἄλλα θεοῖς ἐναλίγκιοι ἦσαν,

VARIAE LECTIONES.

vs. 139. *γείνατο αὖ* Rehd. *ὑπέρβιον ὕβριν* Flor. C. Par. D.

vs. 140. *Βρόντην τ' Ἀστερόπην τε* Flor. A. E. Ven. Taur. Par. B. I. Bodl. Trinc. cui formae praesidium esse videatur in Schol. ad Eurip. Alcest. pr. ubi de Pherecydis auctoritate traditur: *κτείνει (Ἀπόλλων) τοῦ Βρόντεω, καὶ Ἀστεροπέω καὶ Ἄργεω παῖδας.* Sed ibi Codd. Florentini duo *Στεροπέω*, firmantque h. l. vulgatam Nonnus ad Greg. Naz. fab. 73. Eudocia p. 263. Eustath. p. 1622, 50. nititurque Cyclopis nomen *Στερόπης* consensu tum Apollodori I. p. 1 et Hygini praef. p. 3. Staver. tum poëtarum Graecorum pariter ac Latinorum. Vid. Spanhem. ad Callim. H. in Del. 68. Muetzell. p. 224 seq. *Ἄρπην* Med. Vulgatam *Ἄργην* omnes mei Codd. tuentur, agnoscitque h. l. formam eam etiam Eustath. p. 906, 44. p. 1528, 36. monens de discrimine accentus in nomine proprio *Ἄργης* et adiectivo *ἀργής*. Vide illum etiam p. 1622, 50. Itaque *Ἄργος*, quod apud eum exstat p. 157, 4. errorem esse oscitantis puto librarii, quamvis hoc Cyclopis nomen habeant etiam Athenagoras c. xv. 8. Schol. ad Aeschyli Prom. 351. Schol. ad Euripid. Alc. 5. Hic certe locus ei formae non est, firmantque alteram Callim. H. in Dian. 68. Philostephanus apud Steph. Byzant. v. *Ἀτρήνη*, Nonnus Dionys. XIV. 60. Pherecydes, Eudocia, Nonnus ad Greg. ll. cc. *ὀμβριμοθύμων* Med. Flor. A. B. C. E. F. Vat. Par. B. E. F. H. I. Bodl. Iunt. 1. 2. Frob. quos secutus est Goettlingius, probante Hermanno, ita tamen, ut reiecta Goettlingii etymologia haud sane probanda, *τὸ βρῖ* vocis radicem esse, *μ* autem inter *ο* intensivum et *β* euphoniae causa inditum putet. Nobis Muetzellius p. 69. optime ex Sexto Empir. adv. Gramm. c. IX. p. 253 et Etym. M. 613. 23. demonstrasse videtur *ὄβριμος* veram et antiquam esse formam, itaque *μ* inditum recentioribus deberi. Conf. idem Muetzell. p. 150 seq.

vs. 141. Codd. in principio versus non variant, nisi quod *ἔδωκαν* Flor. E. Par. B. F. I. At Scholiasta Paris. ad Apollon. Rh. I. 730. citat *οἳ βρόντην τε Ζηνὶ δόσαν*, cui similem editi in Braubachiano exemplo varietatem affert Muetzell. p. 410. *οἳ βροντὴν Ζηνὶ ἔδοσαν*. Vulgatam autem tuetur editus in exemplis Stephani, Hoeltzlini, Brunckii, firmatque eam imitatio poëtae Orphici apud Lobeck. Aglaoph. p. 504. *οἳ Ζηνὶ βροντήν τε πόρον τεῦξάν τε κεραυνόν*. Mihi *Ζηνὶ* non incommode versus principio positum videtur. Conf. tamen Muetzell. d. l. *τεύξαν τε* Par. A. Ald. *τεύξαντι* Flor. C. *κεραυνοὺς* Par. D.

vs. 142. *οἵ δ' ἤτοι*, quod plane exhibent Flor. C. Vat. Par. D., cum Goettlingio secundum egregiam Hermanni dis-

μοῦνος δ' ὀφθαλμὸς μέσσῳ ἐνέκειτο μετώπῳ·
Κύκλωπες δ' ὄνομ' ἦσαν ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρα σφέων
κυκλοτερὴς ὀφθαλμὸς ἔεις ἐνέκειτο μετώπῳ.
ἰσχύς τ' ἠδὲ βίη καὶ μηχαναὶ ἦσαν ἐπ' ἔργοις.

VARIAE LECTIONES.

putationem ad H. in Ven. 226. recipiendum duxi pro vulgato *οἱ δή τοι*. De versu, quem pro hoc substitutum voluit Crates, vid. infra Commentar.

vs. 143. Qui apud Herodianum *περὶ μον. λεξ.* p. 18, 29 citatur versus *ὀφθαλμὸς δὲ ἓεις ἐν μέσῳ ἔκειτο μετώπῳ*, mihi, ut Goettlingio, videtur ab Herodiano citatus memoriter, confusis vv. 143. 145. non, ut Dindorfio placuit, habendus pro genuina versus 143 scriptura, si modo pro *μέσῳ* scribatur *μέσσῳ*, ut fecit, versu in contextum recepto, Boissonadius, vel, ut ipse vulgatae lectioni convenientius proponit, *μέσσῳ ἐνέκειτο μετώπῳ*. Verum *μοῦνος δ' ὀφθ.* omnes Hesiodi Codd. quodque hic post *δὲ* ingratissimum hiatum facit, *ἓεις*, in v. 145. commodiore loco positum agnoscunt Veterum bene multi. Conf. Muetzell. p. 411. *μέσῳ* Flor. C. E. F. Par. C. Rehd. Iunt. 1. 2. Frob. Trinc. *ἐνέκειτο* cum Goettl. pro vulgato *ἐπέκειτο* scribendum hic quoque duximus, oblatum a Ven. Med. Flor. A. B. C. D. F. Vat. meo et Goettl. Taur. Par. D. G. H. Iunt. 1. 2. *αἐκειτο* vitiose Trinc.

vs. 144. *δ' οὔνομ' ἔσαν ἐπ.* Par. C. Trinc. Melius ordine inverso Etym. M. p. 544. 7. *Κύκλωπες δ' ἔσαν οὔνομ' ἐπ.* pro quibus vitiose Schol. ad Od. I. 106. p. 313 Bekk. *δ' ὕσαν οὔνεμ' ἐπ.* In Flor. B. legitur *δ' οὔνομ' ἦσαν*. Ceteri omnes *δ' ὄνομ' ἦσαν* exhibent et sic Etym. Gud. p. 523. 43. et Havniensis liber apud Blockium ann. ad Etym. M. p. 377. *ἐπώνυμον* Hesiodi Codd., quod sciam, omnes: at *ἐπώνυμοι*, de quo Guyetus cogitavit, plane exhibet Etym. M. l. c. Vulgatum autem *δ' ὄνομ' ἦσαν ἐπώνυμον* recte iam Wolfius animadvertit confirmari locis Homeri Od. H. 54. T. 409. Quamvis enim ibi paulo diversa sit structura, certe tamen inde stabilitur *ὄνομ' ἐπώνυμον*, nec dubitandum, quin bona locutio sit *ἦσαν δὲ (κατ') ὄνομ' ἐπώνυμον Κύκλωπες*, *erant cognomine Cyclopes*, ut *Volteium nomine Menam* dixit Horatius. *Οὕνεκ' ἄρ' αὐτοῖς* Etym. M. et Gud. ll. cc.

vs. 145. *κυκλοτερεῖς* Vat. *ἓεις*, quod maior pars Codicum h. l. exhibet, firmant Apollon. de Adv. p. 557. 26. Bekk. Herodianus l. c. Schol. ad Callim. H. in D. 53. Eustath. p. 1055. 13; 1392. 36. Grammaticus Paris. Bastii ad Gregor. p. 675 et Bachmanni in Anecdot. II. p. 364. 31. *ἓεις* Par. I. *εἷς* Schol. ad Od. l. c. *ἓεις / εἷς* (sic) Par. F. *ἓην* Par. A. *ἓειν* Neap. Ald. *ἓης* Trinc. Steph. *οἷς* Flor. D. *ἓοις* Frob. *ἑοῖς ἐνέκειτο μετώποις* Natalis Comes Myth. IX. 8. *ἑῷ ἐνέκειτο μετώπῳ* Robortell. Annot. Virgil. p. 1448. Grut. Formam *ἓεις* post Hesiodum usurpavit poëta incertus Anth. Pal. CCCXLI. p. 404. Simile est *ἓης* Il. Π. 208. ubi vid. Eustath. et Heyn. Alia exempla *πλεονάζοντος τοῦ ε* habet Apollonius l. c.

vs. 146. *τ' ἰδὲ* Vat. ex iotacismo. *ἦσαν*

ἄλλοι δ' αὖ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο
τρεῖς παῖδες μεγάλοι καὶ ὄβριμοι, οὐκ ὀνομαστοὶ,
Κοττός τε, Βριάρεώς τε, Γύγης θ', ὑπερήφανα τέκνα.
τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀΐσσοντο
ἄπλαστοι· κεφαλαὶ δὲ ἑκάστῳ πεντήκοντα

VARIAE LECTIONES.

ἐπ' Ἔργοις peccat in digamma. Fuitne ἦν ἐπὶ Fέργοις, ut est v. 321. 825. ἦν pro ἦσαν?

vs. 147. Γαίης καὶ Οὐρ. Flor. A. Οὐρ. ἀστερόεντος Vat. Goettl. Flor. C., sed hic in margine ἐξεγένοντο.

vs. 148. μεγάλοι καὶ ὄβριμοι Codd. quod sciam, omnes. Attamen Hesiodeum esse cum Hermanno puto μεγάλοι τε καὶ ὄβριμοι. ὄμβριμοι Flor. A. B. D. E. F. Vat. Par. B. E. F. G. I. Bodl. Iunt. 1. 2. Frob. et sic cum Hermanno Goettlingius. Vide supra ad vs. 140. ἠδ' ante ὀνομαστοὶ antiqua manu correctum ex οὐκ ὀνομαστοὶ in Flor. B. habetque id etiam Par. B. Versum hunc et sequentem inverso ordine exhibent Par. D. Rehd.

vs. 149. abest a Par. G. Κοττὸς dicitur Κοτὸς apud Greg. Naz. Or. III. 3. p. 103. quem sequitur Elias Cretensis p. 382. D. Fortasse alteram formam poëticam habuerunt. Certum quidem est Κοτὸς *ira* et Κοττὸς Centimani nomen cognata esse origine vocabula. Codd. autem Hesiodi omnes Κοττὸς, ut item omnes Βριάρεώς τε nulla hic variatione. Sed Γύης, ut Iunt. 1. 2. Codd. exhibent Taur. Med. Flor. B. Par. H. traditque Muretus V. L. VI. 13. se quaedam optimae notae exemplaria, in quibus sic scriptum esset, vidisse. Variant Codd. etiam apud Apollod. I. init. p. 3. nec minus in Latinorum poëtarum libris, ubi nomen huius Centimani exstat. Vid. Heins. ad Ovid. Am. II. 1. 12. Bentl. ad Horat. II. XVII. 14. Γύης, quod post Lambinum et Schottum praestabilius hic visum est Hermanno in Ep. ad Creuzer. p. 83 et Buttmanno in Lexic. II. p. 271. in contextum recepit Goettlingius; sed alteram formam praeclare tuitus est Muetzell. p. 207. citatis Hesiodi Schol. ad h. v. et 617, 639. Io. Diacono in Alleg. Athenagora apud Lobeck. Aglaoph. p. 504. Hygino praef. p. 3. Palaephato c. 20. Schol. Flor. et Paris. ad Apoll. Rh. I. 1165. Schol. Platon. p. 532. Bekk. Gregorio Naz. et Elia Cret. ll. cc. Eudocia p. 29. 144. Etym. M. p. 768. Suida v. τριτοπάτορες, Schol. ad Nicandri Ther. 633. Schol. ad Aesch. Prom. l. c. Quod VV. DD. e nomine Lydiae regis et memorati apud Virgilium Aen. IX. 762. *Gygis* priore syllaba producta argumentum petunt, quo minus hic stare possit Γύγης, id nihili est, cum diserte Choeroboscus in Bekkeri Anecd. p. 1359 ex Herodiano (vid. Priscianus L. VI. c. 11. p. 257. scr.) Γύγης, Γύγου καὶ Γύγητος· ἐπὶ δὲ τοῦ γίγαντος· ὅτε δὲ ἐπὶ τοῦ βασιλέως τῆς Λυδίας λέγεται, σπονδειακόν ἐστι καὶ ἰσοσυλλάβως κλίνεται. Itaque Gigantis nomen non est spondiacum, sed priorem correptam habet.

vs. 150. ἐπ' ὤμων Med. Par. H. Iunt. 1. ἀΐσσοντο Flor. F. Par. H. Iunt. 1.

vs. 151. ἄπλατοι Flor. A. Ven. Par.

ἐξ ὤμων ἐπέφυκον ἐπὶ στιβαροῖσι μέλεσσιν·

VARIAE LECTIONES.

D. G. Trinc. Stephani margo, quod secuti Gaisf. Dind. Boisson. ἄπλαυστοι Taur. ἄπλαστοι cum Schol. ceteri omnes. In nullo est ἄπλητοι, quam formam hic et in aliis Hesiodi locis unice veram statuit Herm. in Cens. Goettl. At vero forma illa, quam in multis poëtae locis tuiti sunt librarii, cum hic a nullo retenta sit, videtur neque adfuisse hic antiquitus, unde nec temere nunc recipienda in contextum est. Ἔργ. v. 148 similiter Codd. multi mei et Lanziani ἄπλαστοι, plures ἄπλατοι, nullus ἄπλητοι. Itaque optio datur inter ἄπλαστοι et ἄπλατοι, quorum hoc equidem admittendum non censeo. Cum enim haud dispari vocis a πελάω repetendae significatione forma Ionica ἄπλητος saepius apud Hesiodum recurrat, videtur, ubi quibusdam in locis in forma variatur, id potius seriorum negligentiae, quam Hesiodi tribuendum esse inconstantiae. Quin Attici constanter ἄπλατος dixeriut, dubitandum non est, declarante id manifestius loco Sophoclis in Trach. v. 1093, ubi leo Nemeaeus dicitur ἄπλατον θρέμμα καπροσήγορον. Sed in Epicis, antiquioribus quidem, forma Ionica ἄπλητος item est, ut constanter retenta fuisse videatur. Restat ἄπλαστοι, quod h. l. maior pars Codicum exhibet. Interpretatum illud Scholiastam ἀπροσπέλαστοι secuti sunt Mombritius, Basil. Pasor. Heinsius, alii, reddentes *inaccessae*. Graevio placuit *magnae*, ut in Soph. Aiace v. 236 αἶσ' ἄπλαστος (al. ἄπλατος) in Schol. maior. expositum est μεγάλη. Schmidius primus reddidit *informes* voce a πλάσσω repetita. Vide Indic. Pasoris. Recentiorum similiter vocem acceperunt primum I. H. Voss. vertens *ungeschlacht*, postea Goettling. qui *informes*, denique Muetzell. p. 54. qui *prae magnitudine deformes* reddidit, hic quidem igitur partim etiam Graevianam rationem secutus. Verum enim vero, tametsi πλάσσω et πλαστὴ *fingendi* notione apud Hesiodum inveniantur, mihi tamen haud videtur Hesiodeum esse ἄπλαστοι significatione ea, quam ei supra memorati VV. DD. tribuerunt. Pariter ab his dissentiens Hermannus in Cens. Goettl. a πλάσσω ductum ἄπλαστοι nihil significare posse statuit nisi *nicht erdichtet*. Equidem illud, ab ea ductum origine, in epico nihil notare posse arbitror nisi *non manu fictae*. Sed neque causam video, cur a πλάσσω vox repetatur, posthabita Scholiastae, secutorumque eum antiquiorum interpretum ratione. Nam quidni sit ἄπλαστος contractum ex ἀπέλαστος? Non utar Hesychiano πλαστὰ, προσπελαστὰ, cum pro eo Photii Lexicon habeat πλατὰ, προσπελαστὰ et sic in ipso Hesychio restituendum esse suadeat vocabulorum ordo, neque provocabo ad Sophocleum in Aiace l. c. αἶσ' ἄπλαστος et Scholia ad eum minora ac Demetrii Triclinii ἀπέλαστος exponentia, cum sit ibi quoque alia lectio ἄπλατος, sed confirmabo syncopen simili apud Aesch. Prom. 722. Χάλυβες, οὓς φυλάξασθαί σε χρή· Ἀνήμεροι γὰρ, οὐδὲ πρόσπλαστοι ξένοις, ubi lectio πρόσπλαστοι a Scholiasta item exponitur προσπέλαστοι, nec, quod sciam, a quoquam sollicitata est, et videtur utique eo, quo Scholiasta voluit, accipi sensu debere, cum paulo ante v. 718. de alio item inhospitali populo di-

ἰσχὺς δ' ἄπλητος, κρατερὴ, μεγάλῳ ἐπὶ εἴδει.
ὅσσοι γὰρ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο,
155 δεινότατοι παίδων, σφετέρῳ δ' ἤχθοντο τοκῆϊ
ἐξ ἀρχῆς· καὶ τῶν μὲν, ὅπως τις πρῶτα γένοιτο,
πάντας ἀποκρύπτασκε, καὶ ἐς φάος οὐκ ἀνίεσκε,
Γαίης ἐν κευθμῶνι, κακῷ δ' ἐπετέρπετο ἔργῳ
Οὐρανός. ἡ δ' ἐντὸς στεναχίζετο Γαῖα πελώρη,

VARIAE LECTIONES.

ctum a poëta sit *οἷς μὴ πελάζειν*. Tum vero apud Homerum Il. M. 285. *προσπλάζον*, Od. Λ. 582. *προσέπλαζε* dicta pro *πρόσπέλαζον*, *προσεπέλαζε*, non temere, ut videtur, censuerunt Grammatici. Vid Apollon. Lex. in *πλάζεται*.

vs. 152. *ἐπιστιβαροῖσι μέλεσσι* Rehd.

vs. 153. *Ἴσχὺς τ' ἀπλ.* Med. Flor. A. B. C. F. Vat. Par. D. E. H. Frob. *ἰσχ. ἀπλ.* Flor. D. Par. C. Trinc. *ἁπλαστος* maior pars Codicum; sed *ἄπλαστος* Flor. D. Par. C. *ἄπλητος*, quod in Cod. regio Par. ab se inventum ait Ruhnk. ad H. in Cer. 83 in meorum nullo repperi. Sed sunt satis clara eius lectionis indicia in aliis Codd. Nam Bodl. *ἄπλητοι*, Flor. E. Par. I. *ἄπλετος*, Par. F. *ἄπλ$^{\xi}_{\alpha}$τος* (sic). *ἄπλητος* autem clare exhibent Iunt. 1. et 2, ad quam cum nulla enotata sit Medicei Cod. apud Gaisfordium varietas, videri potest etiam hic Codex eam offerre lectionem. Certe mihi quoque constantiae causa scribendum hlo *ἄπλετος* visum est cum Wolfio et Muetzellio p. 57. ut h. l. *Ἰσχὺς ἄπλητος* dicatur, quo sensu Sc. 230. *Γοργόνες ἄπλητοι*. Forma altera in maiori Codicum parte non dubito quin profecta sit a seriorum usu, quemadmodum etiam in Herodotum multae formae invectae sunt non Ionicae.

vs. 154. *ὅσσοι δὲ* Par. F. Muetzellius p. 95. legendum proponit *τόσσοι*: sed Codd. neque id, neque aliud quid in h. versu et seq. offerunt, quo facilior et plauior constructio fiat loci, de quo vid. infra Commentarius.

vs. 157. *πάντ$^{\omega\varsigma}_{\alpha\varsigma}$*. Sic eadem manu Flor. C. *ἀπεκρύπτασκε* Par. C.; *ἀποκρύπτεσκε* Flor. C. Ceteri omnes vulgatam agnoscunt. Simplex *κρύπτασκε* exstat apud Homerum Il. Θ. 272. *ἀνίησκε* SS. tantum non omnes et hinc Ald. Bas. Iunt. 1. 2. Trinc. Steph. Commel. Heins. Wintert. Robins. sed iam Pasor reponendum vidit *ἀνίεσκε*, recepitque hoc Graevius et sic, corrigentem Wolfium secuti, reposuerunt Gaisf. Boisson. Dind. Goettl. *ἀνίεσκεν* habet Flor. A. Simile est *μεθίεσκεν* apud Apollon. Rhod. III. 274. Mira quadam ratione Goettlingius, quamvis recepta altera lectione, *ἀνίησκε* ad Hesiodi posse referri censuit Dorismos. Certum est, ut huius laudari *τίθεσκε*, non *τίθησκε* in fragm. apud Etym. M. p. 21. 26.

vs. 158. *ἐπετέρπετο*, quod dedimus, exhibent Med. Vat. Par. E. Iunt. 1. 2. *ἐτέρπετο* Par. C. *ἐπέρτετος ἔργων* corrupte Etym. Gud. p. 317. 40.

vs. 159. *ἡδ' ἐντὸς* Par. C. Ald. *ἠδ' ἔντὸς* Frob. *στεναχίζετο*, ut scripsimus, habent Med. Flor. C. D. Par. G. H. Rehd. Iunt. 1. 2. Ceteri omnes *στονακίζετο*. Alterum

στεινομένη· δολίην δὲ κακὴν ἐπεφράσσατο τέχνην.
αἶψα δὲ, ποιήσασα γένος πολιοῦ ἀδάμαντος,
τεῦξε μέγα δρέπανον, καὶ ἐπέφραδε παισὶ Φίλοισιν.
εἶπε δὲ θαρσύνουσα, Φίλον τετιημένη ἦτορ·
Παῖδες ἐμοὶ καὶ πατρὸς ἀτασθάλου, αἴ κ' ἐθέλητε
πείθεσθαι, πατρός κε κακὴν τισαίμεθα λώβην
ὑμετέρου· πρότερος γὰρ ἀεικέα μήσατο ἔργα.

VARIAE LECTIONES.

praeferendum duximus, quod infra v. 858. *στενάχιζε* omnes scripti habent et v. 843. *ἐπιστενάχιζε* maior pars Codicum. Ceterum proba censenda est utraque forma. Namque, ut recte docuit Buttmann. Lexil. T. I. p. 215. a *στοναχὴ* ductum esse *στοναχίζω*, sic non minus vere Muetzell. p. 66. a *στενάχω*, *στεναχὴ* prodire posse censuit *στεναχίζω*.

vs. 160. *στεινομένη* omnes Codd., nullus, quod Seleuco placuit, *ἀχνυμένη*. *δολίην τε* Par. B. Scribendum Goettlingius suggerit *δολίην τε κακὴν τ' ἐ. τ. ἐπεφράσατο*. Flor. A. D. Vat. Par. C. Trinc. *ἀπεφράσατο* Bodl. *ἐφράσσατο* scribendum ait Goettlingius, quod Hesiodus non admisit Atticas correptiones, qua de re nos videre iubet Hermannum in Orphicis p. 756. Sed Hermannus, postquam docuerat correptiones huiusmodi, quoties vitari possent, ab antiquis magna cura declinatas fuisse, tamen ipse fatetur, in horum carminibus pauca quaedam earum exempla inveniri, de quibus dubium sit, ipsorumne negligentiae, an Criticorum malae sedulitati debeantur, atque, *Hesiodus*, inquit, *in Theogonia* v. 160. *secundam in ἐπεφράσσατο et v.* 632 *primam* in *Ὄθρυος corripuit*. Itaque Hermannus ibi non, ut in aliis Hesiodi locis, quos deinde citat, correctionem tentat. Puto equidem veram esse Hermanni doctrinam super illa veterum poëtarum cura; sed tamen hos ei non tam religiose addictos fuisse, ut eam nunquam neglexerint; certe nobis, ubi neglecta appareat, non continuo recurrendum esse ad correctionem. Hic quidem in *ἐπεφράσσατο* minime otiosa est praepositio.

vs. 161. *ποιήσασθαι* Par. G. Rehd. *ἐποίησατο* Taur.

vs. 162. *μὲν* (pro *καὶ*) *ἐπέφρ.* Trinc. *ἐπέφραζε* Flor. D. *φίλοισι* Vat.

vs. 163. *θαρσύνασα* Vat. *θρασύνουσα* Trinc.

vs. 164. *πατέρος* Par. A. *αἴκε θέλητε* Flor. A. Rehd. Frob.

vs. 165. *πείθεσθε* Flor. E. Bodl. R. S. *πατρός κε κακὴν τισαίμεθα λ.*, quam lectionem a Goettlingio, Hermanno, Muetzellio commendatam recepimus, Par. B. exhibet; *πατρὸς* etiam Par. D. Ald. Dind. Ceteri Scripti et Editi *πατέρος*: sed *π. μὲν κακὴν* Flor. B. *π. δὲ κακὴν* Med. Iunt. 1. 2. *πατέρος κακὴν* Taur. Reliqui omnes *π. γε κακὴν*. At vero *κε* syntaxis et sententia postulant. Facile autem a librariis sibi dictata scribentibus *γ* et *κ* confundi potuerunt, cuius rei exemplum exstat etiam infra v. 170.

vs. 166. *γὰρ* abest ab Iunt. 1.

Ὣς φάτο· τοὺς δ' ἄρα πάντας ἕλεν δέος, οὐδέ τις αὐτῶν
τῇ Ἥρᾳ, γεννήσειεν ἡ μὲν Ἥρα δὶ ἑαυτῆς Ἥφαιστον, ὁ δὲ Ζεὺς τὴν Ἀθηνᾶν κ. τ. λ. ubi Chrysippus, quid ἐν τῇ Θεογονίᾳ (vv. 886—901) scriptum sit, memorans, haud sane aliud carmen intellexit, quam quod nunc eo nomine exstat, quodque vulgo Veteres eo significarunt, *Theogonias* autem dixit vel, ut, me iudice, probabiliter Wolfius censuit, Theogoniae varia exempla, seu diversas τῶν γραφόντων editiones, aliter alias locum de Metide exhibentes, vel, ut Muetzellius vult p. 367, tum carmen illud, quod nunc superest, tum subiecta ei ἐν ἑτέροις, in aliis eiusdem generis, adscriptis Hesiodo, carminibus, quae Grammatici in universa Hesiodeorum collectione post Theogoniam proprie sic dictam collocaverant. Vide infra ad v. 929. Ceterum multitudinis numerum aliquando usurpatum fuisse in hac re Veteribus censuit etiam Graevius. Cum enim apud Lucianum in Icaromenippo c. 27. (T. II. p. 785) legatur: αἱ Μοῦσαι ἀναστᾶσαι τῆς τε Ἡσιόδου Θεογονίας ᾖσαν ἡμῖν, repositum voluit τὰς, *Deorum generationes*, ut redditum a Gesnero: sed neque Codicum auctoritate fulta, neque necessaria est emendatio, cum recte se habeat genitivus. Hesiodum *Deorum generationem unius libri opere complexum* ait Lactantius Div. Instit. I. 5. Sic et fabularum Ovidii Metamorphoseon enarrator Lactantius p. 788. Ed. Staveren. Hesiodi memorat *volumen, quod Deorum originem continet.* Sed Scholiastes Statii Lactantius s. Lutatius ad Theb. IV. 482. citat Hesiodum *in his libris, quos de Theogonia scripsit.* Fortasse quibusdam Grammaticis placuit Theogoniam in duo, tresve libros dispertiri, qui potuerunt, ex gr. alterius libri initium facere versum 886, tertii v. 967., vel et alterum Theogoniae librum censere ἡρωογονίαν, sive carmen de heroibus natis ex congressu Deorum cum feminis mortalibus, ut statuit Heynius in *Ind. Scriptorum ab Apollonio laudatorum* p. 358.

vv. 1—115., qui Theogoniae tanquam prooemium praemissi sunt, omnes suppositicios censuit Guyetus, nulla tamen durioris iudicii ratione reddita, quod fortasse in causa fuit, ut diu minus id curarent Viri Docti. Certe diu nemo illud vel probatum vel refutatum ivit. Primus Heynius in Diss. *de Theogonia ab Hesiodo condita* in Commentat. Götting. T. II. p. 152. in not. exordium Theogoniae ex pluribus rhapsodorum carminibus consarcinatum arbitrari se dixit. Deinde Guyeti, Heyniique iudicio subscripsit Ruhnkenius in Ep. Crit. I. ad vv. Th. 114, 115. Post hos in Editione sua Theogoniae Wolfius se videri sibi dixit in his versibus deprehendere eiusmodi prooemium, qualia olim rhapsodi, priusquam ad *aliorum* carmina recitanda progrederentur, a semet ipsis composita praemittere solerent, teste Pindaro Nem. II. pr. ibique Schol. *nisi dicere malis*, inquit, *ex pluribus eius generis carminibus haec conglutinata esse, neque integra nunc haberi. Hiant enim inter se sententiae; abrupta sunt non pauca; alia ab Homero mutuata sunt, eademque mox aliis atque aliis modis variata.* Heynius in subiuncta illi editioni Epistola ad Wolfium, hactenus in edita quondam ab se sententia perstitit, ut diceret, quae praefixa sint, *plurium exordiorum* sibi videri *particulas;* addidit autem, *difficile* dictu esse, *quid Hesiodo, quid rhapsodis debeatur.* Definitius postea Hermannus in Epistola ad Ilgenium p. XI. seqq. editioni ipsius Hymnorum Homeri praemissa, *plures* fuisse *Theogoniae recensiones* statuit, quas ante oculos habentes librarii, cum eas multis in locis congruere animadverterent, in unum corpus coniunxerint, ut labori parcerent, semel scribentes, quae diversarum recensionum communia essent. Ipse autem Theogoniae recensiones, quas in unum corpus coniunctas habeamus, numerari posse *septem* putat, si ex prooemio, quod e multis partibus constare iam alii viderint, coniectura petatur.

Namque *clarum* esse, in prooemio, quod nunc habeamus, tot fere inveniri exordia, quae profecta a *diversis rhapsodis* librarii in unum coniunxerint. Porro duo haec tanquam vero simillima sumens, primum omnes illos sive poëtas sive rhapsodos eodem versu, quem Hesiodi nomen sacraverat, exorsos, deinde alius rhapsodi prooemium rursus esse ab aliis rhapsodis interpolatum, ipse ita haec exordia constituit, ut in primo fuerint vv. 1, 22—24, 27—52; in secundo 1—4, 11—17, 19—21; in tertio 1, 2, 5—17, 19, 18, 20, 21, 75—93; in quarto 1, 53—64, 69—71; in quinto 1, 53—62, 65, 66; in sexto 1, 53—61, 67, duobus postremis versibus sic mutatis, ut sit *ἐν στήθεσσι δ' ἀκηδέα θυμὸν ἔχουσαι, Ἀθανάτους κλείουσιν, ἐπήρατον ὄσσαν ἱεῖσαι* pro *ἐν στήθεσσιν ἀκηδέα* et *ἀθανάτων*; denique in septimo vv. 1, 94—103. Ceterum facile intelligi ait, in hac Theogoniae prooemiorum descriptione quaedam etiam aliter constitui posse, ut ex. gr. vv. 50, 51 etiam in fine secundi prooemii apte legi et inde, verbis *τέρπουσι Διὸς* in *τέρπον Ζηνὸς* mutatis, in tertium recipi potuerint. Esse has ingeniosi viri coniecturas nemo facile negaverit, neque tamen ideo *clarum* sibi *esse* omnes dicent, ex *septem* huiusmodi exordiis conflatum esse prooemium. Namque, si vel admittatur hoc, conflatum esse ex pluribus, potest alius aliam divisionem comminisci. Sic non sine veri specie Mullerus (Gött. Gel. Anz. 1834. p. 138, 139, 1377 ff.) animadverso tenorem carminis quater abrumpi v. 36, 68, 75, 104., ex quinque illud constare censuit partibus, prima a v. 1—34; altera a v. 36—67; tertia a v. 68—74; quarta a v. 75—103, quinta a v. 104—115, *quarum prima, tertia, quinta prooemium exhibeant Theogoniae*, ut v. 68 *αἳ τότ' ἴσαν πρὸς* Ὀλ. ad v. 9 referatur, ubi profectae ab Helicone dicuntur Musae; pars secunda Hymnus sit in Musas, quales in Boeoticis poëtarum scholis praemitti solerent carminibus Theogonicis;

quarta autem Hymnus, quo *poëta suum de Theogonia*, vel aliud huiusmodi, carmen epicum concluderet. Itaque etiam Mullero certe *clarum* non fuit, habere nos in prooemio coniuncta in unum *diversorum rhapsodorum* exordia. Veteribus quoque aliter visum esse constat. Alexandrini Grammatici, unum alterumque versum obelo notantes, satis eo ipso significarunt, reliqua se tribuere Hesiodo. (Vide infra ad v. 26, 114, 115. Conf. et Schol. ad v. 68.) Primum prooemii versum ipse Hermannus ob Lucilii epigramma A. P. IX. 572. dixit *Hesiodi nomine sacratum*. Res, loci, versus, ut Hesiodi, complures ex hoc prooemio memorantur ab antiquis Scriptoribus, quorum testimonia suo loco apponemus. Neque recentiorum Criticorum multis probata fuit illa Guyeti, morosi hominis, ut ipsi Wolfio dicitur, sententia. Nam neque Heynius, *cui difficile dictu videbatur, quid Hesiodo, quid rhapsodis debeatur*, totum prooemium Hesiodo abiudicavit, neque Wolfii dicta, quae supra retulimus, in hunc sensum accipienda sunt, quasi nihil in hoc prooemio ab auctore Theogoniae profectum affirmet. Contrarium liquet ex eius annotatione ad vv. 63—67.: videturque idem dicendum de Nitschio, statuente in Histor. Crit. Homeri Fasc. 1. §. 24. p. 126, fuisse a librorum collectoribus *varia Hesiodeorum operum prooemia* in initio eius collectionis posita, ex qua nobis Theogonia servata est. Qui diligentissime hanc rem tractavit Muetzellius p. 366 seqq. maximam prooemii partem, si qua alia, *antiquissimo Hesiodeae poëseos tempori* merito assignandam ait, neque posse genuinam illi originem denegari, quamvis, ipso iudice, non fuerit hoc Theogoniae prooemium, sed *carmen de Musis*, universo carminum Hesiodeorum corpori, sive ab Alexandrinis criticis, sive prius iam, praefationis loco praefixum. Postea Clausenus in Museo Rhenano III. 3. p. 439 seqq. id egit, ut totum fere prooemium Hesiodo

ac Theogoniae vindicaret. Recentissime autem Gruppius, Hesiodum nobis restituere conatus, qualis fuerit non modo ante omnes, quos habemus, Codices, verum etiam ante omnes nobis cognitos Veteres Scriptores, distributus scilicet in strophas trium versuum singulas, in prooemio, reiectis ibi, ut passim in ipsa Theogonia, compluribus, quatuor tamen eiusmodi strophas ab Hesiodo profectas statuit, primam versus continentem 22 (mutato ibi *αἲ νυ πόθ' Ἡσίοδον* in *Ἡσίοδον Μοῦσαι*), 23, 24; alteram versus habentem 26 et duo sequentes, tertiam vv. 29—31, quartam vv. 33—35. Equidem primo vero simile hoc esse arbitror, fuisse aliquod ab Hesiodo praemissum carmini de Theogonia prooemium. Cum enim constans ille veteris aevi non rhapsodorum modo, sed etiam poëtarum, qui se divino instinctu canere existimarent et Deorum vellent quasi *ὑποφῆται* haberi, mos fuerit, exordium facere ab aliqua Dei, inprimis Iovis, Apollinis et Musarum invocatione vel laudibus, sane vero simile est, etiam Hesiodum, Musarum Heliconiadum accolam et quasi alumnum (vid. *Ἔργ.* 658 seq.) Carminis sui initium ab harum encomio fecisse. Sublato prooemio, vel a Theogonia semoto, nihil erit in Hesiodeis, quod respondeat Homericis *Μῆνιν ἄειδε θεά* — *Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι* — *Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα.* Deinde, tametsi non nego, esse in prooemio, quod habemus, quaedam istiusmodi, ut ab aliis iniici potuerint atque adeo iniecta esse haud sine veri specie censeantur, tamen in plerisque eius illum inesse arbitror priscae ac simplicis antiquitatis colorem, qui vel maxime poëseos Hesiodeae tempori conveniat; tum et plurima Hesiodi personae, rebus, dictioni, item argumento Theogoniae et connexorum cum Theogonia carminum maxime congrua, ut propterea pro maiori certe parte magis Hesiodo tribuendum, quam ab illo abiudicandum prooemium videatur,

utque magis habendum sit memoratorum carminum, initium a Theogonia ducentium, prooemium, quo poëta ipse iis praefatus sit, quam, quod Muetzellius vult, poëtae carmen de Musis, quod iisdem alii postea praemittendum duxerint. Denique, quod hoc prooemium est eiusmodi, ut speciem referat carminis e variis partibus, saepe non aptissimo inter se nexu iunctis, conflati, id, me iudice, non statim indicat, esse partes illas a diversis auctoribus profectas. Traditum est antiquitus, Hesiodum primum fuisse rhapsodum. (Vide Schol. ad Pindari Nem. II. 1.) Id qua fide traditum sit, quamquam ignoramus, tamen probabile videri debet reputantibus, Hesiodum vix aliter carmina sua ad hominum notitiam celebrare potuisse, quam ea saepius variis locis ac temporibus recitando. Tum vero, si secundum constantem illum poëtarum atque rhapsodorum morem Hesiodus ipse quoque carminibus suis prooemium praemiserit, nonne item vero simile videatur, eum pro variis locis ac personis, coram quibus sua recitaret, primum ab se composito prooemio subinde quaedam adiecisse, modo faciliori, modo minus facili cum praecedentibus et sequentibus nexu? (Vide infra notata ad v. 94.) Possunt et varia fuisse, non diversorum, ut Hermannus censuit, sed ipsius Hesiodi prooemia, ab aliis deinde connexa et in unum composita, ut his tribuendus sit minus facilis nexus et quod subinde quasi suturae apparent. His cum nihil ut satis certo compertum possit obiici, spero fore, ut non nimis reprehendendus videatur noster conatus ostendendi, posse cum aliqua veri specie, quod vulgo fere antiquitas carmen Hesiodi idemque Theogoniae prooemium habuerit, auctori illi atque Theogoniae vindicari.

v. 1. Poëta canendi initium facit a Musis Heliconiadibus, in Helicone monte antiquissima religione cultis, quippe

quibus eum montem consecrasse iam Ephialtes et Otus ferrentur, iidem Ascrae conditores. Vid. Pausanias IX. 29., qui illo cap. et seqq. etiam Musarum in Helicone luci donaria describit. Dedicavit ibi tripodem Hesiodus reportatum ab se Musici certaminis praemium. Vid. Ἔργ. 658. Pausan. IX. 31.

Ad Μουσάων Gl. Par. C. ἀπὸ. Aratus pr. Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. Apollonius Rhod. pr. omissa, ut hîc, praepositione Ἀρχόμενός σεο, Φοῖβε. Ad Ἑλικωνιάδων Schol. Par. G. ἀπὸ Ἑλικῶνος υἱοῦ Ὠρίωνος.

Versum hunc et infra 22 seqq. respiciens, Lucilius A. P. IX. 572.

Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν,
Ἔγραφε ποιμαίνων, ὡς λόγος, Ἡσίοδος.

Proclus praef. Hesiod. p. 4. 8 seqq. ἐπάγεται δέ τινας τὸ μὴ ἀπὸ τοῦ Ἑλικῶνος καλεῖν Βοιωτὸν ὄντα τὰς Μούσας, ὥσπερ ἐν τῇ Θεογονίᾳ, ἀλλ' ἀπὸ τῆς Πιερίας, εἰς τὸ μὴ προσίεσθαι τὸ προοίμιον (τῶν Ἔργων)· qui sic manifesto prooemium hoc Theogoniae et Hesiodeum habuit.

v. 2. Ad ἔχουσι Gl. Par. C., ut Scholia, οἰκοῦσι. Sed adest, ni fallor, tuendi notio, ut in πολιοῦχος, quod Catullo Epith. Th. et P. 8. redditum *retinent in summis urbibus arces*. Conf. Sc. v. 105.

Totus mons consecratus Musis ideo ζαθεὸς dicitur et accedebat Iovis religio.

vv. 3. 4. Lucianus de Saltat. c. 24. T. II. p. 282. ὁ δὲ Ἡσίοδος οὐ παρ' ἄλλου ἀκούσας, ἀλλ' ἰδὼν αὐτὸς ἔωθεν εὐθὺς ὀρχουμένας τὰς Μούσας, ἐν ἀρχῇ τῶν ἐπῶν τοῦτο περὶ αὐτῶν τὸ μέγιστον ἐγκώμιον διηγεῖται, ὅτι περὶ κρήνην ἰοειδέα π. ἁπ. Ὀρχεῦνται, τοῦ πατρὸς τὸν βωμὸν περιχορευούσαι. Libanius Or. XIX. φησὶν Ἡσίοδος τὰς

Μούσας, ἐν Ἑλικῶνι τὰ ἀσματα πλαττούσας, (v. 10 seqq.) οὐκ ἀμελεῖν ὀρχήσεως καί τ' ἐπὶ (per errorem librarii pro καί τε περὶ) κρήνην ἰοειδ. π. ἀπ. Ὀρχεῦνται. Memorat etiam Schol. Victor. ad Il. Z. apud Heyn. T. VII. p. 804. τὰ Ἡσιόδου· πόσ' ἀπαλοῖσι ὀρχοῦνται. Citat quoque versum 3 Etym. M. v. 604 init. ceterum inepte subiiciens λούσαντο.

Ad κρήνην Gl. Par. C. ἐν αὐτῷ τῷ ὄρει ἦν καὶ ἡ κρήνη καὶ ὁ ναός. At vero lucum Musarum et in eo statuas tum ipsarum, tum alias, non ναὸν, in Heliconis descriptione memorat Pausanias IX. 29 seqq. Itaque ἱερὸν apud Strabonem IX. p. 410. pr. nescio, an non satis recte redditum sit *fanum*, cum et ἄλσος significare possit. κρήνη hîc intelligenda videtur Aganippe. Vid. Pausan. l. c.

Ad ἰοειδέα Gl. Vat. τὴν εὐοσμοειδῆ. Gl. Par. C. διαυγῆ καὶ καθαράν. Gl. Par. F. ἀνθώδη, μελάνυδρον· ἴον γὰρ εἶδος ἄνθους. Gl. Par. C. μελάνυδρον· ἴον γαρ εἶδ. ἄνθ. ἤτοι τὴν ἀνθώδη, ἢ τὴν διαυγῆ καὶ καθαράν: apparet, quomodo illi ἰοειδέα intellexerint. Neque aliud voluit Etym. M. in his p. 473. 11. ἴον ὄνομα βοτάνης, τὸ ἄνθος. — καὶ Ἡσίοδος περὶ κρήνην ἰοειδέα· ἀντὶ τοῦ τὴν ἀνθώδη. Itaque his uti non debebat Graevius ad firmandam, quae illi placuit, in Scholiis Heinsianis explicationem τὴν ἴοις περιπεφραγμένην, ἀνθώδη. Nulla autem propositarum explicationum Graeci vocabuli vim satis lucide reddit. Aliquanto melius Hesychius ἰοειδές· μέλαν ἢ ἄνθηρον· ἐν τῷ ὁρᾶσθαι πορφυροῦν. Omnino significatur splendor aquae nigricans, ut violae, qualis est in uberioris aquae fonte. Conf. Clericus ad h. l. Hemsterhus. ad Schol. h. l. apud Gaisford. Passov. ad Persii prolog. 2.

v. 4. Ad βωμὸν ἐρισθενέος Κρονίωνος Schol. Par. F. ἐν Ἑλικῶνι γὰρ βωμὸς ἦν τοῦ Διὸς τοῦ Ἑλικωνίου. In Scholiis

editis additur *ὡς εἴρηται.* Alibi, quod sciam, eius arae mentio non exstat. Res igitur hîc memoratur antiqua et Hesiodei, non recentioris aevi.

vv. 5—10. Vereri se dixit Heynius, ne hic locus alterius sit poëtae. Mihi videntur omnia haec potuisse ab uno poëta proficisci placente sibi in commemorandis iis, quae ad Musas et Heliconem pertinerent: nec, quod Heynio visum, tautologia est in his *καί τε περὶ κρήνην ἰοειδέα πόσσ' ἁπαλοῖσιν Ὀρχεῦνται* et *ἀκροτάτῳ Ἑλικῶνι χόρους ἐνεποιήσαντο.* Nam diversae tempore et loco Musarum saltationes memorantur, altera circa fontem ac Iovis aram, altera in Helicone summo.

vv. 5. 6. *Περμησσὸς* et *Ὀλμειὸς* nomina sunt fluviorum, originem ex Helicone ducentium et in Boeotiae lacum Copaïdem confluentium prope Haliartum. (Vid. Strabo IX. p. 407.) Permessus Heliconem circumfluere dicitur Pausaniae IX. 29. *Permessum* et *Holmium* iunctim quoque memorans, Statius Th. VII. 283 seq. huius loci, ut videtur, memor fuit. Hippocrenen et Aganippen (supra v. 3) diversos in Helicone fontes memorat Solinus c. 7. eosque distinguit etiam Ovidius Met. V. 312. tametsi confundere videri possit Fast. V. 7. ubi *Aganippidos Hippocrenes* mentio. De fontis Hippocrenes origine et causa nominis agit Aratus 216 seqq., ubi Schol. ad v. 205 *εἴληφε — τὴν ἱστορίαν παρ' Ἡσιόδου· διό φησιν οἱ νομῆες πρῶτοι ἐκεῖνο τὸ πότον κρήνην ὠνόμασαν,* ubi legendum videtur *Ἵππου κρήνην*, cum respiciatur ad Arati v. 221 seq.

οἱ δὲ νομῆες
πρῶτοι κεῖνο πότον διεφήμισαν Ἵππου κρήνην.

Poëtam hunc *νομῆας* memorantem de pastore eodemque poëta Ascraeo cogitasse non negaverim. Sed historia,

quam Scholiastes ille dicit, in Theogonia non exstat, quamvis id adserere etiam Hesychius videatur his verbis: Ἵππου κρήνης· τῆς ἐν τῷ Ἑλικῶνι, ἥτις ὠνομάσθη ἀπὸ τοῦ Πηγάσου ἵππου, ὃς δίψησας ἔκρουσε τὴν γῆν τῇ ὁπλῇ· ἡ δὲ τὴν πήγην ἀνῆκεν· Ἡσίοδος ἐν τῇ Θεογονίᾳ. At vero in Theogonia, quam superstitem habemus, hoc uno loco memoratur Ἵππου κρήνη, ubi sane illi historiae locus non erat: neque magis commodam ei sedem reperias in mentione facta Pegasi Th. v. 281, 284 seqq. v. 325, aut alia superstite adhuc carminis parte. Statuendum igitur, vel fuisse eam in Catalogis Theogoniae subiectis historiam, eoque, ut Arati Scholiastam, ita Hesychium respexisse, vel et hunc et illum aliena tribuisse Hesiodo.

v. 5. in λοεσσάμενοι τέρενα χρόα Περμησσοῖο constructio obtinet consueta de iis, qui ubertim in mari, lacu, flumine, fonte lavantur. Sic in fr. Hesiodi apud Strabon. IX. p. 640. Νίψατο Βοιβιάδος λίμνης πόδα παρθένος ἁδμής· Conf. Il. E. 6. Z. 508. quaeque habet Bernhardy Synt. Gr. L. p. 168. Pro τέρενα χρόα variationes Scholiorum ad v. 2. χρόα καλόν in Cantabr. ἁπαλὸν χρόα in Ven., sunt e glossis. Conf. Schol. ad h. v. ac Muetzell. p. 370.

v. 7. respexit Maximus Tyrius Diss. XXXVII. 5. Οὐρανοῦ περιφορὰν σύμμετρον καὶ μουσικὴν hîc αἰνίττεσθαι opinatus. Loci huius recordatus etiam Proclus praef. Hes. p. 4. 13. 14. et ad Ἔργ. v. 1. p. 24. 12. Ac ni fallor, etiam ob haec Hesiodea, Cornutus c. 14: ἐν δὲ τοῖς ὄρεσί φασι χορεύειν (τὰς Μούσας).

v. 8. ἐπερρώσαντο δὲ ποσσίν respiciunt Schol. A. ad Il. Ω. 614. Schol. Vict. ibid. ad v. 616. Vim verbi, a ῥώω, ῥώομαι ducti, bene iam Guyetus cepit, exponens ὠρχήσαντο

incesserunt, *processerunt*. Minus recte Veteres et hos secuti recentiorum nonnulli a *ῥώννυμι* derivatum censuerunt, de firmo pedum ad numeros incessu capientes. Gl. Par. G. *συντόνως ὠρχήσαντο*, *ἐφώρμισαν*. Gl. Par. C. *ἐῤῥωμένως καὶ συντόνως ὠρχοῦντο καὶ ἐπισταμένως*. Bas. Interpres *fortiter tripudiantes pedibus*. Nihil nisi motum significari docet locus Il. A. 529. Conf. Heyn. ad Il. Ω. 616.

v. 9 seqq. Musae de die choros exercentes in Heliconis vertice, nubes tangente et inaccesso mortalibus, hinc obortis tenebris, ipsas tanquam velo tegentibus, *ἀπορνύμεναι celeri motu descendentes* per campestria *στεῖχον*, *composito gradu incedebant*, *ἐννύχιαι noctu*, dulci cantu celebrantes tum excellentissimum quemque de Diis, tum universe immortalium omne genus (v. 11—21): quae sic incedentes et canentes aliquando pernoctantem sub Helicone apud agnos pastorem Hesiodum eadem illa canere docuerunt, primo congressu ultro ab se compellatum alloquio, ornatumque donis. (v. 22 seqq.) Veterum opinione antiquius et castius hominum genus invisere Dii solebant etiam de die: (vid. Catullus Epith. Pel. et Thet. v. 384 seqq.) sequente autem deteriore seculo commercia hominum fugientes, non nisi nocte in terras venerunt. Sic apud Aratum Iustitia, seculo aureo semper interesse solita mortalibus (v. 102. 114), seculo argenteo iam intermittere hoc coepit: *ἤρχετο δ' ἐξ ὀρέων ἐπιδείελος ἠχηέντων* (v. 118.) prorsus ut secundum Hesiodum ex Helicone Musae. Hinc poëtae nostro Ἔργ. v. 730 dicuntur noctes esse *μακάρων* et Statio Silv. I. 1. 94 *nocte silenti terrena Superis placere*.

v. 10. Ad *ἐννύχιαι* Gl. Par. C. F. *δι' ὅλης τῆς νυκτός* male, neque est, ut voluit Heynius in Ep. ad Wolf. *caligine tectae*, sed *nocturnae*, *noctu*, consueta significa-

tione vocabuli. Vid. Sc. 32. Il. Λ. 682. Φ. 37. Od. Γ. 178. Pindarus Pyth. III. 140.

Ad ὄσσαν Gl. Par. C. θείαν φωνὴν καὶ κληδόνα. Gl. Par. F. τὴν θείαν φωνήν. Gl. Par. G. ᾠδήν. Etym. M. p. 635, 51: Ἡσίοδος τὴν πᾶσαν φωνὴν ὄσσαν λέγει. Dicitur ὄσσα proprie sonus ore editus. Itaque Hesiodus recte et Musarum vocem ὄσσαν dixit, ut h. l. ita infra vv. 43. 65. 67, et tauri mugitum v. 832. Sed notandum id post alios duxit Etymologus, quod apud Homerum Il. B. 93. Od. A. 232. B. 216. eximie memoratur ὄσσα ἐκ Διὸς, rumor incerto auctore prolatus et hinc divinus habitus, unde apud Grammaticos ὄσσα exponitur ἡ θεία κληδών, adduntque nonnulli, recentiorum esse ἐπὶ πάσῃ φήμῃ ponere. Vid. Heynius ad Il. B. 93. qui tamen haud satis recte hinc quoque argui duxit, esse prooemium hoc recentioris auctoris. Namque est ὄσσα pro rumore, non addito ἐκ Διὸς, Od. Ω. 412., pro citharae cum voce sonitu H. Hom. in Merc. 442., pro confuso bellici clamoris et pugnae sonitu infra v. 701.

vv. 11—21. sunt eiusmodi, ut eiectis iis haud valde minui carminis concinnitatem sentias, melior adeo nexus appareat inter αἰ νύ ποθ' Ἡσίοδον κ. τ. λ. et vv. 9. 10. Fatendum etiam est, tales esse versus, quales facile inmitti a rhapsodis potuerint et inesse in iis quaedam, unde interpolationis suspicio oriatur. Sed rursus dici potest pertinere versus ad universi carminis argumentum, quod est de Diis ac Deorum genere; neque habere eos ferme nisi illorum nomina Deorum, quorum Hesiodo argumentum hoc tractanti maxime habenda ratio esset. De hac carminis parte sic Aristides T. II. p. 497. (369 Ed. Iebb.) σκόπει δὲ καὶ Ἡσιόδου φρόνημα, εἰ ἄρα πρότερον μὴ κατεῖδες. ἐκεῖνος γὰρ ἀρξάμενος τῆς Θεογονίας καὶ τὰς Μούσας ὑμνῶν εὐθὺς λέγει Αἰ νύ ποθ' Ἡσίοδον καλὴν

ἐδίδαξαν ἀοιδήν· καὶ οὕτω σχέτλιος ἦν καὶ ὑβριστὴς, ὥστ' οὐδὲ τοσοῦτον ἐνέμεινεν ἐκτελέσαι τὸ προοίμιον ταῖς θεαῖς· ἀλλὰ λέγων, ὅτι αἱ Μοῦσαι ὑμνοῦσι τὸν Διὰ καὶ Λητώ τ' Ἰάπετόν τε ἠδὲ Κρόνον ἀγκυλομήτην, εἶτα οὐ καρτερεῖ, ἀλλ' ολίγου μεταξὺ τῶν θεῶν τῶν ὀνομάτων φησὶν Αἳ νύ ποθ' Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδήν· ὡς, εἰ μὴ καὶ τοῦτο δόξει τῶν Μούσων ἔργον εἶναι, ὥσπερ τοὺς θεοὺς ᾄδειν, οὕτω καὶ Ἡσίοδον ποιητὴν ἀπεργάσασθαι, μοίραν τινὰ αὐταῖς ἀπολλυμένην τῆς εὐφημίας. Ex quo loco Muetzellius p. 371. effici posse putat versum 19 ultimo loco fuisse in Deorum Catalogo collocatum. Puto equidem, Aristidem e multis versibus, in quibus inde ab undecimo Deorum erant nomina, eum citasse, qui primus eius memoriae se offerret.

Ad v. 11 et seqq. respexisse videri potest Cornutus l. c., ubi de Musis ait περὶ τῶν θεῶν ὕμνους — καταστχολοῦνται μάλιστα.

In πότνιαν Ἥρην neglectum digamma suspicionem interpolationis movere possit, neque tamen, ut opinor, satis validam. Conf. infra 314. 454.

vv. 16. 17. Citat Plutarchus Conv. Quaest. IX. 15. §. 2. ubi librarii, ut videtur, errore ϝῆβην transiit in ϝῆρην. Heben, Herculis inter Deos recepti uxorem, dignam inde habuit poëta, quae a Musis inter Maiores Deos celebraretur. Fit eiusdem frequens et magnifica mentio apud Pindarum Nem. I. 110 seqq. VII. 6. X. 32 seqq. Isthm. IV. 102 seqq. Hebes apud Phliasios templum et summam venerationem memorat Pausan. II. 13. Herculis et Hebes aram Athenis idem I. 19.

Dionen, quam Homerus matrem ex Iove Veneris facit Il. E. 370 seq. 428, talem ignoravit Hesiodus, aliam Veneri

originem adscribens infra v. 188 seqq. Attamen, quam infra v. 353 inter Oceanidas memorat, hîc eandem, ut videtur, inter maiores collocat Deas, qui locus Dionae tribuitur etiam H. Hom. in Apoll. 93. Ab Ovidio aliisque Latinis poëtis passim cum Venere confusam videas Dionen, quod fecisse eos ad Graecorum exemplum vero simile est, tametsi tale hodie nullum exstat; unde porro colligas, eadem ferme Dionae Veteres attribuisse, quae Veneri, viderique possint *Διώνη* et *Ἀφροδίτη* diversa fuisse eiusdem Deae nomina pro diversis, ubi in Graecia colebantur, locis. Favent epitheta Dionae tributa h. l., v. 17 *καλὴ*, infra v. 353 *ἐρατή*. Traditio autem de Veneris religione per mare in Graeciam invecta, quae mytho Hesiodeo v. 188 originem dedit, mythico sermone etiam efferri potuit hoc modo, ut Venus Oceanitidis filia diceretur: quodque Urani filia Dione dicitur apud Apollodorum I. 1. 3. potest item varius fuisse modus enuntiandi illa, quae traduntur Th. v. 190 seqq.

v. 19. *Ἰάπετόν τε*) Titanis huius, quamvis non, ut ceteri, qui hîc memorantur Dii, cultu Graecorum celebrati, tamen ob posteros eius Prometheum et Deucalionem insignior manserat apud antiquos Hellenes memoria, quo factum videtur, ut locum ei dandum in hac recensione poëta duxerit. Minus, ut opinor, in mentem id venire potuit recentiori rhapsodo.

v. 22 seqq. Super historia, quae hîc narratur, varium esse iudicium potest. Facili rem negotio transigent, qui vel cum Veterum quibusdam omnem Hesiodo Theogoniam abiudicant, vel hoc certe prooemium aut totum, aut pro parte ab aliis postea additum existimant. Quod si cum Veterum plerisque ipsum haec ita prodidisse statuas He-

siodum, difficilior quaestio evadit, utrum haec omnia poëta ad maiorem sui carminumque suorum commendationem finxisse censendus sit, an vero ipse causam habuisse aliquam credendi, se revera aliquando Musarum tum alloquio tum munere honoratum fuisse. Prius, e Veteribus, ut Lucianum in Disp. cum Hesiodo εἰρωνεύονται taceam, manifesto statuit Aristides l. c. Hesiodum ob hanc iactantiam σχέτλιον καὶ ὑβριστὴν vocans; e recentioribus autem maxime Clericus et Robinsonus, quorum hic similia Horatii mendacia (Carm. II. 19. III. 4.) ac simulatas itidem ab Numa cum Nympha Egeria confabulationes nocturnas confert. Mihi cogitanti simplex et superstitiosum Hesiodi ingenium, quod in omnibus eius carminibus apparet, magis altera sententia arridet, ut Hesiodus vel, quod Veterum nonnulli crediderunt, per somnum ea viderit, quae hîc narravit, vel certe aliquam enthusiasmo percitae mentis imaginem secutus arripuerit, atque hinc ornaverit. Hominis natura ad poësin facti, iuxta pecus excubantis sub monte, in quo degere Musae credebantur, menti continuo obversari Musas necesse fuit, ita ut non obdormiens modo, sed etiam vigilans, attamen sic ferme affecta, ut in somniis, mente, Musarum ad se adventum, quin et vocem aliquam animadvertere sibi subinde videretur. Nec mirum, si in loco lauris abundante, quarum arborum foliis manducatis ardor poëticus incendi credebatur, a Musis, somnians quidem, accepisse sibi visus sit ramum lauri, cuius folia decerperet, postea autem, in propinquo forte inventum talem ramum pro Musarum dono habuerit, atque hinc gestaverit. Ita neque opus fuerit recurrere ad suspicionem, deceptum fuisse aliorum hominum fraude Hesiodum, quamvis sacerdotum aliquas hoc genere fraudes antiquitas memoret ac vero simile adeo sit, Musarum in Helicone sacerdotes Hesiodo principes ad studium poëseos fuisse.

Dormientem Hesiodum a Musis poëtam factum statuit M. Aurelius, teste Frontone Ep. ad M. Caesarem I. 3. Consentit Nicephorus ad Synesium p. 373. *φασὶ τὸν ποιητὴν Ἡσίοδον πρότερον μὲν ὄντα ποιμένα προβάτων, ἐν μιᾷ* (fortasse legendum *ἐν ἐρημίᾳ*) *δὲ πρὸς ὕπνον παρὰ τὸν Κιθαιρῶνα τὸ ἐν Θετταλίᾳ ὄρος κατακλιθέντα, δόξαι τὰς Μούσας θεάσασθαι, προσελθούσας τε αὐτῷ καὶ δάφνης φύλλῳ θρεψάσας αὐτὸν, καὶ παραχρῆμα ἀφυπνισθέντα εἶναι σοφὸν καὶ δεξιώτατον ποιητήν*· ac nescio, an similiter acceperit Ennius, qui item somnianti sibi in Parnasso visum Homerum tradiderit, testibus Cicerone A. Q. IV. 27. Schol. Persii ad prooem. v. 2. Vero simile autem puto, eos, qui per somnium visa illa Hesiodo statuerunt, de nocturno somnio cogitasse. Sane, si in suis illi exemplis eadem scripta invenerunt, quae nunc in prooemio exstant, ducere eo debuerunt verba *ἐννύχιαι* et *ἄγραυλοι*. Cum enim ita admittendus utique nexus videatur inter *αἳ νύ ποθ' Ἡσίοδον κ. τ. λ.* et superiora vv. 9 seqq., pascenti sub Helicone agnos Hesiodo obtulerunt se aliquando Musae, cum ab illo monte *ἀπορνύμεναι, κεκαλυμμέναι ἠέρι πολλῇ, ἐννύχιαι* per campestria incederent. *ἄγραυλοι* autem, quamquam etiam simpliciter accipi potest *αὐλιζόμενοι*, tamen a plerisque Grammaticis exponitur *οἱ ἐν ἄγρῳ διανυκτερεύοντες*. Vid. Hesych. in v. Lex. Rhet. in Bekkeri Anecdotis p. 231. 1. *συναγ. λεξ. χρησ.* ibid. p. 331. 3. Conf. Il. Σ. 162. Apollon. in v.

Ad *ἄγραυλοι* magis, quam ad *ἐννύχιαι* respexisse et verbum illud simpliciter ad *τοὺς αὐλιζομένους in agro sub dio degentes* retulisse videtur Archias, sive Asclepiades A. P. IX. 64. in hisce:

Αὗταὶ ποιμαίνοντα μεσαμβρινὰ μῆλα σε Μοῦσαι
Εἵρπακον ἐν κραναοῖς οὔρεσιν, Ἡσίοδε.

qui tamen item cogitasse de somnio potest, sed quod per

meridiani temporis quietem obversatum sit Hesiodo, quale fuit illud pastoris in Virgiliano Culice.

Lucianus autem de Saltat. c. 21. ad ἐννύχιαι, ut videtur, respiciens, hinc dixit, vidisse Hesiodum ἕωθεν εὐθὺς ὀρχουμένας τὰς Μούσας, ita statuens, eas post nocturnum ab Helicone in campestria descensum primo mane visas ab Hesiodo; ceterum in incerto relinquens, quo modo visae ab illo fuerint.

Dubitat Proclus in Vita Hesiodi p. 5. Gaisf. videritne ille καθευδήσας ὄναρ ἐννέα γυναῖκας δάφνας ἀυτὸν ψυμιζούσας, an περὶ τὸν Ἑλικῶνα ποιμαίνων ἐγρηγορὼς καὶ ἄϋπνος ὢν, σύννους τε πρὸς ἑαυτὸν γεγονὼς καὶ πρέποντα νοὺν ἐσχηκὼς ad poësin a re pastoritia se converterit.

M. Caesaris sententiam refutatum ivit Fronto l. c. *Hesiodum*, inquit, *dormientem poëtam ais factum. At enim ego memini apud magistrum me legere:*

Ποιμένι μῆλα νέμοντι κατ' ἴχνιον ὀξέος ἵππου
Ἡσιόδῳ Μουσέων ἑσμὸς ὅτ' ἠντίασεν.

τὸ ἠντίασεν vides, quale sit. Scilicet ambulanti obviam venisse Musas. Similiter accepit Ovidius Fast. VI. 13:

Ecce Deas vidi, non, quas praeceptor arandi
Viderat, Ascraeas cum sequeretur oves.

Magis secundum Hesiodi verba v. 21. idem A. A. I. 27:

Nec mihi sunt visae Clio, Cliûsque sorores
Pascenti pecudes vallibus, Ascra, tuis.

Dio Chrysostomus, hanc prooemii partem respiciens T. I. p. 62. simpliciter dicit ποιμένα (Hesiodum) ἐν ὄρει τινὶ τῆς Βοιωτίας αὐτῶν ἀκοῦσαι τῶν Μουσῶν. Sed T. II. p. 412. ei dicitur Ἡσίοδος — ταῖς Μούσαις ἐντυχὼν καὶ μαθητὴς αὐτῶν ἐκείνων γενόμενος. Pari modo locuti sunt alii. Maximus Tyr. Diss. XXXVIII. 2. p. 447. ἐπεὶ καὶ

Ἡσίοδον τι οἰόμεθα ποιμαίνοντα περὶ τὸν Ἑλικῶνα ἐν Βοιωτίᾳ ᾀδούσαις ταῖς Μούσαις ἐντύχοντα· Libanius T. IV. p. 1008. 20. Ἡσίοδος ποιμαίνων ταῖς Μούσαις ἐνέτυχε· Eustath. p. 1288. 33. ὁ Ἡσίοδος — ἐν ὄρει — ἰδιάσας, ταῖς Μούσαις ὡμίλησε· ceterum neque hi satis clare efferentes, quomodo illam ἔντευξιν, sive ὁμιλίαν sibi informarent. Neque magis hoc factum ab aliis, rem hîc narratam obiter tangentibus, vel respicientibus. Namque huius loci memores fuerunt Dio Chrysostomus etiam T. I. p. 75. T. II. p. 90. 282. Maximus Tyr. etiam Diss. III. 8. p. 27. XXX. 1. p. 355. XXXVII. 4. p. 437, 5. p. 439. Vid. porro Dionysius A. Rhet. pr. Himerius Or. III. 9. XX. 5. 6. XXII. 1. Eustath. ad Od. p. 1658. 41. e Latinis Virgil. Ecl. VI. 27. ibique Serv. In Helicone poëticae facultatis compotem se a Musis factum, ipse quoque Hesiodus testatur Ἔργ. 656 seq.

v. 24. πρώτιστα I. H. Vossius vertit *selber zuerst*, ut significetur, prius Musas ultro dignatas esse alloquio poëtam, quam ipsi in mentem veniret Musas alloqui. Puto equidem eo vocabulo significari plures deinceps Musarum cum Hesiodo congressus fuisse, quibus eum ad poësin erudierint.

v. 26 seqq. Allocutio Musarum huc ferme redit: *O ignavum genus pernoctantium in agro pastorum, unice ventri deditum, cum et animum excolere deberetis! ecce, nos magistrae Musae vobis adsumus, ut possitis ipsi quoque, sicut nos, multa ficta edere veris similia, multa etiam vera canere ac monere.* Sed est magis indicata haec sententia, quam expressa, sive hoc arti poëtae tribuendum est, qui consulto orationem ellipticam et obscuram fecerit, quo vaticiniis similior, atque ita Musis dignior videretur, sive obscuritas orationis repetenda est ab obscuritate notionum, quas col-

ligere Hesiodus potuit ex imaginibus ei per somnium, aut qualecunque mentis ludibrium, oblatis.

Wolfius, plurali ποιμένες offensus, ideo versum habere nos coniecit ex alio poëta traductum, cui suspicioni fidem accedere censuit ab auctoritate Apollonii Rhodii, siquidem hic, teste Scholiasta ad h. l. λείπειν τὸν πρῶτον στίχον dixerat, ex quibus aliquis induci possit, ut credat, versiculum hunc post Apollonii demum aetatem vel confictum vel additum esse. At vero, ut recte animadvertit Muetzellius, p. 373., si v. 26 reliquis non adiungitur, Musarum oratio et multo concinnior evadit et faciliorem habet explicationem. Nemini igitur lacunae ante v. 27 poterat oboriri suspicio. Neque Scholiasta mentem Apollonii percepit, adnotans οὐ λείπει δὲ (πρῶτος στίχος) ἀλλ' ἔστι· Ποιμένες ἄγραυλοι κ. τ. λ. Scilicet offendit Apollonium oratio Musarum elliptica. Itaque desiderari versum statuit, quo iuberentur pastores animum ad Musas earumque studia adiicere; ac proinde πρῶτον στίχον dixit, qui, illam exhibens sententiam, versus 27 et 28 praecederet. Pluralis autem numeri ratio reddi haec potest, quod allocutio pertinet ad omne pastorum genus, ex quorum numero Musae eminere atque excellere Hesiodum volebant. Innotuisse iam Epimenidi versum arguit eius imitatio versu hoc, quem citat Paulus Apostolus Ep. ad Tit. I. 12.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Hesiodea ipsa usurpavit Timon Phliasius apud Theodoretum de curandis Gentium morbis Serm. 2. (T. IV. p. 489.)

Σχέτλιοι ἄνθρωποι, κακ' ἐλέγχεα, γαστέρες οἷον.

Contulit Goettlingius Hom. Il. E. 787:

Αἰδὼς, Ἀργεῖοι, κακ' ἐλέγχεα, εἶδος ἀγητοὶ.

Neutro autem loco intelligendum εἰσίν. Est, si quid video, conviciantium allocutio, ut Il. B. 235. Visum h. l.

sic etiam I. H. Vossio, reddenti *Hirten der Flur, unnüz hintraümende*, *Bäuche nur einzig*, et iam antiquitus Timoni, supra citatis subiicienti *ποίων ἔκ τ' ἐρίδων καὶ λεσχομάχων πεπλανῆσθε.*

Ad *γαστέρες οἷον* Hesychius *τροφῆς μόνον ἐπιμελούμενοι· ὡς Ἡσίοδος ἐν τῇ Θεογονίᾳ.* Eadem explicant Schol. Par. C. *μόνον τὰ τῆς τροφῆς φρονοῦντες·* Schol. Vat. *μόνον γαστρίμαργοι.* Conf. Wetstenius ad Paulum l. c.

Ceterum habet hoc ex antiqua simplicitate gratiam, quod poëta Musas primo illo congressu et alloquio convicia sibi ingessisse refert.

v. 27. Iactant Musae primam in se dotem probabiliter mendacia fingendi. Censebatur igitur illa iam aetate poësis maxime fictione. Vt autem Hesiodus, *ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα*, sic Hom. Od. T. 203:

Ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

Theognis v. 713. 4.

Οὐδ' εἰ ψεύδεα μὲν ποιοῖς ἐτύμοισιν ὁμοῖα
Γλώσσαν ἔχων ἀγαθὴν Νέστορος ἀντιθέου.

Callimachus H. in Iov. 65.

Ψευδοίμην, ἀίοντος ἅ κεν πεπίθοιεν ἀκουήν.

ubi conf. Blomfield. ad vv. 67. 79. Horatius Ep. ad Pisones 338.

Ficta voluptatis causa sint proxima veris.

Ipsa Hesiodi verba citat Athenagoras Legat. § 24. extr. Ed. Marani.

v. 29. Ad *ἀρτιέπειαι* Gl. Par. C. G. *αἱ ἀπηρτισμέναι καὶ τέλειαι* (an *ἀπηρτισμένα καὶ τέλεια*?) *καὶ ὑγιῇ λέγουσαι· ἢ ἀρτίοις ἔπεσι χρωμέναι.* Gl. Vat. *αἱ τὰ ἄρτια καὶ ὁλόκληρα ἔπη λέγουσαι· ἢ ἀρτίοις κ. τ. λ.* Etym. M. in v.

p. 150. 30 seq. *αἱ ἀπηρτισμένα καὶ τέλεια λέγουσαι.* Conf. Eustath. p. 1269. 37 seq. Hesychius T. I. p. 557. 5.

v. 30 seqq. Dederunt Hesiodo Musae lauri virentis ramum egregie speciosum foliis, ut haec decerpta sibi sumeret, nudatumque sic foliis ramum porro sceptrum haberet; simul autem ei inspirarunt vocem divinam atque ita poëtam factum iusserunt cantu celebrare Deorum genus, primoque ac postremo ipsas. Tria igitur fuerunt Musarum dona, quibus eum e rudi pastore poëtam informarent, folia, sceptrum, inspiratio. Quod foliis lauri manducatis excitari vis poëtica crederetur, *δαφνηφάγον* Cassandram induxit etiam Lycophron v. 6. Sceptrum insigne erat vatum. Apud Aeschyl. Agam. 1237 eadem Cassandra moriens sceptrum proiicit de manibus. Hesiodum non ad citharam cecinisse, sed *ἐπὶ ῥάβδῳ ad virgam*, quam manu tenebat, ex ipsis eius carminibus liquere ait Pausanias IX. 30. Morem cantandi *ἐπὶ ῥάβδῳ* memorat etiam Callimachus fr. 138, maximeque eum proprium fuisse Deorum hymnos cantantibus indicat Hesychius in v. *Αἴσακος.*

Hesiodum cum lauro sive lauri ramo donum poëseos accepisse, dicunt huius loci memores Archias sive Asclepiades Epigr. supra cit. Dio Chrysostomus Or. LV. pr. Aristides T. II. p. 26. p. 370. Ed. Iebb. p. 32. p. 498. ed. Dind. Lucianus adv. Ind. 3. Disp. cum Hesiodo pr. Demosth. Encom. 12. Max. Tyrius XXXVIII. 2. p. 447. Themistius Or. XXX. 1. p. 348. Libanius T. I. p. 503. 16 seq.

Verbis Archiae sive Asclepiadis in Epigr. cit.

Καί σοι καλλιπέτηλον ἐρυσσάμεναι περὶ πᾶσαι
Ὤρεξαν δάφνης ἱερὸν ἀκρέμονα,

usi sunt Iortinus et Wolfius ad probatam ipsis lectionem *δρεψάμεναι* vel *δρεψάσαι* firmandam. Sed veremur, ut hinc

satis firmum argumentum petatur; cum in hoc Epigrammate alia quoque insint ab Hesiodi narratione diversa: tum pro vulgata lectione facit locus Aristidis T. II. p. 370. Ed. Iebb. (p. 498 Dind.) ἐν ὑπερβολῇ δὲ σεμνύνων τὰ ἑαυτοῦ τί φησι; δρέψασθαι θηητὸν· ὡς οὐδὲ τὸν τύχοντα κλαδίσκον λαβὼν, ἀλλὰ πολλῶν ὄντων τὸν μάλιστα περιβλεπτὸν εἶναι τὸ σκῆπτρον Ἡσιόδου. Apparet eum, δρέψασθαι θηητὸν iungentem, sceptrum ideo θηητὸν, h. e. περίβλεπτον, existimasse, quod multa ad decerpendum folia praeberet. Sed rectius iungas ἔδον (ὥστε vel εἰς τὸ) δρέψασθαι. Folia in hac narratione rem praecipuam se habere ostendit etiam Lucianus Rhet. praec. 4. Ἡσίοδος — ὀλίγα φύλλα ἐκ τοῦ Ἑλικῶνος λαβὼν, αὐτίκα μάλα ποιητὴς ἐκ ποιμένος κατέστη, et hinc quoque Maximus Tyrius l. c. factum poëtam e pastore dixit Hesiodum λαβόντα δάφνης κλαδοὺς, quippe qui, ratione etiam τοῦ ἐριθηλέος habita, ὄζον intelligeret luxuriantem surculis et foliis, non tantummodo ramum, quo pro sceptro uteretur. Neque aliter illum sibi informasse Archiam sive Asclepiadem, arguunt eius verba καλλιπέτηλον ἐρυσσάμεναι περὶ πᾶσαι, quamvis ille folia decerpsisse Musas velit Hesiodo, non Hesiodum sibi ipsum. Quod si id, ut vulgata docet, poëtam ipsum facere Musae voluerunt, verbum decerpendi notione positum inter ἐριθηλέος et θηητὸν magis etiam declarare videtur, causam iis, cur ἐκ πολλῶν ramum ei foliis luxuriantem et spectabilem eligerent, hanc fuisse, ut e foliis etiam utilitatem aliquam perciperet. Nam, si nihil nisi sceptrum ei dare voluissent, potius erat, ut eum immunem facerent laboris τοῦ δρέψασθαι, nudum foliis ramum tradendo. Wolfius autem in Musarum dono nil nisi sceptrum spectavit, folia rem Hesiodo inutilem putavit, quibus tamen acceptis maxime factum eum e pastore poëtam haud temere cum Luciano statuas. Folia autem ea

vim demum habebant decerpta et manducata. Vid. Sophocles apud Schol. ad h. l. (Fragm. inc. XCVIII apud Brunck.) Lycophron v. 6 ibique Tzetz. Tibullus II. V. 63 seq. Iuvenalis VII. 19 seqq. unde et Nicephorus Chumnus in Boissonadii Anecdotis Gr. T. III. p. 385. Ἡσίοδον ἐκ τῶν Μουσῶν δαφνοφάγον θρέμμα vocat. Tzetzes etiam in praef. p. 14 (Gaisf.) ἔνθεν τε πάντες νέοι πονεῖτε, καθάπερ Ἡσίοδος, καὶ δῶρα δρέψασθε Μουσῶν, ὡς ἐκεῖνος, καὶ δάφνας ἀμαράντους Ἑλικωνίτιδας: ἀλλὰ ταῦτα μὲν τὰ μυθοπλαστούμενα περὶ τῆς τοῦ Ἡσιόδου δαφνηφαγίας. Haec autem notio inest in δρέψασθαι *sibi ut decerperet*, non item in δρεψάμεναι, quamvis Proclus in vita Hesiodi p. 5 (Gaisf.) scribat: φασὶ δὲ, ὡς ἐννέα τινὲς ἐλθοῦσαι γυναῖκες καὶ δρεψάμεναι κλῶνας ἐκ δάφνης Ἑλικωνίτιδος αὐτὸν ἐπισίτισαν. Nicephorus ad Synesium p. 373, Musas exhibens Hesiodum δάφνης φύλλῳ θρεψάσας, iudice Boissonadio ad Hesiodum p. 163, nihil ad loci lectionem conferre putandus est, quippe qui memoriter scripsisse videatur, Cithaeronem etiam pro Helicone memorans; quod iudicium Viri eruditissimi ut sequor, ita miror, eum ad Chumnum p. 385. ex huius eo loco verbis colligere, Chumnum θρέψασαι legisse, cum potuerit ille vel vulgatam in hunc sensum cum aliis interpretari. Itaque nec Muetzellio adsentior statuenti p. 376. Scholiastam h. l. similiter interpretantem ad lectionem nonnullorum θρέψασαι respexisse et e nata inde traditione ortum quoque esse Procli ἐπισίτισαν. Nam videntur mihi quidem antiquiores Proclo et Scholiasta, ex quibus hi sua hauserint, illud de decerptis ab Hesiodo in suum usum foliis ex ipso δρέψασθαι collegisse. Quomodo autem illis uteretur vates, notissima res erat, unde nec disertius illud a poëta declarari necesse fuit.

v. 31 seq. ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν θείαν, ἵνα κλ. τάτ'

ἐσσ. πρό τ' ἐόντα] Aristides l. c. καὶ οὐδ' ἐνταῦθα ἔστη τῆς ὕβρεως, ἀλλ' ὥσπερ σὲ ῥηγνὺς ἐξεπίτηδες προστίθησιν· ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδήν. καὶ τοῦ μὲν ἔπους ἐτελεύτησε, τοῦ δ' ἐγκωμίου οὐδὲν μᾶλλον, ἀλλὰ καὶ θεσπεσίην πάλιν αὖ προσέθηκε· καὶ τό γ' ἔτι κάλλιον, ὥσπερ οἱ πανταχῇ περιττοὶ τῶν σοφιστῶν, ἵνα κλείοιμι τάτ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα. τοῦτο δ' ἐστὶ τί; τὰς Μούσας φησὶν ὑμνεῖν τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα καὶ ταύτην εἶναι τὴν Φύσιν αὐτῶν. κἀγὼ οὖν, φησὶν, ὑμνῶ ταῦτα, ἅπερ αἱ Μοῦσαι. Lucianus Disp. cum Hesiodo pr. Ἀλλὰ ποιητὴν μὲν ἄριστον εἶναι σε, Ἡσίοδε, καὶ τοῦτο παρὰ τῶν Μουσῶν λαβεῖν μετὰ τῆς δάφνης αὐτός τε δεικνύεις, ἐν οἷς ποιεῖς· ἔνθεα γὰρ καὶ σεμνὰ πάντα, καὶ ἡμεῖς πιστεύομεν οὕτως ἔχειν· ἐκεῖνο δὲ ἀπορῆσαι ἄξιον, τὶ δήποτε προειπὼν ὑπὲρ σαυτοῦ, ὡς διὰ τοῦτο λάβοις τὴν θεσπεσίαν ἐκείνην ᾠδὴν παρὰ τῶν θεῶν, ὅπως κλείοις καὶ ὑμνοίης τὰ παρεληλυθότα καὶ θεσπίζοις τὰ ἐσόμενα, θάτερον μὲν καὶ πανὺ ἐντελῶς ἐξενήνοχας, θεῶν τε γενέσεις διηγούμενος — ἔτι δὲ γυναικῶν ἀρετὰς καὶ παραινέσεις γεωργικάς — θάτερον δὲ — λέγω δὲ τὴν τῶν μελλόντων προαγόρευσιν, οὐδὲ τὴν ἀρχὴν ἐξαπέφηνας;

Recte animadvertit Muetzellius p. 379. ex Aristidis aliorumque probatissimorum auctorum locis et Codicibus Theogoniae omnibus effici, sola Musarum inspiratione laurique dono Hesiodum poëtam esse factum; at vero datas ei insuper a Musis aquas Heliconias potandas, ut volunt Archias sive Asclepiades A. P. IX. 64. v. 5. 6. Antipater ibid. XI. 2. v. 1. 2. Schol. ad Prolog. Persii v. 2. illud igitur nusquam testatum videri poëtam ipsum, sed eius historiae affinxisse recentiores.

v. 32 τά τ' ἐσσόμενα, ut μάντις, quo tamen munere nulla carminum suorum parte functum poëtam criminatur

Lucianus Disp. cum Hesiodo l. c. et in seqq. Vide tamen Ἔργ. 180 seqq.

v. 33 *καί με κέλονθ' ὑμνεῖν μακάρων γένος* respicit Libanius T. IV. p. 874 *οἶμαι γὰρ δὴ καὶ τοὺς παῖδας τοῦτο ἐγνωκέναι, ὡς μάλιστα δὴ τῶν ὑμνουμένων ποιητῶν Ἡσίοδος ὁ Μουσόληπτος γένοιτο καὶ παρ' ἐκείνων προσταχθείη γένος τε θεῶν· καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ χρηστὰ τοῖς ἀνθρώποις ᾄδειν.* Huic igitur parens praecepto *Ἡσίοδος ἦδε θεῶν καὶ ἡρώων γένη, κατόχος ἐκ Μουσῶν γενόμενος*, ut ait Lucianus Rhet. Praec. 4.

v. 35 *ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην* Gl. Par. G. *τοῖς ἀναισθήτοις καὶ μώροις ἔλεγον ἐκ δρύος ἢ πέτρης γεγεννῆσθαι.* Vere traditum hoc esse potest, sed nihil ad hunc locum pertinet, ut neque memorata in editi Scholii ad h. l. fine traditio de infantibus, quos olim in quercu vel rupe deposuerint, et altera, etiam ab Homero Od. T. 163. memorata, de antiquioribus hominibus e quercu vel saxo natis. Goettlingius Hesiodea ad voces e Dodonaea quercu vel specu Parnassia proditas referens, sic explicat, ut dixerit Hesiodus: *sed quid ea renuntio hominibus, quae ut divina oracula mihi erant concredita a Musis, pio silentio premenda?* Hermannus in Goettlingianae Censura *incerta, inania, futilia* interpretatur, quod ignorarent homines, cuius essent voces de quercu vel rupe editae. Mihi reputanti Homerica Il. X. 126. quibus lux accedit e coll. Theocr. III. 8. Ovid. Her. V. 13. *περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην λέγειν* notare etiam hîc videtur: ita garrire, ut rure amantes solent iuxta umbrosam quercum vel rupem. Namque aliud, ni fallor, sunt *περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην λόγοι*, aliud *περὶ δρυὸς καὶ πέτρης*, vel, ut Macario ap. Arsenium Walzii p. 185 dicuntur, *δρυὸς καὶ πέτρας λόγοι*, quod ille dictum

vult ἐπὶ τῶν ἀδολεσχούντων καὶ μυθολογούντων παράδοξα. Porphyrius in Vita Plotini c. 22. versum hunc in se convenire dicit, qui digressus a Plotini laudibus, quas celebrandas sibi proposuerat, de se quaedam locutus esset. Quidni cum illo versum in hunc sensum accipiamus, ut poëta, qui, cum Musas sibi celebrandas carminis principio sumsisset, hinc digressus ad sui mentionem fuerat, hoc iam ipse in se carpat dicens: ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην; Sic quoque Scholia edita pr. ὥσπερ ἄκαιρος ἐφάνη αὐτῷ ἡ ὁμιλία, ἣν ἤρξατο λέγειν, ὅτι αἱ Μοῦσαι ἐδωκάν μοι, καὶ τἄλλα.

v. 36 seqq. Poëta semet ipse quasi increpans, Age, inquit, Hesiode, ordiamur a Musis. Hinc statim subiicit Musarum praeconia: Iovem illae in ipsius regia (v. 37. 40.) canendo oblectant, concentu suo praesentia, futura et praeterita celebrantes. Musarum voce candida (v. 41.) exhilarantur Iovis aedes, resonat Olympi vertex, resonant immortalium ibi domus. Facit autem poëta Musas ea maxime celebrantes v. 44 seqq. quae sibi quoque ipse celebranda sumserat, antiquissimum Deorum genus a Terra ac Coelo originem ducens, hinc illo genere prognatum Iovem, Deorum iuniorum in homines beneficorum patrem, quem celebrantes Musae ab hac re initium ducant, in hac desinant, ut eum ceteris Diis omnibus praestare dicant potentia ac principatu. Porro poëta Musas oblectare etiam Iovis mentem ait commemorando genus hominum ac Gigantum. Scilicet pertinebant illa quoque vel maxime ad laudes Iovis, hominum patris atque regis, eiusdemque Gigantum domitoris. Quomodo suam in homines praevalere potentiam, nequicquam adversante Prometheo, Iupiter ostenderit, declaratur infra v. 535 seqq. quibus similia sunt in Ἔργ. v. 47 seqq., ut passim in illo carmine celebratur Iovis in

homines imperium: fuitque item in carminibus proxime Theogoniae subiectis arctiusque cum ea coniunctis plurima hominum generis mentio. Gigantum nonnisi brevior memoria exstat Th. v. 185 seq. attamen ut bellatorum; unde videtur etiam Gigantomachia nota fuisse Hesiodo, quamvis, an uberius eam alicubi memoraverit, haud constet.

v. 36. *τύνη Μουσάων ἀρχώμεθα.*) Exstat *τύνη* etiam Ἔργ. 10. apud Hom. Il. E. 488. Z. 262. M. 237. Π. 64. T. 10. Ω. 465. semper pro *σὺ*, quemadmodum etiam explicatur a Grammaticis, Apollon. Lex. in v. de Pronom. p. 69. Etym. M. p. 315. 41. Zonara, aliis. Scholia quoque ad h. l. item Gl. Par. C. *τύνη· σὺ δέ.* Plerique etiam interpretes *O tu* reddiderunt; *ergo* primus Schmidius, deinde Wintertonus et alii, nescio, an hoc unice secuti, ut concinnior esset sententiarum nexus. Nam *τύνη* id significare nequit. Propius ad verum accedit interpretatio Guyeti *age, agedum.* Attamen ille mendum subesse censuit, corrigendum scribens *τοίνυν*, quod merito improbavit Wolfius, ut Atticis scriptoribus conveniens, non antiquioribus poëtis. Visa tamen etiam Wolfio durior Scholiastae interpretatio. Sed quidni *τύνη* dictum videatur ab alloquente et adhortante semet ipsum? Contulit iam Goettlingius haec Vlyssis apud Homerum Od. Υ. 18. *τέτλαθι δὴ κραδίη*, Theognidis 997. *τόλμα, θυμὲ, κακοῖσιν, ὅμως ἄτλητα πεπονθώς*, Archilochi apud Stobaeum XX. p. 170. *θύμὲ, θύμ', ἀμηχάνοισι κήδεσιν κυκώμενε*, Aristoph. Ach. 450. 480. *ὦ θύμ' ἄνευ σκάνδικος ἐμπορευτέα.* Aristot. Polit. VII. 6. *Ἀρχίλοχος — τοῖς Φίλοις ἐγκαλῶν διαλέγεται πρὸς τὸν θυμόν· σὺ γὰρ δὴ παρὰ Φίλων ἀπάγχεαι.* Quibus praeter citatum iam ab ipso Wolfio Pindarum Ol. I. 5 seq. addi inprimis poterit, de quo optimus monuit me Geelius, Aristoph. Acharn. 954. *ὑπόκυπτε τὰν τύλαν ἴων, Ἰσμήνιχε,*

ubi mireris inde ab Scholiastis usque ad recentissimos commentatores, neminem vidisse Boeotum et hîc et v. 861. se ipsum alloqui. Sed addantur etiam Latina haec: Serv. Sulpicius in Ep. ad Cic. IV. ad Div. 5. *Visne tu te, Servi, cohibere et meminisse hominem te esse natum.* Terentius Andr. I. 111. pr. *Enimvero, Dave, nil loci est segnitiae, neque socordiae*, ubi sequitur *intellexi*, ut hîc ἀρχώμεθα, etiam Adelph. V. IV. 23. *age, age, experiamur*, ubi solus secum Demea loquitur. Scilicet, quando quis secum loquitur, sunt quasi duo colloquentes.

v. 37 ἐντὸς Ὀλύμπου abhorrere ait Goettlingius ab aetate Hesiodi, qua nondum Olympus coeli notione usurpabatur. Vid. infr. 42. 62. Fassus tamen ipse est, Od. Λ. 313. dici ἐν Ὀλύμπῳ: verum haec additamenta esse putat serioris temporis. Sed, quamvis fortasse nondum illa aetate Olympum usurpaverint pro coelo, tamen certe Olympi nomine significabatur Deorum in Olympo sedes, sive dicta mox δώματα πατρὸς. Itaque haec significare poëta potuit dicendo ἐντὸς Ὀλύμπου.

v. 38 εἰρεῦσαι) Hesychius εἰρεῦσαι· λέγουσαι· εἴρω γὰρ λέγω, οὗ ὁ μέλλων ἐρῶ. Ἡσίοδος ἐν τῇ Θεογονίᾳ. Tzetz. in Exeg. (p. 19) ut Hesiodeum citans ὃς ἠδη (sic) τά τε ὄντα τά τ' ἐσσ. πρό τ' ἐόντα, Homeri versum cum Hesiodeo confudit. Fuit autem huius versus, non minus, quam versus 32 memor Aristides loco supra citato.

v. 39 Φωνῇ ὁμηρεῦσαι] Hesychius ὁμηρεῦσαι· ὁμοφωνοῦσαι· ὁμοῦ λέγουσαι. Etym. M. p. 623. 54. Ἡσίοδος· Φωνῇ ὁμηρεῦσαι· τουτέστιν· ὁμοῦ εἴρουσαι. Veriorem etymologiam habet Orion Theb. p. 122. ὁμηρεῦσαι παρὰ τὸ ἄρω, τὸ ἁρμόζω, ταῖς Φωναῖς ἀλλήλαις ἡρμοσμέναι τε καὶ ἀρηρυῖαι.

Scilicet ab ὁμοῦ et ἄρω factum ὁμήρης *coaptatus*, hinc ὁμηρέω *coapto*, *concordare* et *concinere facio*. Apud Hom. Od. Π. 468. ὡμήρησε δέ μοι — ἄγγελος i. e. *concurrit mecum in unum locum, occurrit mihi nuntius*. Conf. Harpocration v. ὁμηρεύσοντες, Apollon. Lex. in ὡμηρῆσε. Pertinet eodem Zonarae ὁμηρῶ· ἐντυγχάνω. Photius habet ὁμηρεύειν, συμφωνεῖν. Sed hoc apud Euripidem et alios notat *obsidem esse* ab ὅμηρος. Vid. Harpocration d. l. Tzetzes autem in Scholiis ad Exegesin l. c. p. 147. sic ait: verba a nobis suppleta dabimus: ὁμηρεῦσαι· οἱ πλείονες ἐπὶ τῶν Μουσῶν αὐτὸ ἐκλαμβάνουσιν, ἀντὶ τοῦ [ὁμοῦ] εἰρεῦσαι καὶ λέγουσαι· ἐγ[ὼ δὲ] Ἡσιόδου τοῦτο ἐνδέχομαι· μετὰ τὸ εἰπεῖν τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσ[σόμενα πρό] τ' ἐόντα ἐπιφέρει· ἵνα φω[νῇ ὁμη]ρεύσω· τῶν δὲ Μουσῶν ἡ[φωνὴ] πᾶσι ῥέει· ἤγουν Ἡσίοδος οἱ [αὐτῷ] καὶ τοῖς λοιποῖς καὶ σχεδ[ὸν] λέγει τὴν παροιμίαν, ὅτι κοῖ[νος ὁ] Ἑρμῆς· εἰ γὰρ ἦν, ὡς ἐκεῖνοι φασὶν, ὁμειρεῦσαι ἀντὶ τοῦ ὁμοῦ [εἰρεῦσαι] δίφθογγον, ὤφειλε γράφεσθαι τὸ μει, οὐχὶ ἦτα, ὡς τὸ φύλακὰς δ' ἄς εἴρεαι ἥρως καὶ τὰ [λοιπά]. Οἱ δὲ λέγοντες, ὅτι λοιπὸν (an λέγειν?) ὁμη[ρῆσαι] ὤφειλε κατά σε, ἵστωσαν, ὅτι κοινῶς ἡ Ἰωνὶς καὶ Δωρὶς [καὶ] Αἰολὶς τυραννεῦσαι ἀντὶ [τοῦ τυ]ραννῆσαι καὶ ὑβρεῦσαι ἀντὶ [τοῦ] ὑβρίσαι (?) φασὶν, ὡς οἱ Ἀτρικοὶ τὸ ἀνά[παλιν]· παράγουσι γὰρ ἀπὸ το[ῦ σελῶ] καὶ ποιοῦσι σελαΐζω καὶ ἀπὸ τοῦ νεμεσῶ, νεμεσίζω [καὶ τἄλλα] ὅμοια. Itaque construxit homo ineptus ὥστε ὁμηρεῦσαι (ἐμὲ) φωνῇ, idque significare credidit *communicare*.

v. 40 γελᾷ δέ τε δώματα πατρὸς. Gl. Par. C. διαχέονται καὶ χαίρουσί, φησιν, οἱ οἶκοι τοῦ Δίος. Conf. l. H. Vossius ad H. in Cer. v. 14.

v. 41. ὀπὶ λειριοέσσῃ) *voce liliacea*, quod si ad candorem lilii referas, commode expones *candida*, cum familiaris

haec sit a coloribus ad vocem translatio. Aristot. in Topic. I. 13. *Φωνὴ γὰρ λευκὴ καὶ μέλαινα λέγεται· ὁμοίως δὲ καὶ τὸ χρῶμα* et sic Latinis *candida vox* opponitur *fuscae*. Vid. Plinius XXXVIII. 6. Quinctil. I. O. XI. 3. Sane *χρόα λειριόεντα* apud Homerum Il. N. 832. rectius accipias *λευκὸν*, quam, ut Apollonius *ἁπαλὸν*. Quod addit Apollonius *οἱ δὲ τὴν προσηνῆ. Ἀπίων δὲ τὴν ἡδεῖαν* ad *ὄπα λειριόεσσαν*. Il. Γ. 152. pertinet. Ex his Apionis explicatio praeferenda alteri videtur et *candida vox* eadem est *suavis*. Etymologo M. p. 562, 35. *λειριόεσσα* simpliciter est *γλυκεῖα, ἐπιθυμητὴ, ἡδεῖα*. Photius *λειριόεντα* primum *ἁπαλὸν* interpretatur, sed hinc (*τὰ λειριόεντα*) *προσηνῆ, τερπνὰ, ἡδέα*, Zonaras *λειριόεσσαν, ἡδυτάτην, γλυκεῖαν*. Heynio ad Il. Γ. 152. repetenda suavitatis notio videtur ab odore lilii. Alii *λείριον* universe florem accipiunt, itaque *ὄπα λειριόεσσαν* exponunt *εὐανθῆ, ἀνθηρόν*. Vid. Lucianus in Herc. 4. Schol. ad Apollon. Rhod. I. 879. Eustath. ad Il. p. 395. Gl. etiam Par. C. h. l. *ἡδεῖα καὶ ἀνθηρὰ καὶ θαυμαστή*. Ausonius Ep. 17. *floridissimus tui sermonis afflatus*.

v. 44. *θεῶν γένος αἰδοίων*) De *θεῶν* monosyllabo disputat Muetzellius p. 37. haud levi nota perstringendum censens, eamque licentiam esse inter eas, quae faciant ad illustrandam huius prooemii conditionem et dignitatem, cum in Hesiodeis reliquiis nulla vocis *θεὸς* tale quid usquam praeter hunc locum experta sit. Sed nimis paucae sunt Hesiodi reliquiae, quam ut inde satis tuto colligatur, quid in talibus licere sibi putaverit. Apud Homerum quidem similiter invenias Il. A. 18. *Τμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν*, Od. Ξ. 251. in init. *Θεοῖσιν τε ῥέζειν*. Conf. Spitzner. de versu Gr. heroïco c. VI. §. 3.

v. 52. *Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες* dictae, vel quod essent in

Olympi vicinia natae (vid. infra v. 62), vel quod in Olympo versari solitae. Vid. infra v. 75. Il. A. 606.

v. 53. Poëta Musas cum ex Iove natas v. 52. dixisset, hinc addit, quo loco, qua matre et quomodo natae sint. Pieria dicebatur montium tractus inter Macedoniam et Thessaliam. Hinc venientes Pieres Musarum religionem Heliconi vicinisque locis intulerunt. (Vid. Strabo IX. p. 410. Pausanias IX. 29.) Itaque mythico sermone natae dicuntur Musae in Pieria. (Conf. Ἔργ. 1.) Elegans commentum, quo Μνημοσύνη (*Memoria*) mater dicitur Musarum, merito praedicant Maximus Tyr. Diss. XVI. extr. et Plutarchus, seu quisquis auctor fuit libelli de Puer. Educ. T. II. p. 9. E. Conf. infra 915 seqq.

Quod autem narrat Plutarchus Conv. Quaest. IX. 14. pr. ἐκ τούτου σπονδὰς ἐποιησάμεθα ταῖς Μούσαις καὶ τῷ Μουσηγέτῃ Ἀπόλλωνι παιανίσαντες συνήσαμεν τῷ Ἐρατῶνι πρὸς τὴν λύραν ἐκ τῶν Ἡσιόδου τὰ περὶ τὴν τῶν Μουσῶν γένεσιν, ex ea narratione tuto posse colligere sibi videtur Muetzellius p. 381. locum hunc de Musarum generatione paullo uberius fuisse apud veteres in hoc carmine explicatum. Mihi non perinde hoc liquet. Scilicet, quae deinde sequuntur apud Plutarchum, arguunt, ᾠδὴν illam complexam esse etiam ea, quae sunt in prooemio post v. 75, ut sic cantilenae nihil ad iustam magnitudinem defuerit.

v. 54. γουνοῖσιν Ἐλευθῆρος μεδέουσα) Dicuntur Dii μεδέειν τόπων vel τόποις *curam gerere locorum, prospicere locis*, in quibus coluntur. Vid. Hom. H. in Ven. 4. in Herc. 2. Mnemosyne, Dea consulens ac prospiciens γουνοῖς, locis γονίμοις *fertilibus* Eleutheris, templum, ut videtur, habuit ac praecipua religione culta fuit in urbe, quae postea multitudinis numero dicta Ἐλευθεραί. Eam ferebatur Eleuther,

Apolliuis et Aethusae, Neptuno genitae, filius, in Boeotorum condidisse finibus prope Cithaeronem, ita ut a Boeotia, Cithaerone, Plataeis iter in Atticam et Megaridem facientes primae Eleutherae exciperent. Vid. Strabo IX. p. 412. Pausanias I. 38. extr. Stephanus de urbibus in v. Vrbis, crebris finitimorum bellis et calamitatibus implicitae, iam aetate Pausaniae non nisi murus et vestigia aedium exstabant.

Exquisitior est constructio verbi *μεδέω* cum dativo, vulgarior illa cum genitivo, quod fraudi fuit citanti haec verba Etymologo M. p. 329. 24. *παρὰ τὸ ἐλεύθω, τὸ παραγίνομαι, Ἐλευθὴρ ὄνομα πόλεως τῆς Βοιωτίας· Ἐλευθήρος μεδέουσα· Ἡσίοδος.* Citat Muetzell. p. 382. *μεδέων χθονὶ* in Macedonii epigrammate A. P. VI. 30.

Ad *γουνοῖσιν* Gl. Vat. et Par. G. *γονίμοις τόποις.* Similiter explicant Apollonius in Lex. Suidas, Schol. ad Il. I. 530. alii. Infra v. 329. *γουνοῖσι Νεμείης.* Conf. Od. A. 193. Λ. 322. Herod. IV. 99.

Ad *Ἐλευθῆρος* Gl. Par. G. *ὄνομα πόλεως*, ut Scholiasta ad h. l., qui montem quoque dictum sic fuisse tradit. Itaque montem hîc intelligi vult Goettlingius, cum urbi nomen fuerit *Ἐλευθεραί.* Sed potuit haec *Ἐλευθὴρ* et *Ἐλευθεραὶ* dici, ut *Θήβη* et *Θῆβαι.*

v. 56. *Ἐννέα γάρ οἱ νύκτας ἐμ. μητ. Ζεὺς*) Mnemosyne novem ut uno partu Musas ederet, novem noctes cum ea Iupiter concubuit, quemadmodum et tres noctes eum concubuisse cum Alcmena ferunt, ut Hercules tantus ederetur. Vid. Ovidius Her. IX. 9 seq. Ceterum declaratur item hoc commento Iovis amor in Mnemosynen Musarum matrem.

Respiciunt haec et sequentia Origenes Philosoph. c. 26. (qui tamen perperam *ἐννέα νύκτας ὁμοῦ καὶ ἡμέρας* cum Mnemosyna concubuisse vult Iovem) et Eudocia p. 294.

v. 58 seqq. Ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐνιαυτὸς ἔην — ἡ δ' ἔτεκ' ἐννέα κοῦρας. Similis est constructio H. Hom. in Apoll. 349 seqq. et omnino frequens δὲ in apodosi apud Epicos. ἐνιαυτὸς intelligendus est annus antiquus decem mensium. Vid. Macrobius Saturn. I. 11.

Leguntur vv. 58. 59. etiam apud Homerum Od. K. 469., ubi tamen est μακρὰ τελέσθη pro eo, quod hîc habemus, πολλ' ἐτελέσθη. Similia exstant etiam Od. Λ. 294 seq. Ξ. 293 seq. T. 152 seq. Ω. 142 seq. H. in Ap. l. c. Scilicet, ut solemnia fuere epitheta certis rebus attributa, sic fuisse etiam videntur de quibusdam rebus certae et solemnes loquendi formulae, iam ante Homerum et Hesiodum receptae, quae poëtis, postulante id carminis ratione, statim in mentem venirent, et ab iis hinc frequentarentur, paucis subinde immutatis.

v. 60. ἡ δ' ἔτεκ' ἐννέα κοῦρας δμόφρονας] Pro tribus Musis, quae antiquitus fuerint, novem Hesiodi primum aetate inductas dicit Plutarchus Conv. Quaest. l. c. § 3. Conf. Cornutus c. 14. Eudocia l. c.

Correptum ας in κοῦρας est Hesiodeae dictionis. Conf. Th. 267. 401. 534. 653. Ἔργ. 564.

v. 61. μέμβλεται) A μέλω facta μεμέλω, μέμλω, μέμβλω, ομαι et hinc μεμβλόω, παραμεμβλόω, unde παρμέμβλωκε Il. Δ. 11. Ω. 75. *assidua cura amplecti solet.* Hesychius μέμβλεται, μέλει, Φροντίζει, ἐπιμελεῖται, παραγίνεται. Vide eundem in μέμβλεσθαι et μέμβλετο et confer Heynium ad Il. Δ. 11.

ἀκηδέα θυμὸν ἐχούσαις] cum sint λησμοσύνη τε κακῶν, ἀμπαυμά τε μερμηράων.

v. 62. τυτθὸν ἀπ' ἀκροτάτης κορυφῆς νιφ. Ὀλ. locus

puerperii in Pieria accuratius declaratur. Aberat ille non longe a vertice Olympi, quem montem Theophrastus H. Pl. III. 3. *Pierium* vocat.

v. 63. *Ἔνθα σφι λιπαροί τε χοροί.*) Dubium videri potest, sitne *ἔνθα* referendum ad locum, ubi natae Musae, an vero ad proxime praecedens *Ὀλύμπου*. Pro hoc facit, quod mox dicuntur *Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι*, pro illo, quod dicuntur *Ἔργ.* 1. *Μοῦσαι Πιερίηθεν ἀοιδῇσι κλείουσαι.* Sed fuit ipse Olympus mons Pieriae.

χοροὶ καὶ δώματα hîc iunguntur, ut Od. M. 4. *οἰκία καὶ χοροί*, ibid. 318. *χοροὶ ἠδὲ θόωκοι*, et sic etiam Il. A. 590. Od. Θ. 260, 264. *χορὸς* dicitur *τόπος χορείας*, quod bene observatum a Muetzellio p. 382. non tamen eo valere debet, ut, quae Scholiasta ad v. infra 68. *αἰ τότ' ἴσαν πρὸς Ὀλ.* ex Aristophane notavit: *νῦν περὶ τῆς ἀνόδου ταῦτα φησὶ τῆς εἰς τὸν Ὄλυμπον· ὁ πρότερος γὰρ ἦν λόγος αὐτῷ περὶ τῆς ἐν τόπῳ αὐτῶν χορεύσεως*, ut haec igitur cum Muetzellio *luce clarius* ostendere statuas, Aristophanem non hunc versum, sed supra memoratam v. 7. Musarum in Helicone *χορείαν* respexisse, eumque totius loci fuisse tenorem, ut, quae sequuntur a v. 68. ad initium carminis apte commodeque referri potuerint. Namque *χοροὶ*, etiam ubi *τόπον χορείας* significant, semper tamen adiunctam sibi habent ipsius *χορείας* notionem, quo respexisse Aristophanes in verbis *ἐν τόπῳ αὐτῶν χορεύσεως* potest.

v. 64. *πὰρ δ' αὐτῇς Χάριτές τε καὶ Ἵμερος οἰκί' ἔχουσιν*) Schol. ad Pindari Ol. IX. 39. *ὅτι δὲ παροικοῦσι ταῖς Μούσαις αἱ Χάριτες καὶ Ἡσίοδος μαρτυρεῖ· πὰρ δ' αὐταῖς Χάριτες τε καὶ Ἱμ. οἰκ. ἔχουσιν* et ad v. 40. *φησὶν Ἡσίοδος ἐν Θεογονίᾳ μετὰ Μουσῶν εἶναι τὰς Χάριτας· πὰρ δ' αὐταῖς κ. τ. λ.* Obversatus hic locus etiam

Plutarcho de Discr. Adul. et Amici T. II. p. 49. E. ubi de Amicitia *παρὰ δὲ αὐτῇ Χάριτες τε καὶ Ἵμερος οἰκί' ἔθεντο.* Musarum et Gratiarum *συζυγία* celebratur etiam ab Euripide in Herc. Fur. 675., *Μουσέων καὶ Χαρίτων καλὸς χορὸς* H. Hom. in Dian. altero v. 15.

v. 65. *ἐν θαλίῃς*, post *οἰκί' ἔχουσιν* in superioris versus clausula, diu nihil habere molestiae visum Viris Doctis, Wolfio demum scrupulum obiecit, cuius ille tollendi gratia maiorem distinctionem post *ἔχουσιν* posuit, verba autem *ἐν θαλίῃς* iuncta voluit cum sequentibus. Wolfium secutus est Boissonadius. Sed iam Heynius recte animadvertit, *δὲ* sic non suo loco esse positum, qui propterea legendum proposuit *ἐν θαλίῃς δ' ἐρατήν γε διὰ στ.* ceterum notans, scabritiem etiam reliquis insidere, quippe carminibus, quae a diversis rhapsodis profecta videantur. Goettlingius, antiqua distinctione servata, ita explicandum locum duxit, ut *ἐν θαλίῃς* sit, adiunctis etiam in eorum honorem festis, nempe Charitesiis, quae non solum apud Orchomenios, sed etiam in Pieria celebrabantur. Hermannus autem in Censura Goettlingianae vv. 62—64. ex alio prooemio invectos statuit et connexa fuisse *Ἣ δ' ἔτεκ' ἐννέα κοῦρας ὁμόφρονας, ἧσιν ἀοιδὴ Μέμβλεται, ἐν στήθεσσιν ἀκηδέα θυμὸν ἐχούσαις Ἐν θαλίῃς*, vel, locum mutare iusso versu 66., *ἐν στήθεσσι δ' ἀκηδέα θυμὸν ἔχουσαι, Ἀθανάτους κλείουσιν, ἐπήρατον ὄσσαν ἰεῖσαι Ἐν θαλίῃς.* Muetzellius p. 381. ex Schol. Cant. p. 219. colligit, versum 62. olim positum fuisse initio narrationis (post v. 53. vel unum proxime sequentium). Porro ait ex eiusdem Schol. ad v. 64. p. 221. notatione luculenter apparere, vv. 63 et 64. olim aliam habuisse sedem, in qua mentio fuerit Heliconis, vicinaeque ibi Musis aedis *Χαρίτων καὶ Ἱμέρου*· his igitur versibus e reliquorum continuitate demtis apte iungi v. 61 et 65.

Mihi ex corruptis verbis Scholiastae Cant. p. 219., notationi ad τὰς ἐν Πιερίῃ subiectis, Κρόνος τέκε τυτθὸν ἐπ' ἀκροτάτης κορυφῆς· λείπει τὸ οὖσαν· τὴν Πιερίαν δηλονότι, nihil videtur satis certo posse colligi, praesertim cum idem Scholiasta p. 221. post annotationem ad μέμβλεται subiiciat τυτθὸν ἀπ ἀκροτάτης) ὑπερβατόν ἐστι· τὰς ἐν Πιερίῃ τέκε τυτθὸν ἀπὸ τοῦ Ὀλύμπου· ἐγγὺς γὰρ ἡ Πιερία τοῦ Ὀλύμπου. Sunt autem sequentia eiusdem verba ad v. 64. Φησὶ γὰρ, ὡς ὅτι ἐστὶν ἐν Ἑλικῶνι Χαρίτων ἱερὸν καὶ Ἱμέρου καὶ Μουσῶν item in prioribus vitiata (Schol. Ven. Φασὶν ὅτι), nec, si vel verum existimetur Φησὶ, quicquam aliud declarare mihi videntur, quam ipsius mentem Scholiastae, qui ob coniuncta, quae noverat, vel de quibus inaudiverat, in Helicone ἱερὰ Musarum, Charitumque et Ἱμέρου, de his poëtam etiam locutum opinaretur. Sed potuit poëta Musarum δώμασιν etiam in loco ipsarum natali non longe ab Olympi vertice vicina Χαρίτων καὶ Ἱμέρου cogitare domicilia, cum essent hi Dii semper arctiore inter se necessitudine coniuncti. Equidem relinquendum puto locum, ut est, servata quoque distinctione vulgata; accipiendum autem ἐν θαλίῃς de festis, non hominum, sed Deorum conventibus et choris, qualis chorus describitur in Sc. v. 201.; habere autem ἐν θαλίῃς post οἰκί' ἔχουσιν illud quasi restringendi potestatem. Scilicet Musae propriam sibi habitationis sedem habebant in Helicone (supra v. 2) ubi, si Scholiastam audias, ἱερὰ erant, ut ipsarum, ita Χαρίτων quoque et Ἱμέρου. Cum autem Deorum in Olympo θαλίαις semper etiam interesse Musae deberent (conf. Il. A. 604.) ut erant omnino θαλιῶν προστάτιδες Μοῦσαι (vid. Schol. ad Apollon. Rhod. III. 1.), erant ibi quoque ad excipiendas eas parata δώματα, iuxtaque eas perpetui comites earum Ἵμερος καὶ Χάριτες item tunc οἰκί' εἶχον *habitabant*, alias solitae cum illis in Helicone degere. Vult igitur, ni fal-

lor, poëta significare, illa in Olympo domicilia non nisi ἐν θαλίῃς sive, quando erant Deorum θάλιαι, incoluisse Ἵμερον et Charites. Ceterum post haec, pro tuenda vulgata distinctione, serieque versuum a me disputata, confitendum est, scrupulum mihi facere neglectum v. 64. in Ἵμερος οἰκί' ἔχουσιν digamma; quod interpolationis vel corruptelae suspicionem augeat. Tollatur quidem multum difficultatis, si poëtam dedisse censeas ἑδριόωνται ἐν θ. (conf. Od. Γ. 35. 39. H. 98.) quod postea alius, ob vicina horum Deorum in Helicone domicilia, in οἰκί' ἔχουσιν mutaverit.

v. 66. νόμους interpretes male reddiderunt *leges*. Rectius Scholiasta exposuit τὰς διατριβὰς, τὰς νεμήσεις, τὰ διατήματα. Sunt ἀθανάτων νόμοι, quae propria singulis Diis attributa sunt. A νέμω *distribuo* dicitur etiam Ἔργ. 401. Il. Υ. 249. ἐπέων νόμος, non lex, sed διανέμησις, διάταξις, *distributio sermonis*. Quod autem alicui attributum ac proprium est, id fit eius ἦθος, sive συνήθεια, ut νόμος exponitur a Photio. Est πεδίων νόμος Ἔργ. 388. *mos camporum agricolae servandus*, Th. 417. ἕρδων ἱερὰ — κατὰ νόμον *secundum morem sacris proprium, in sacris observari solitum*. Hinc invaluit, ut νόμοι significarent etiam θεσμοὺς *leges*, primum non scriptas, deinde scriptas quoque. Discrimen inter νόμον et νομὸν, cuius ratio hîc habita est a Ven., et in quibusdam Homeri Cod. Il. Υ. l. c. recentioris est aetatis.

Iupiter unicuique Deorum suas rerum partes distribuit et honores ordinavit (infra v. 74.), sicut hominibus etiam proprium adsignavit νόμον, vivendi modum ac morem, et alium item proprium piscibus, feris, volucribus, Ἔργ. 276 seqq.

v. 67. ἐπήρατον ὅσσαν ἱεῖσαι post (v. 65.) ἐρατήν τε διὰ

στόμα ὅσσαν ἰεῖσαι ad nostrum sensum ingrata et inepta est repetitio, tolerabilis tamen visa etiam Goettlingio, ut Homerica Il. X. 126 seq. Callim. H. in Lav. Pall. 72—74. atque id genus alia: viderique tolerabilis debet reputantibus, esse antiquae simplicitatis repetere sermone ea, quae maxime menti loquentis obversantur. Versu hoc, quem uncinis inclusit Dindorfius, remoto, *πάντων* in v. 66. incertum est, quo referendum sit.

v. 68. *αἳ τότ' ἴσαν πρὸς Ὄλ.* quae tunc, quo tempore primum erant editae in lucem, statim ex illo loco Pieriae, ubi natae erant, choreis ductis ad summum Olympi verticem ipsamque Iovis regiam se contulerunt. Scilicet Dii statim a nativitate adulti credebantur. Sic Mercurius, teste Homerico in illum Hymno v. 17 seqq. *ἠῶος γεγονὼς μέσῳ ἤματι ἐγκιθαρίζεν· Ἑσπέριος βοῦν κλέψεν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος*, ubi conferenda etiam sequentia. Minerva ex Iovis capite statim adulta et armata prodiit H. Hom. in Min. altero v. 5 seqq.

v. 71 seqq. mentione patris Musarum facta, subiicit poëta: *ὁ δ' οὐρανῷ ἐμβασιλεύει κ. τ. λ. hic vero* (pater) *coelo imperat cet.* ut significet, Musas in hoc ipso patre praeclarum statim habuisse argumentum carminis, quod igitur statim etiam arripuerint.

v. 72. *αὐτὸς ἔχων κ. τ. λ.* ipse hoc praecipuum habens *γέρας* et patre debellato regnans (infra v. 464 seqq. 490 seq.). Aliis autem Diis alios honores apte distribuit.

vv. 73. 74. ut Hesiodeos ex Theogonia citat Theophilus ad Autolyc. II. 5.

Ad *εὖ δὲ ἕκαστα* Gl. Par. C. ut Schol. *τούτεστιν ἑκάστῳ τῶν θεῶν καλῶς τὴν ἁρμόζουσαν ἐπέφραδε τιμήν.*

Ad *ἐπέφραδε* Gl. Par. C. *ἐπεσκόπησεν, ἐνόησεν.* Citatus iam a Guyeto Hesychius *ἐπιφράσσασθαι· ὑπονόησαι ἢ ἐπινόησαι.* Buttmanno autem Gramm. Gr. ub. II. p. 250. videtur aoristus esse cum augmento, *ἐπέφραδον* pro *πέφραδον.*

v. 75. Ταῦτ' *ἄρα* Μοῦσαι *ἄειδον κ. τ. λ.*) Heynio visa haec arguere, insititia esse, quae inde a v. 51. subiecta sint. Sed nihil obstat, quo minus *ταῦτα* referas ad *ὅ δ' οὐρανῷ ἐμβασιλεύει* et sequentia, quibus commemorantur ea, quae a Musis edoctus poëta sibi quoque carmine celebranda sumserat. Idem Heynius proxime versum hunc excipientia vix ipsius Hesiodi, valde tamen antiqui poëtae esse opinabatur.

vv. 77. 78. 79. ut Hesiodi citat Diod. Sic. IV. 7. Hesiodum novem Musas cum nominibus prodere dicit Arnobius III. 7. Conf. et Varro apud Augustin. de Doctr. Christ. II. 17. Plutarch. Conv. Quaest. IX. 14. p. 743 seq. Ovidio lectos fuisse versus hos in hoc prooemio, ut supra v. 22 seqq., arguunt eius supra citati versus A. A. I. 27 seq.

Graecis carmina maxime adhibebantur in sacrorum festivitate vel conviviis ad mulcendos audientium animos, celebratis ad citharam Deorum, heroum, fortium virorum laudibus, simul saepe oblectante oculos tripudiantium choro. Hinc igitur nomina indita sunt Musis, tum novem illis Iovis ac Mnemosynes filiabus, tum quatuor illis antiquioribus, quas commemorat Cicero de N. D. III. 21.

v. 79 seqq. Musa, praeses eloquii, *καλλιεπείας*, hinc regibus adest, ut eos disertos faciat et moderandis concionibus idoneos, a quo praecipuo eius munere ipsa quoque

προφερεστάτη habita. Tenendum est, priscis temporibus civilem etiam atque forensem eloquentiam ompem quasi musicam fuisse, abundantem exemplis et narrationibus (μύθοις) ex priore aevo; cuius generis sunt apud Homerum orationes Nestoris, Phoenicis, aliorum; usurpantem etiam subinde fabellas (αἶνους), quod de Iothamo et Menenio Agrippa constat. Itaque regibus, qui quidem λιγεῖς ἀγορηταὶ esse vellent, harum rerum scientia communis esse cum poëtis debuit. Ne quis autem uberiorem regum mentionem in hoc prooemio miretur, recordandum est, aetate Hesiodi poëtas in regum maxime conviviis sua recitasse carmina, quippe quorum in primis gratiam ac dona sibi demereri vellent, cui consequens erat, ut esse e re sua censerent, persuadere iis, per commercia cum Musis et poëtis maximam reges auctoritatem consequi. Suadet igitur ipsa illa uberior regum h. l. mentio, ut hanc prooemii partem nisi ab Hesiodo, certe cum Heynio ab antiquo poëta profectam censeamus. Hesiodo tribuere non dubitarunt Plutarchus Conv. Quaest. loco saepius citato, aliique memorandi infra scriptores.

vv. 79—90. citat Stobaeus Serm. XLVI. p. 326. Eorum, quae versu 79 continentur, mentione facta, sequentes 80—85. subiicit Themistius IX. 122. Ad προφερεστάτη in v. 79. respicere videntur Plato in Phaedro p. 207. B. Leonidas A. P. IX. Epigr. 344. Themistius Or. XXXI. extr. Libanius T. I. p. 71. Essetne autem προφερεστάτη *maxima natu*, *primum edita*, an *ceteris dignitate praestans*, iam apud veteres dubitatum, aliis hoc, aliis illud probantibus, ut collatis Platonis, aliorumque locis supra citatis et Scholiis ad h. l. apparet. Conf. infra v. 361, 777.

vv. 80. extr. 81 – 90. ut Hesiodeos citat Aristides T. II.

p. 98 seq. Ed. Icbb. p. 131. Dind. vv. 80—87. Themistius IX. p. 122. D. seq.; versum 81. idem Or. XXXI. extr. vv. 80—82. Dio Chrysostomus Or. II. de Regno T. I. p. 80 seq.; versum 80. inde a *βασιλεῦσιν* Cornutus c. 14 et Plutarchus T. II. p. 746. D. p. 801. E.

v. 82. *γεινόμενον τ' ἐσίδωσι κ. τ. λ.* Imitando expresserunt Callimachus Ep. XXXII. 4. Theocr. IX. 35. Horat. Od. IV. 3. pr. Statius Silv. V. III. 21.

vv. 85—92. citat Stobaeus Serm. LXXVII. p. 468. explicat Themistius Or. cit. p. 123. D. Similia sunt Homeri Od. Θ. 171. de Alcinoo: *Οἱ δέ τ' ἐς αὐτὸν Τερπόμενοι λεύσσουσιν· ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει Αἰδοῖ μειλιχίῃ· μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισιν· Ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ, θεὸν ὣς, εἰσορόωσιν*; ad quem locum Clarkius notat, sua inde Hesiodum v. 85 seq., item v. 91 et seq. sumsisse, in quo consentientem ei videas Wolfium. Sed potest uterque poëta sua ab antiquiore sumsisse.

Regum in antiquissimis civitatibus praecipuum munus erat iurisdictio. Conf. *Ἔργ.* 39. 248. 261 seqq. Apollon. Rh. II. 1209. Ad hoc autem munus bene exsequendum opus ipsis erat tum prudentia, tum eloquentia; nec vero minus ad moderandas conciones. Itaque addit poëta v. 86 seqq. *ὁ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύων κ. τ. λ.* id est: tum etiam rex illa oratione utens, quae redargui facile non possit, celeriter componere solet vel magnum ortum in civitate dissidium. Namque *ideo* (vel *in eo*) *reges sunt ἐχέφρονες, prudentes, quod in concione populis βλαπτομένοις, errore vel pravitate consilii in noxam incurrentibus*, (conf. Iliad. I. 508. O. 484. 489.) *facta infecta reddunt: efficiunt, ut illi facta sua mutent, cum illos eo leni oratione duxerint.*

Pro *ἀγορεύων* Lennepius ad Coluthum p. 50. *ἀγορεύει*

reponendum censuit ob supra citatum Homeri locum; tum sequenti versui subiiciendum versum 92. Hermannus in Cens. Goettl. vv. 87—92. alterius esse recensionis statuit et post *ἀγορεύει* statim fuisse (v. 93) *οἷά τε Μουσάων κ. τ. λ.*

v. 87. *αἶψά τε καὶ μέγα νεῖκος ἐπισταμένως κατέπαυσε* sine nomine auctoris citat Arrianus Epict. Diss. II. c. 12. § 16. Goettlingius, cum in priore Editione coniungenda censuisset *αἶψα τε καὶ ἐπισταμένως*, rectius in altera coniungendum *τε* cum praegresso participio statuit, de qua copulae illius constructione adnotatio exstat Hermanni ad Viger. p. 772. Certe iungenda *καὶ μέγα νεῖκος vel magnum iurgium.*

vv. 88. 89. 90. citat Stobaeus Serm. XLVI. p. 326.; versus 88. principium Schol. Sophocl. ad Philoct. 136. ubi scriptum *τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες*, ut in omnibus legitur Hesiodi Codicibus. Inepte reddita haec in Graeviana: *propterea reges prudentes sunt, ut populis res iterum integras restituant.* Rectius Basileensis et Schmidius: *in hoc enim reges prudentes, quod populis cet.* Aristides d. l. *καὶ προστίθησι Τοὔνεκεν ἄρ βασιλῆες ἐχέφρονες κ. τ. λ. δύ' ἐν τούτοις μαρτυρῶν, ὅτι τε ἡ ῥητορικὴ σύνεδρος τῆς βασιλικῆς καὶ ὅτι περὶ τὸν αὐτόν ἐστι τό τε τοῦ ἐχέφρονος προσρῆμα καὶ τὸ λέγειν καλῶς.* Vide similiter iuncta *οὕνεκα — τοὔνεκα* apud Hom. Il. Γ. 403. 405. N. 727 seq.

v. 93. *οἷά τε Μουσάων ἱερὴ δόσις ἀνθρώποισιν* reddidit Mombritius: *qualia sunt, homini dare quae novere Camenae*, sensu ad speciem probabili, neque tamen plane exprimente *οἷά τε*, in quibus *τε* non censendum est vacare. Apud Homerum Od. Ξ. 63. et O. 323. ut item Ἔργ. 322. Sc. 400., locis a Goettlingio citatis, post variarum rerum recensum

notat *οἷά τε et qualia*, pendetque accusativus ab sequente verbo. Aliis autem locis, ut Od. Γ. 73 seq. I. 253 seq. *ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε Οἷά τε λῃϊστῆρες ὑπὲρ ἅλα*, Od. I. 125. *οἷά τε πολλὰ Ἄνδρες ἐπ' ἀλλήλους νηυσὶν περόωσι θάλασσαν*, Od. Λ. 363. *οἷά τε πολλοὺς Βόσκει γαῖα μέλαινα πολυσπερέας ἀνθρώπους*, iis igitur locis est *οἷα* dictum pro *καθ' οἷα*, valetque *οἷά τε et quemadmodum*, seu *quemadmodum etiam*, *quemadmodum item*. Hanc equidem rationem etiam h. l. obtinere puto, ut hîc ex praecedente versu 92. assumatur *μεταπρέπει* et sensus sit, *ut praecellit etiam sacrum Musarum donum hominibus*. Mire Gl. Par. G. *οἷά τε· θαυμαστὴ, μεγάλη*. Versum 93, ut in Codicibus legitur, Muetzellio p. 388. videtur exprimere Libanius T. II. p. 363. *ἔστι δέ σοι καὶ δύναμις, ἔστι γὰρ δὴ καὶ γλῶττα καὶ δόσις παρὰ Μουσῶν, οἵα ἂν παρὰ Μουσῶν γένοιτο.*

vv. 94—97. leguntur iidem in Hom. H. in Mus. et Ap. 2 seqq. Versus 94. et seq. sine auctoris nomine citat Schol. Pindar. P. IV. 313. item Nem. III. 1. sed hîc omissa versus 95. posteriore parte; ut Hesiodeos Cornutus c. 32. p. 227. item Eudocia p. 9. similiter eosdem cum versus 96 priori parte Themistius Or. VII. p. 89. XIII. p. 170 B. Schol. A. D. ad Il. A. 176. meminitque horum, ut Hesiodi, tum Eustathius p. 76. pr. p. 161. med. tum Schol. B. ad Il. l. c.

E verbis Themistii priore loco *ἤδη οὖν ποτε ἤκουσας Ἡσιόδου τοῦ ποιητοῦ, ὅτι ἄλλοι μὲν ἄλλα σαφῶς κτῶνται παρὰ τῶν θεῶν, ἐκ μὲν Μουσάων καὶ Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο κιθαριστάς τε εἶναι, ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆας*, censet Muetzellius p. 389. *luculenter apparere*, diversissimum olim versus 94—96. locum in carminibus Hesiodeis obtinuisse et cum uberiore de Deorum beneficiis in homines collatis narratione locoque, quo *τιμὰς* et *τεχνὰς* Deorum prosecutus

erat poëta, coniunctos fuisse. Mihi, fateor, non tam luculenter hoc apparet. Scilicet, quod dixerat Themistius, Hesiodum prodere, *aliis alia ab Diis dona tribui*, firmat ille citato ipso loco, in quo poëta hoc prodiderat.

Vinculum autem versuum 94—97. cum superioribus, quod nullum esse statuit Muetzellius p. 388., equidem, tametsi minus manifestum esse largior, tamen informari posse arbitror huiusmodi: *Rex, cui Musae dona sua contulerunt, hinc prudentia atque eloquentia praeditus, obsequentes sibi habet omnes, ab omnibus honoratur, omnibus praecellit, ut omnino est excellens et excellere faciens illud, quod Musae tribuunt. Sunt enim a Musis musici, ut ab Iove reges. Felix autem ille rex prae ceteris, quem Musae diligunt. Dulcis ei ab ore fluit vox. Musis ille hoc debet, sicut Iovi, quod regnat.* In hunc sensum accepit etiam Scholiastes.

Ceterum nescio, an poëta simul hîc indicare voluerit naturalem quandam regibus cum poëtis intercedere necessitudinem, quae illos horum commercii convictusque reddere appetentes debeat; quod si voluerit, facilius ad intelligendum erit, cur etiam subiectam his mentionem voluerit praecipui cuiusdam emolumenti, quod ex illo commercio convictuque cum poëta vel in luctu rex sit experturus (vv. 98—104), ac fere coniicias, cantata haec ab Hesiodo fuisse in ludis funebribus Amphidamantis, desideratissimum patrem graviter adhuc lugentibus filiis, (vid. Ἔργ. 654 seqq.) ac fuisse tum ab eo praemissa haec iisdem, quae canentem hic ἀοιδὸν memorat v. 100 seq. h. e. Theogoniae vel eius, aut connexorum cum ea carminum, καταλόγων, in quibus κλεῖα προτέρων ἀνθρώπων memorabantur, parti cuidam. Sed potuit Hesiodus, vel sine hoc subiiciendi illud momento, subiectum velle aliquid, quo praecipue celebrata ab se musica dos commendaretur. Conf. v. 103.

vv. 96. 97. citat Stobaeus XLV. p. 323. Laudatur ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, sine nomine auctoris, ab Schol. A. ad Il. P. 251.

Ad φίλωνται (sic) Gl. Par. G. φιλοῦσιν Ἀττικῶς.

v. 98. νεοχηδέϊ illustrat Hesychius νεωστὶ πενθήσαντι. Gl. Par. G. νεαλγεῖ.

v. 99. ἄζηται κραδίην ἀκαχήμενος) Gl. Vat. ἄζηται· θλίβηται. Gl. Par. C. θλίβεται, Gl. Par. G. ἀναξηραίνεται. Propria verbi notione dicitur Sc. 397. Ἔργ. 587. Σείριος ἄζειν χρόα, γούνατα, et Il. Δ. 487. de succisa populo: ἡ μέν τ' ἀζομένη κεῖται ποταμοῖο παρ' ὄχθας. Agit multis de hac significatione Apollonius in Lex. v. ἄζετο. Conf. et Hesych. sub eodem vocabulo, Etym. M. et Zonaras v. ἄζω. Eustathius p. 28. 7. Missis Grammaticorum commentis stirps verbi quaerenda videtur in ἄω, unde etiam αὖος *siccus*. Cum autem siccitate contrahantur res, commode ἄζεσθαι, ut hîc, ad animum refertur, doloris sensu quasi *contractum*, sicut contra *diffundi* dicitur animus laetitia. Vid. Cic. de Amic. c. 13. Itaque proba est explicatio Scholiastae h. l. neque indigemus Wakefieldii Silv. Crit. I. p. 24. correctione ἴζηται κρ. ἀκ. Cum autem, animum afficiente formidine, aut graviore alicuius reverentia, non minus contrahatur ille, quam dolore, nescio, an ἄζομαι *revereor* nihil origine diversum sit verbum, quamvis aliter visum sit Grammaticis.

v. 100. κλεῖα ut recte Goettlingius monuit, est pro κλέεα. Apud Hom. Il. I. 189. Od. Θ. 73. κλέα ἀνδρῶν recte Heynius statuit Grammaticis deberi, cum scriptum esset κλέε' ἀνδρῶν.

vv. 104—115. citat Theophilus ad Autolycum Lib. II. c. 6. p. 85. Ed. I. C. Wolfii. Versum 104. respicit Cyrillus adv. Iulianum III. p. 75.

Ad versuum ordinem offensus Ritschlius in Sched. Crit. ita traiiciendos hosce 104. 108. 110. 105. 106. 107., eiiciendum autem versum 111. putat. Hermannus in Cens. Goettl. pro versibus 105—107. in alia recensione fuisse censet vv. 108—113. Mihi autem, quod in rudioris aevi carmine non sunt omnia pro nostro sensu concinne dicta aut disposita, quodque tautologia in quibusdam offensionem facit, non adferre continuo necessitatem videtur, ut, vel ordinem in eo versuum immutemus, vel duplicis recensionis commento tautologia liberare illud conemur. Sane, si comparo poëseos apud recentiores initia, carmina a Germanis, Gallis, Nostratibus seculo post Chr. n. XIII. et XIV. composita, pariter invenio inter bona quaedam multa minus concinne dicta, pariterque offendo ad tautologiam in bene multis locis, ubi tamen nulla iusta apparet dubitandi causa, quin ipsis auctoribus ista tribuenda sint.

Neque vero prorsus adsentior, esse Hesiodea haec tam inconcinna, aut inesse tantam in iis tautologiam. Attendamus, quaeso, ad singula, ut se excipiant. In v. 104. solemnis est hymnorum et prooemiorum clausula, qua poëtae invocatos vel celebratos sibi Deos festum illud χαίρετε adprecabantur, subiicientes ea, quae ab ipsis dari sibi vellent. Sunt exempla passim in Hymnis Homericis et Callimacheis. Itaque Hesiodus etiam suam hanc Musarum laudationem claudit eas rogans, ut sibi dulce carmen suggerant, in canendo praeeuntes. Vult igitur illas dicere, quae deinde celebraturus ipse esset, primum antiquissimos Deos, Coeli, Terraeque progeniem, item Nocte et Ponto genitos (v. 105—107) tum definitius, *quomodo* Dii illi (Cronus ceterique Titanes) ipsaque Terra, item Pontus, Fluvii,

Astra, Coelum quoque ipsum primum exstiterint (vv. 108—110); denique natos ex antiquioribus illis Diis, Iovem ac ceteros iuniores Deos, qui (debellatis Titanibus) Olympum obtinuerint, quique hinc (distribuente Iove) opes atque honores partiti sint, iidemque porro ab hominibus tanquam bonorum dispensatores culti (vv. 111—113). Haec igitur Musas dicere vult Hesiodus et quid *primum* fuerit illorum, sive ante illos omnes (v. 114. 115). Hinc subiicit *ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ'*.

vv. 108—139. citat Origenes in Philosoph. c. 26. p. 174 seqq. Ed. I. C. Wolfii. v. 108—110. Cyrillus adv. Iulianum II. p. 53. B. Ed. Spanh. sic scribens: *πολυπραγμοσυνήσωμεν, ὡς ἔνι, τῆς Ἡσιόδου Θεογονίας τὸ ἀκριβές· σκήπτεται μὲν γὰρ τὸ θεοκλυτεῖν καὶ τὸ μουσόληπτος εἶναι δοκεῖν, προσνενεμηκὼς ἑαυτῷ, ὡς μέγα τι χρῆμα καὶ ἀξιέραστον· Εἴπατε, φησὶν, δ' ὡς τὰ πρῶτα θεοὶ καὶ γαῖα γένοντο κ. τ. λ.* ex quibus effici vult Muetzellius p. 366. Theogoniae principium *manifesto* Cyrillum in versu 104. ponere. Id vereor, ut ei quisquam det. Quomodo enim *χαίρετε τέκνα Διὸς*, a quibus sequentia pendent, cuiquam carminis habeantur principium? Largior equidem, quae post *χαίρετε τ. Δ.* sequantur, magis quam praecedentia, aditum ad Theogoniam aperire: sed ipsum illud *χαίρετε* arguit praecessisse multa, suntque in iis, quae praecedentia exstant, item nonnulla, quae Cyrillum inducere potuerint, ut verbis *τὸ θεοκλυτεῖν καὶ τὸ μουσόληπτος εἶναι* uteretur (Vid. v. 29 seqq.); sicut etiam multa sunt in iis indicantia, *θεῶν γένος*, Iovisque principatum poëtae argumentum carminis futurum. Vid. vv. 11—21; 34; 44 seqq. 66 seq. 71 fin. et seqq. 101.

vv. 114 et 115., teste Scholiasta, cuius verba ex Par. Cod.

primus protulit Ruhnkenius Ep. Crit. I. p. 90. hunc et sequentem versum repudiabat Seleucus. Quae porro Scholiasta addit: *οἱ δὲ περὶ Ἀριστάρχου τὸ ἐξ ἀρχῆς μόνον λέγουσι*, dubiam habent sententiam. Pro *λέγουσι* fortasse cum Geelio meo legendum *ψέγουσι*. Videtur sane voluisse Grammaticus, solum versum 115. repudiandum censuisse Aristarchum. Vtrumque versum uncinis inclusit Wolfius, languidos esse scribens, praesertim v. 115. Videtur haec quoque causa fuisse Grammaticis versus eos obelo notandi. Sed non sequitur, quia sint languidi, propterea abiudicandos esse ab Hesiodo. Ceterum liquet hinc, iam ab Alexandrinis Criticis versum 114 et seq. igitur etiam proxime praecedentes, *οὐκ ἀθετουμένους*, lectos fuisse hoc loco, ubi manifesto aditus ad Theogoniam paratur; qui versus cum omnes pendeant a v. 104. et hic ipse ab antecedentibus, vix est, ut possit collocatio versuum 1—103. sive, ut Muetzellio dicitur, *carminis de Musis*, ante Theogoniam, quod ille vult, probabiliter iis tribui Criticis.

v. 116 seqq. Orditur suam Theogoniam Hesiodus a Cosmogonia, sed ita, ut processum eius per plures deinceps, non res, sed personas declaret, quibus personis vix dubium est, quin ipsis quoque Deorum vim ac naturam tribuerit, ut sic ab iis recte factum ei sit initium Theogoniae. Vero simile autem videtur, poëtam hîc in plerisque non sua edidisse commenta, sed retulisse priorum hominum de rerum origine sententiam, quae ipsa quoque per eiusmodi personarum seriem declarata esse potuit.

Cosmogonia autem Hesiodea huc fermo redit. Antequam res existerent, debuit esse locus, in quo existerent. Itaque *πρώτιστα* (v. 116) *primum omnium*, ante res omnes, fuit spatium rerum capax, a *χάω hisco*, *capax sum* dictum *Χάος*, Varroni de L. L. IV. p. 8. Ed. Bip. *Cavum*. Postea

in illo exstiterunt Terra, quae esset Deorum in Olympi vertice habitantium firma sedes, tum et Tartara in telluris intimo recessu, quique per coniugia omnibus deinde ortum daret, Amor (v. 117—120). Terra v. 117. poëtae dicta est *εὐρύστερνος*, ut Deorum et rerum omnium mater. Consecratum fuisse hoc epitheton religione templi Telluris (*Γαίου*) apud Aegas, quod *εὐρυστέρνῳ* Deae nescio quis dicaverit, cum Pausania tradunt Scholia ad h. l. *Γᾶς βαθυστέρνου* meminit Simmias in Alis v. 1. *Τάρταρα*, si pendere censeatur ab *ἔχουσι*, ut Terram poëta esse dixerit sedem, tam in Tartaro, quam in Olympo habitantium Deorum (conf. Th. v. 858. 868), dicendum erit cum Veterum quibusdam, non nisi duo hîc rerum principia memorari; at vero, quod Veterum aliis placuit, tria, si tam *Τάρταρα*, quam *Γαῖα* et *Ἔρος*, ad *γένετ'* in v. 116. referatur. Praeferenda nobis haec ratio videtur, cum *Ταρτάρου*, ut generantis personae, mentio fiat infra v. 820., quamvis hîc Hesiodo *Τάρταρα ἠερόεντα* memoranti magis obversata loci videatur notio. Amoris autem notionem poëta omnem ex terrestrium rerum natura sibi informavit, ut declarant vv. 121. 122. Principium agens, seu, quam Ovidius dixit Metam. pr. *meliorem naturam*, vix est, ut cogitasse censeatur.

Cum Terra in Chao exstitisset, primaevum hoc vastum et tenebricosum spatium ita dividi necesse fuit, ut eius duae existerent partes, ortum hinc habere ex Chao dictae v. 123., *Νὺξ*, seu caligo supra Terram, et *Ἔρεβος*, seu caligo infra Terram et Tartarum. Nox lucem praecessit; e nocte prodiit lux. Itaque mythico sermone Nox dicta est mater *Αἰθέρος*, sive eius, quod *sublime candens* dixit Ennius, et *Ἡμέρας Diei:* tum et pater his liberis quaesitus caliginosae Nocti compar caliginosus Erebus (vv. 124. 125). Quod dicitur v. 126. Terra primum genuisse *Οὐρανὸν ἴσον*

ἑαυτῇ ortum hinc videtur, quod in terra positis ad oculorum sensum ex eius ora extrema quasi prodit atque exsurgit Coelum, ut item ad oculorum sensum est ἶσος Γῇ Οὐρανὸς et, qua terra patet, supra eam est Coelum. Talem autem Terra Οὐρανὸν genuit, ἵνα περικαλύπτοι μιν (κατὰ) πάντα, ut eam quaqua versus tegeret, obtegeret, protegeret tanquam καλυβὴ, ut sic esset semper tum Olympum obtinentibus (v. 117), tum aliis, memoratis infra, Diis tuta in ipsâ sedes (v. 127 seq.) Deinde Terra genuisse Montes dicitur v. 129. Scilicet ad oculorum item sensum editi a Terra se attollunt montes, neque est, ut de laborantis terrae motu montes edente cogitemus, quippe quae physica notio vix adesse poëtae ab experientia potuerit, minus etiam, ut opinor, a doctrina. Dicit autem ille Terram genuisse Montes, ut essent ἔναυλοι *habitacula* Nympharum ac definite quidem Oreadum (v. 129 seq.), earundem, ut videtur, quarum mentio fit v. 187. itaque antiquissimarum Dearum. Denique Terram ex se, item citra concubitum, genuisse dicit Pontum (v. 131. 132.) orto hinc, ut videtur, mytho, quod animadverterent homines, mari sive ponto fundum subesse terram, cui consequens fuit, ut ex Terra Pontum editum perhiberent. Nam, ut haec mythi feratur causa, quod Terra aliqua sui parte residendo, diffluente illuc humore, fecerit, ut mare existeret, subtilius mihi videtur, quam pro veteris captu Graeciae. Mare autem hîc poëta respexit internum, seu mediterraneum, quod πέλαγος etiam per appositionem Πόντον dixit, ita ut priore appellatione magis rem, posteriore autem personam designaret. (Vid. infra v. 233.) Quamquam autem omnem supra dictam prolem Terra ex se sine coniuge edidit, tamen videri potest poëta cum dilectu de Ponto eximie dixisse, genitum illum ἄτερ Φιλότητος ἐφιμέρου, cum sit mare res ingrata, iniucunda, πέλαγος ἀτρύγετον.

vv. 116—139, omisso v. 125, citat Origenes Philosoph. c. 26. p. 177 seqq.; v. 116—133. Theophilus ad Autol. II. 5. p. 90. 91.; vv. 116—126. Stobaeus Ecl. Phys. I. 10.; v. 116. extr. 117—120. pr. Plato in Conv. p. 178. B.; v. 116. cum sequentis principio Aristot. Phys. Ausc. IV. 1. addito v. 120. idem Metaph. I. 4. de Xenophane c. I. p. 975.; v. 116. Plutarchus Conv. Quaest. V. 5. p. 678. F. Aquane an Ign. p. 955. E. Sext. Emp. P. H. III. 16. § 121. 123. adv. Phys. I. 6. 7. II. 11 et 18.; Achilles Tatius Isag. ad Arat. c. 3. Clemens Rom. Hom. VI. 3. Proclus et Philo apud Lobeck. Aglaoph. p. 470. 471. Simplicius ad Aristot. de Coelo fol. 364. 6. Apud Cornutum de N. D. c. 17. p. 173—178. versus 116—138 summatim exponuntur, suntque in nonnullis eius Codd. versus 116—124 reliquae eius disputationi denuo interpositi. Versus 116. 117. 119. 120. respiciunt Pausanias IX. 27. 2. Plutarchus de Is. et Osir. p. 374. B. C. Damascius de Primis Principiis C. 124. p. 388. Ed. Kopp. Theophilus ad Autol. II. 12. p. 98.

Ad Χάος Gl. Par. C. *κένος τόπος· Χάος παρὰ τὸ κεῖσθαι.* Gl. Par. G., ut in Schol. Ven. *παρὰ τὸ χεῖσθαι· ἐστὶ δὲ ὁ μεταξὺ οὐρανοῦ καὶ γῆς τόπος.* At neque Χάος dictum est *παρὰ τὸ χεῖσθαι*, neque illud tam angustis finibus circumscriptum sibi informavit Hesiodus, cui Χάος memoratur etiam infra terram Th. 700. 814. Rectius Plato, Hesiodea, ut videtur, respiciens, in Timaeo p. 51. A. *Διὸ τὴν τοῦ γεγονότος ὁρατοῦ καὶ πάντος αἰσθητοῦ μητέρα καὶ ὑποδοχὴν μήτε γῆν, μήτ' ἀέρα, μήτε πῦρ, μήτε ὕδωρ λέγωμεν, μήτε ὅσα ἐκ τούτων, μήτ' ἐξ ὧν ταῦτα γέγονεν· ἀλλ' ἀόρατον εἶδός τι καὶ ἄμορφον, πανδεχές.* Dicitur eidem p. 50. B. *ἡ τὰ πάντα δεχομένη σώματα Φύσις.* Recte quoque Etymologus Gudianus p. 562. cum prius ea retulisset, quae in supra citata Gl. Par. G. leguntur, addit *χάος παρὰ τὸ χῶ χάιω· δηλοῖ δὲ τὸ χάος τὸ μέγα καὶ*

ἀπέραντον χώρημα. Esse Hesiodi Χάος immensitatem vacui spatii rerum omnium capacem, recte item statuerunt Aristoteles Physic. Ausc. IV. 1. eiusque interpretes Themistius p. 36. 6. Simplicius p. 122. 124. b. Ioannes Philoponus ad IV. p. 2. fin. Similiter Plutarchus de Is. et Os. et Conv. Quaest. ll. cc. Ceterum ambigi potest, utrum Hesiodus primaevum illud Χάος cogitaverit inane prorsus, an commixta habens prima rerum semina, quemadmodum Epicurus duo esse voluit rerum principia, atomos et inane. Sane in hanc partem accipiendum poëtam iam antiquitus opinatus est Pherecydes Syrius, rerum principium cum Thalete aquam esse statuens et illud Χάος nuncupans, teste Achille Tatio l. c.: quae sententia, si hanc vim habuit, ut dicantur in Chao aquae semina fuisse, nullo quidem satis valido argumento poëtae posse adseri videtur; attamen neque nunc a nobis tanquam falsa et ab Hesiodi mente aliena redargui potest. Sed sine dubio dicendus in hoc errasse Pherecydes, quod aquam statuit a poëta Χάος dictam παρὰ τὸ χεῖσθαι seu παρὰ τὴν χύσιν, ut est apud Plutarchum Aquane an Ignis l. c. Nec verior sententia habenda aut Zenodoti in Hesiodi Scholio, quod primus edidit Ruhnkenius Ep. Cr. I. p. 91., Χάος interpretati τὸν κεχύμενον ἀέρα, aut eorum, qui ignem intelligendum opinati sunt, quasi esset Χάος pro κάος, a καίω uro, vel hinc, quod ignis κέχυται διὰ τὴν λεπτομέρειαν. (Vid. Cornutus p. 173.) Huic quidem enim opinioni manifesto repugnat, quod Χάος ζοφερὸν dicitur Th. 814., quodque Chao liberi tribuuntur Nox et Erebus. Itaque merito Veterum plerique Pherecydis, de aqua Χάος accipientis, sententiam sequi maluerunt, ut disertus nobis auctor est Plutarchus d. l. Conferantur, quae de Zenone Stoico tradunt cum Schol. ad h. l. tum Diogen. Laërt. VII. 137. et Schol. ad Apoll. Rhod. I. 498. Neque tamen dubitandum, quin ea quoque opinio,

quam Ovidius maxime Metam. pr. celebravit, fuisse Chaos *rudem indigestamque molem* s. materiam, in quam congesta essent *non bene iunctarum discordia semina rerum*, quin igitur ea quoque iam de Graecis antiquiori cuidam Hesiodea visa sit, ut visa est postea Lactantiis Firmiano et Placido ll. cc.

In γένετ' adolescens haesit Epicurus, a Grammatico Hesiodum exponente quaerens ἔκ τινος τὸ Χάος ἐγένετο, quem Grammaticus ad Philosophos ablegavit. Vid. Sext. Emp. adv. Mathem. X. 19. Diogen. Laërt. X. 2. Χάος cum recentioribus ὕλην interpretatus Clemens Romanus Homil. VI. 3. verbo γένετ' usus est ad probandum materiam *creatam* dici. Sed certum videtur, Hesiodum Chao i. e. spatii immensitate nihil antiquius novisse. Itaque γένετ' ei simpliciter est *exstitit*, *fuit*. De parente, sive auctore spatii ne cogitasse quidem eum censeam. Apud Hyginum in Praef. Chao parens tribuitur Caligo. Homerus nullam plane Chaûs mentionem facit, estque huic Ὠκεανὸς θεῶν atque adeo πάντεσσι γένεσις Il. Ξ. 201. 296. quocum Hesiodum consentire dicens Plato in Cratylo p. 402. ipse quoque sic in Pherecydis inclinasse sententiam videri potest. Conf. Muetzell. p. 397.

v. 116. extr. 117. Si Manilium II. 12 seq. audias, *Hesiodus memorat Divos Divûmque parentes Et Chaos enixum Terras*. Cornutus etiam p. 175. Hesiodea explicans, τοῦ Χάους, inquit, θυγάτηρ ἐστὶ καὶ ἡ Γῆ. Theophilus quoque ad Autol. II. 12. p. 98. in eandem sententiam Hesiodi verba accepit. Sed elici illa ex poëtae verbis certe nequit. Namque ἔπειτα simpliciter est *post Chaos*, ut secundum vim vocabuli interpretati sunt Plato l. c. Plutarchus de Is. et Osir. l. c. Pausanias l. c. cumque poëta mox diserte dixerit Ἐκ Χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινα τε Νὺξ ἐγένοντο,

videtur ille, si natam ex Chao Terram quoque statuisset, eodem modo hoc enuntiaturus fuisse. Tum, si Χάος, ut videtur, dixit *κένον καὶ ἀόρατον τόπον*, vix est, ut *ex illo* solidum aliquid enatum probabiliter dixerit. Cornutus autem et alii Terram ex Chao natam statuisse poëtam voluerunt, quod eum Χάος intellexisse crederent vel aquam, vel aërem, vel ignem, vel qualemcunque *ὕλην*, ut liquet ex tota Cornuti disputatione p. 173 seq. cui subiicit: *εἰκότως οὖν ἔφασαν μετὰ τὸ Χάος τὴν Γῆν γένεσθαι καὶ τὰ ὑπερόεντα Τάρταρα.*

v. 117. extr. 118. In carmine, cuius primarium argumentum Dii sunt, haud utique absurdum videri potest, si poëta, post mentionem primum factam loci rerum omnium capacis, sed eiusdem vacui atque inanis, memoravit, ut deinde natum, solidum illud atque firmum, in quo degere et habitare Dii possent, superi quidem in Olympo, alii autem in Tartaro. Superis ut esset firma sedes, debuit Olympo coelum sustinenti stabilis substerni basis Terra; debuit ipsum Coelum, quod Coelites incolerent, a Terra gigni (v. 128.), quemadmodum, ut esset Deabus Nymphis domicilium, eadem Terra genuisse dicitur Montes (v. 129. 130). Sed versum 118 cum sequente omiserunt Plato in Conv. p. 178. B. Aristot. de Xenophane c. I. Metaph. I. 4. Sext. Emp. adv. Phys. I. 6. 7., qui tamen utrum eos omiserint, quod, vel in suis exemplis non invenirent, vel poëtae abiudicandos censerent, an tantummodo, quod ad praesentem eorum disputationem minus pertinerent, incertum est. In versu quidem 119 haud facile prius obtinuisse censeas, cum, ut ex Scholiis colligas, Alexandrini certe Grammatici solum v. 118 spurium censuerint, nec de sequente illum versu Plutarchus, Pausanias, aliique infra citandi, quin Hesiodeus esset, dubitaverint. At, nisi cum

v. 119 etiam v. 118 in suo exemplo Plato habuerit, vix apparet, quomodo ille dicere potuerit l. c. (Ἡσίοδος) φησὶ μετὰ τὸ Χάος δύο τούτω γένεσθαι Γῆν τε καὶ Ἔρωτα. Nam, remoto v. 118, manifestum est, Hesiodum dicere, tria nata post Chaos, Terram, Tartara, Amorem, ut voluerunt Plutarchus aliique. Sed potuit duo dicere Plato, servato utroque versu, iungens οἱ ἔχουσι χάρη νιΦ. Ὀλ. Τάρταρά τ' ἠερόεντα, ut Τάρταρά τ' ab ἔχουσι pendeat et dicatur Terra firma sedes Diis tam inferis (infra v. 851.) quam superis. Quodque Alexandrini Grammatici versum 118 spurium censuerunt, ipsum argumento est, lectum tamen ab iis in Theogoniae exemplis fuisse. Agnoscunt eum Cornutus, Origenes, Theophilus, Stobaeus: sed cum Alexandrinis Grammaticis reiiciendum, ut puto, censuit Plutarchus de Orac. Def. p. 933. E. qui, αὐτὴν μὲν οὖν τὴν Γῆν, inquit, ὥσπερ Ἡσίοδος, ἐνίων φιλοσόφων βέλτιον διανοηθεὶς, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς προσεῖπεν, οὕτως καὶ ἡμεῖς ἀΐδιον καὶ ἄφθαρτον νομίζομεν. Ita πάντων latiore accipiendum erit sensu, parum tamen definito, me iudice. Certe alia ratione dicitur Γῆ πάντων μήτηρ. Quod autem Chalcidius Commentar. in Platonis Timaeum c. 7. 122. p. 333. Hesiodea reddidit: *Prima haec est Caligo, dehinc post Terra creata est, Spirantium sedes firmissima, corpore vasto*, non, quod nonnulli volunt, arguit, versus eum ignorasse 118 et 119. Nam recte Muetzellius p. 399. Chalcidium, reddentem *spirantum*, illos etiam respexisse versus colligit ex hisce, quae sequuntur apud eum: *post Chaos enim, quam Graeci ὕλην, nos silvam vocamus, substitisse Terram docet Hesiodus in medietate mundani ambitûs.* Sic enim ut statueret, invenisse debuit apud poëtam mentionem factam τῶν τε Οὐρανίων καὶ τῶν ὑποχθονίων θεῶν, quos, Platonis dogmata secutus, interpretaretur astra, animata illa ac spirantia, mundano ambitu circa mediam terram

ἄνω τε καὶ κάτω, supra et infra illam se moventia, quemadmodum etiam interpretatus est, quem item citat Muetzellius d. l. Ioannes Diaconus in Allegoriis.

Versum 118 ἀτεθοῦντας Grammaticos secuti sunt de recentioribus Guyetus iam et Heinsius; deinde Heynius, Wolfius, alii; expunxit Boissonadius. Dixi, cur ab hoc duntaxat abstinendum mihi videatur.

Hesiodo terram habitam ἀΐδιον καὶ ἄφθαρτον ex eius verbis v. 117. ἀσφαλὲς αἰεὶ cum Plutarcho colligit Simplicius ad Aristot. de Coelo p. 70. B.

v. 119 agnoscunt praeter auctores supra laudatos Plutarchus de Is. et Osir. c. 56. p. 374. B. Pausanias IX. 27. 2. Damascius de Primis Principiis c. 124. p. 383. Ed. Kopp. An, quod vult Muetzell. p. 394., eum firmet etiam testimonium Theophili l. supra cit., tradere Hesiodum dicentis, ἐκ Χάους γεγενῆσθαι Ἔρεβον καὶ τὴν Γῆν καὶ Ἔρωτα, dubitari potest. Scio Τάρταρον et Ἔρεβον permutari. Sed ex Chao natus Erebus diserte memoratur infra v. 123., quo respexisse Theophilus potest.

Dicitur Plutarcho l. c. Ἡσίοδος τὰ πρῶτα πάντων Χάος καὶ Γῆν καὶ Τάρταρον καὶ Ἔρωτα ποιῶν: ac dicendum utique ei sic erat, non, ut videtur, agnoscenti versum 118. Sed potuit etiam ab agnoscentibus illum, Τάρταρα autem casum primum habentibus, non quartum, eadem poëtae tribui sententia, ut factum a Cornuto p. 173. init. 174. fin. In Theogonia tradi post Χάος tria haec nata, Terram, Tartarum, Amorem, dicit etiam Pausanias l. c. Consentit quoque Damascius l. c. Ceterum fortasse culpandi quodammodo censeantur Plutarchus, ceterique, Τάρταρον in hac re memorantes pro Hesiodeo Τάρταρα, quo mihi quidem videtur usus esse poëta, locum maxime hìc cogitans. Sed nihil impedit, quominus hìc simul etiam, ut in Chao,

personam sibi informaverit. Ac talem adeo sibi informasse dicendus est. Namque, ut ex Chao, immenso illo ac tenebricoso spatio, mox memorantur nati liberi, Erebus et Nox, ita natus Tartaro Typhoeus memoratur infra v. 821 seqq. in quibus firmum huic versui praesidium reperias. Debuit enim ante illos mentio facta esse nati Tartari, quae satis manifesta hîc apparet, si Τάρταρα inter tria rerum principia poni ab Hesiodo statuas. Minus autem manifesta est, si Τάρταρα pendere censeas ab ἔχουσι, ut videri potest censuisse Plato l. c. Cum hoc duo tantum post Χάος rerum principia agnoscunt Aristot. de Xenophane d. l. et Metaphys. I. 4. Zeno Stoicus apud Schol. Apollon. Rhod. I. 498. Sext. Empir. adv. Phys. l. c. Libanius T. IV. p. 405.

A τάρω, unde τάρβος et ταράσσω, dicta etiam Τάρταρα, nihil utique est, cur dubitemus. Designari autem hoc nomine partes terrae, quae latent in interiore eius parte causae motuum, non tam exploratum est, ac visum Goettlingio. Favere videri potest, quod ex Tartaro natus dicitur Typhoeus. Sed possunt ex Tartari natura aliae quoque nominis causae excogitari.

Nequaquam, ut recte docuit Muetzellius p. 400, ad sensum perinde est, utrum cum Cornuto et aliis μυχὸν χθ. εὐρ. an, ut vulgo legitur, μυχῷ ab Hesiodo profectum censeamus. Etenim, μυχὸν si legamus, Tartarus ad terram ipsam pertinere eiusque partem aliquam complere dicitur, qua ratione Τάρταρα γαίης dicuntur Hesiodo Th. 841. at secundum vulgatam lectionem, quamquam Terrâ inclusus esse Tartarus fingitur, tamen distincte ab ea disparatur et totum aliquod per se efficit. Certum est, visa Hesiodo simul nata esse Terram et Tartara; non fuisse haec, ut Guyeto visum, partem Chai sub terra, sed, quod poëtae verba indicant, tenebricosum ipsius terrae recessum.

v. 121. ἠ δ' Ἔρος) ἔρον accusativum passim usurpat Homerus, nunquam nominativum Ἔρος, quem in Hesiodi Theogonia exstare versum hunc respiciens scribit Eustath. p. 136. 34 seqq. 1843. 60. Perperam autem posteriore loco semel in Theogonia exstare dicit, oblitus versuum 201. 910. Tum forma, quam Aeolicam dicit, potius dicenda erat antiqua, tametsi retinuisse eam Aeolenses docet locus Sapphûs apud Hephaestionem C. VII. p. 42. Gaisf. ἔρος δ' αὖτε μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ, ubi metrum ἔρως admittebat.

Plutarcho in Amator. p. 756. E. F. visus est Hesiodus Ἔρωτα πάντων πρώτιστον rectius, quippe φυσικώτερον, finxisse Parmenide, qui Ἔρωτα τῶν Ἀφροδίτης ἔργων πρεσβύτατον dixerat. (Conf. Aristot. Metaph. I. 4.) Respexit haec Hesiodea Plutarchus etiam in libro de Facie in orbe Lunae p. 926. E. F. 927. A. Parum accurate Schol. ad Apollon. Rhod. III. 26. Ἴβυκος καὶ Ἡσίοδος ἐκ Χάους λέγει τὸν Ἔρωτα. Ibycus, puto, diserte sic tradiderat. Hesiodum rectius cepit Plato l. c. p. 178. B. quem confer etiam p. 195. B. C. Quidam, Servio teste ad Aen. I. 664., Amorem Chai et primae rerum Naturae filium esse voluerunt, ita, ut videtur, etiam coniugem Chao largientes, parum e mente Hesiodi, qui nulla esse credidit coniugia ante Amorem natum.

v. 121. 122. Λυσιμελὴς πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων Δάμναται ἐν στήθεσσι κ. τ. λ. Contulit iam Muetzellius p. 403., tum Sapphûs versum modo citatum, tum Archilochi apud Hephaestionem p. 90. Gaisf. ἀλλά μ' ὁ λυσιμελὴς, ὦταιρε, δάμναται πόθος, in quibus manifesta est Hesiodeorum imitatio.

Ad λυσιμελής Gl. Par. C. ὁ λύων τὰ μέλη διὰ τὰς ἀναπαύσεις (Pertinet hoc ad Somni epitheton apud Hom. Od. Υ. 57. Ψ. 343.) ἢ ὁ λύων τὰς μεριμνάς. Gl. Par. G. οὐχ

ὡς λύων τὰ μέλη, ἀλλ' ὡς λύων τὰ μελεδήματα καὶ τὰς φροντίδας. Pro posteriore hac interpretatione pugnant etiam Scholia vulgata; amplexusque eam est Guyetus atque Interpretum deinceps alii, dissentientibus tamen quibusdam, ut iam Mombritius, Aldinam interpunctionem secutus, reddidit: *Membra Deus late solvit Divûmque, virûmque.* Sed in Homericis utique Od. Υ. 57. Εὖτε τὸν ὕπνος ἔμαρπτε λύων μελεδήματα θυμοῦ Λυσιμελὴς et Ψ. 393. ὅτε οἱ γλυκὺς ὕπνος Λυσιμελὴς ἐπόρουσε, λύων μελεδήματα θυμοῦ duas diversas Somni virtutes, non unam rem indicari recte statuit Eustathius p. 1882. 43. conferens haec Od. Δ. 794. λύθεν δέ οἱ ἄψεα πάντα. Tum in Euripid. Suppl. v. 45 seq. verba νεκύων, οἱ καταλείψουσι μέλη θανάτῳ λυσιμελεῖ satis certum, me iudice, argumentum praebent, alteram praeferendam esse interpretationem, ut sit λυσιμελὴς ὁ λύων τὰ μέλη, scilicet languore et affectu. Laodamia apud Ovid. Her. Ep. XIII. 15. *Quando erit, ut reducem cupidis amplexa lacertis Languida laetitia solvar ab ipsa mea.*

v. 123 citant praeter Origenem et Theophilum ll. cc. Schol. ad Arat. v. 408. p. 97. et 299. Buhl. Schol. ad Eurip. Orest. v. 174. Inverso ordine versum hunc et sequentem exhibet Cornutus p. 173. fin. idem versum hunc respiciens ead. pag. haud longe a principio et p. 175. Noctis mentionem h. l. respexit etiam Cyrillus adv. Iulian. II. p. 53. B. Respexisse videri potest Aristot. Metaph. XIII. 4.

Ad Ἔρεβος Gl. Vat. τὸ σκότος parum definite. Posterorum autem magis, quam Hesiodi notionem expressit Plutarchus de Primo Frigido p. 953. A. ut Χάος et Ἀΐδην, ita Ἔρεβος esse statuens τὸ χθόνιον καὶ ἔγγαιον σκότος. Hesiodus Ἔρεβος sibi informavit non in terra, sed ὑπὸ χθονὸς, infra terram, obtegentem illud. Conf. Th. 669. Apud Auctorem Axiochi p. 371. dicuntur nocentes a Furiis

agi ἐπ' Ἔρεβος καὶ Χάος διὰ Ταρτάρου, quod erant Ἔρεβος et Χάος, i. e. pars primaevi Chai inferior ultra sive infra Tartarum. Superiorem Chai partem memorari videas in fragm. ex Euripidis Cadmo apud Probum ad Virgil. Ecl. VI. 31.

Vt coniunctim h. l. memorantur Χάος, Ἔρεβος, Νὺξ, ita apud Ovid. Met. XIII. 414. Circen convocantem videas *Noctem Noctisque Deos Ereboque Chaoque*, quemadmodum etiam *Erebumque Chaosque* iunctim ut Deos memorat Virgil. Aen. IV. 510. Conf. et VI. 265.

v. 124 praeter Cornutum, Origenem, Theophilum ll. cc. citant Ammonius v. ἡμέρα, Etymol. M. p. 429. 25 seq. Schol. Vratisl. ad Pind. Ol. II. 58. Eustath. p. 1527. 55.

Esse Ἡμέρην, quam hîc Nocte genitam dicit Hesiodus, τὸ διάστημα μόνον ἀσώματον, perperam statuisse censendus est Ammonius l. c. si mens eius haec fuit, poëtam sibi illam citra divinae personae notionem informasse. Rectius Etym. M. l. c. Ἡσίοδος σωματοποιῶν λέγει· Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε κ. Ἡμ. ἐξεγ. Fuit etiam posterioribus Hesiodo tam Ἡμέρη Dea habita, quam Ἠώς. Vid. Pausanias I. 3. pr. V. 22. § 2.

v. 125 exstat apud Theophilum, omissus est apud Origenem, item in serie versuum Hesiodi apud Cornutum p. 173. qui neque ipse agnovisse eum videtur, bis matrem Aetheris, at non patrem memorans ibid. et p. 174. Sed maritum Nocti Erebum tribuunt tamen etiam Cicero de N. D. III. 17. et Hyginus in Praef.

Post hunc versum nihil deesse et nos integrum habere Hesiodeum Deorum ex Cosmogonia recensum equidem arbitror cum Muetzellio p. 404., neque magis quam ille auctoritatis aliquid tribuo hisce Nonni in Comment. ad Gre-

gor. Nazianz. T. II. p. 517. A. B. Ed. Bill. *in Theogonia* (Hesiodus) *Deorum ortum enumerare incipit, nimirum, quod ex Chao et Aethere natus sit* ille, *ex Coelo Saturnus;* quibuscum conveniunt Graeca sub Nonni nomine edita in Gregorio Montacutii p. 153. ἐν τῇ οὖν καλουμένῃ Θεογονίᾳ ὁ Ἡσίοδος ἄρχεται καταριθμίζεσθαι τὰς γενέσεις τῶν θεῶν, ὅτι ἐκ τοῦ Χάους καὶ ἐκ τοῦ Αἰθέρος ἐγεννήθη ὁ δεῖνα κ. τ. λ. Apparet enim, hos homines sua scripsisse non inspecto Hesiodo, neque recentes ab eius lectione, qui proinde tantum nomina quaedam ex Theogonia tenentes, cum vellent exempla traditae ibi genealogiae proferre, infausto omine delapsi sint ad illam Aetheris mentionem, cumque iam citandus eius filius esset, nec succurreret iis, quippe nec memoratus a poëta, satis sic habuerint apponere *natus ille*, ἐγεννήθη ὁ δεῖνα. Quod autem apud Etym. M. p. 215. 37. v. βροτὸς dicitur Hesiodus huius vocabuli originem repetivisse ἀπὸ Βροτοῦ τοῦ Αἰθέρος καὶ Ἡμέρας et suspectum est mihi testimonium, nullis Veterum aliis hunc Βροτὸν memorantibus, ne Eustathio quidem, quamvis in illustrando nomine βροτὸς copioso; et, si vel maxime sincerum habeatur, ad aliud poëtae carmen referendum esse mihi, ut Muetzellio, videtur: neque enim sinebat ordo, quem secutum esse poëtam in Cosmogonia cernimus, ut iam nunc de natis hominibus vel hominum generis primo auctore ageret. Scio posse obiici, valde antiquam tamen et cognatam cum Diis originem hominibus ab Hesiodo tribui, dicente Ἔργ. 108. ὁμόθεν γεγάασι θεοὶ θνητοί τ' ἄνθρωποι, itaque potuisse in hoc carmine et loco mentionem de origine etiam hominum fieri, hoc fere modo conceptam: Αἰθέρι δ' αὖτε θεὰ Βροτὸν Ἡμέρη υἱὸν ἔτικτεν· Ἐκ δὲ Βροτοῦ βροτοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ: sed tamen amplius nobis deliberandum censeo, antequam illi Βροτῷ locum inter Deos antiquissimos primaque rerum principia tribuamus. Hy-

ginus in Praefatione scribens: *ex Aethere et Die Terra, Coelum, Mare*, manifesto non Hesiodum, sed alios secutus est auctores, secundum quos Ciceroni quoque de N. D. III. 17. *Coeli parentes* dicuntur *Aether et Dies.*

v. 126 cum duobus sequentibus citat Stobaeus Ecl. Ph. XI. I. 9. explicat Cornutus p. 175. Vsurpant vv. 126. 127. praeter Theophilum et Origenem ll. cc. Cyrillus advers. Iulian. d. l. Orio Etym. p. 118. 30 seq. Etym. M. p. 642. 11 seq. Schol. ad Pindar. Nem. VI. 1. Versum 126 cum alterius parte dimidia Schol. ad Arat. v. 22. p. 15 et 270. Ed. Buhl. Schol. ad Sophocl. Electr. v. 86. Respexisse locum hunc videri potest Zeno Stoicus, Hesiodum primum fuisse statuens (rectene an secus, dubites), qui *τὴν γῆν* dixerit *στρογγύλην*. Vid. Diogen. Laërt. VIII. 48. In verbis autem Galeni Comment. in Hippocr. de Nat. Hom. I. c. 25. T. III. p. 114. C. Chart. *καὶ γὰρ καὶ νῦν οἶδα τινὰς ἄλλα γράφοντας, ὧν τὰ συγγράμματα τοῖς μὲν δὴ συναπέθανε, τοῖς δὲ συντεθνήξεται, καθάπερ καὶ τοῦ λέγοντος, ἁπάντων εἶναι μητέρα καὶ τιθήνην καὶ ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον τὴν Γῆν: αὐτὴν γὰρ καὶ τὸν Οὐρανὸν γεννῆσαι, καθάπερ Ἡσίοδός φησι, καὶ τὰ ζῶα κατ' αὐτήν*, in his igitur verbis ea *καθάπερ Ἡσίοδός φησι* rectius ad sola referas proxime antecedentia *καὶ τὸν Οὐρανὸν γεννῆσαι*; neque enim colligendum e Galeno, *ζώων* quoque mentionem factam a poëta fuisse, quae nunc absit. Neque vero ad Hesiodea haec de Terrae prole pertinent, quae leguntur in Schol. ad Euripid. Hippol. v. 596. Matth. *γῆ πάντων μήτηρ κατὰ Ἡσίοδον*, sed ad verba poëtae *Ἔργ.* 563. Itaque ex illis certe nequit aliquis defectus hoc loco argui. Ea autem, quae Scholiastes Palatinus ad Simmiam A. P. XV. 24. Ed. Iacobs T. III. p. 824. ad Hesiodi auctoritatem retulit: *Ἀκμονίδαν δὲ τὸν Οὐρανὸν Ἡσίοδος· Γαῖα μὲν Ἄκμον' ἔτικτεν· ἀπὸ δ' Ἄκμονος*

Οὐρανός, non potuisse olim hîc locum habere prorsus adsentior Muetzellio p. 405. Coelum ex Terra natum ab Hesiodo in Theogonia tradi tot Veterum Scriptorum testimonia confirmant, ut credendum non sit, aliter olim in vetustis eius exemplis fuisse, nec magis credendum, alibi ab Hesiodo, quamvis fortasse dixerit Γαῖα μὲν Ἄκμον' ἔτικτε, fuisse Acmonem hunc patrem Coeli dictum. Apud Eustathium, cuius maior nobis, quam istius parum docti Scholiastae, auctoritas habetur, fuisse Alcman dicitur, qui primus patrem eum Coelo tribuerit. Vid. p. 1154. 23.

vv. 127. 128 explicat Cornutus p. 175. ἵνα περὶ πᾶσαν τὴν γῆν εἴη μακάρεσσι θεοῖς ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ, τοῖς ἐπ' αὐτοῦ θέουσιν ἄστροις οἰκητήριον, quorum priora Galei Codex sic in versuum speciem redacta exhibet: ἵνα μὲν (l. μιν) περὶ πᾶσαν ἐέργῃ Ἡ δ' εἴη μακάρεσσι θεοῖς ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί., quae lectio Galeo melior visa, quam quae in Hesiodo hodie exstat. Sed non animadvertit Galeus, illis duntaxat ἡ δ' — εἴη non convenire interpretationem Cornuti, qui Coelum esse voluit οἰκητήριον, sive ἕδος currentibus ἐπ' αὐτοῦ *in illo* astris, non Terram. Equidem cum Muetzellio p. 406. in illo Galei Cod. interpolatoris manum agnosco. Attamen multum abest, ut ipsius Cornuti interpretationem probem tum in aliis, tum in hoc, quod εἴη et ἕδος ad Coelum retulit. Sic enim secum ipse pugnaverit Hesiodus, cui supra v. 117. dicta Terra θεῶν ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί. Vt esse Hesiodi versus 128 censeatur, referenda εἴη et ἕδος erunt ad Terram et explicandus locus, ut explicuimus supra in adnot. ad v. 116. Quod enim Wolfius admonente Heynio, versum uncinis includens, dixit »*alienum* illum hîc esse, qui proxime praecedentem »legerit, statim arbitrabitur" haud omnino adsentientem me habet. Non adfirmo equidem, versum esse Hesiodi,

quem, si abesset, neque ipse desiderarem; sed exstantem in omnibus Codd., lectumque a Cornuto, Origene, Theophilo, Stobaeo, non esse temere expungendum censeo, quippe nec alienum a praecedente versu, cum Οὐρανὸς Γῆν περὶ πάντα καλύπτων vel ἐέργων, sive eam tanquam καλύβῃ vel ἔρκει circumquaque tegens et continens, hoc ipso videri poëtae potuerit illam facere μακάρεσσι θεοῖς ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί. Facit enim sane tectum vel septum, quo firmius vel tutius sit domicilium. v. 128. ὅς ῥ' εἴη Stobaeus, quae lectio profecta ab iis, qui cum Cornuto ἕδος Coelum esse vellent. Vulgatam omnes Hesiodi Codd. tuentur.

vv. 129—132. respexit Cornutus p. 176. ἡ δὲ Γῆ τὰ ὄρη καὶ τὸ πέλαγος ἐξῆς λέγεται γεννῆσαι ἀτὲρ φιλότητος ἐφημέρου (sic), ex cuius brevi mentione incertum manet, utrum versum 130 legerit, nec ne. Cum ceteris eum adposuere Theophilus et Origenes. Goettlingio additus esse videtur ab recentiore quodam, qui θεῶν illud (v. 129) explicare conabatur, quamvis eo tantum significare poëta voluerit constituta in montibus templa. De templis cogitasse Hesiodum hoc loco, non equidem inducor, ut credam. Adsentior tamen Hermanno in Cens. Goettl. statuenti, posse nos versu carere. Sed haec iusta causa non est eum abiudicandi Hesiodo, qui voluisse potest Terram nascituris ex se Nymphis (v. 187) non minus, quam ceteris Diis habitationis sedem parasse. Tum merito contra Goettlingium tenet Hermannus, nihil offensionis habere adiecta post Νυμφέων, si describi illis plenius Oreades censeantur. (conf. mox citandus versus Apollonii Rhod. I. 1226.) veraque est ad h. l. observatio Muetzellii p. 363., esse prolixius hoc expositionis genus inter Hesiodei sermonis proprietates.

Ad ἐναύλους v. 129. Gl. Par. C. τοὺς διὰ στένου ποτάμους. Convenit haec explicatio locis Homeri quibusdam,

ut Il. Φ. 287. 312. non vero huic Hesiodi. Conf. Apollon. Lex. v. ἔναυλοι. Neque rectius d' Orvillius ad Charitonem p. 138. hunc locum, ut opportunum, contulit cum explicatione Scholiastae Apollonii Rhodii, ad haec poëtae verba l. c. ὅσαι σκοπιὰς ὀρέων λάχον ἢ καὶ ἐναύλους notantis τὰ σπηλαια νῦν. Melius cum Scholiis ad h. l. Guyetus Hesiodeum ἐναύλους interpretatus est διατριβὰς, ἐπαυλιστήρια. Apud Apollon. Rhodium autem ἔναυλοι oppositi σκοπιαῖς sunt *convalles*. Scilicet, ut notatum iam ab aliis, significatio vocabuli ἔναυλος varia fuit, prout vel ab αὐλὴ, vel ab αὐλὸς ducta esset, notavitque vel, ut hîc, habitandi locum, vel, ut in versibus Homeri et Apollonii Rhodii citatis, locum canalis aut fistulae instar vel aliqua ratione cavum. Posteriorem significationem pluribus illustravit Heynius ad Il. Π. 71. prioris non adeo rationem habuit.

v. 132 seqq. αὐτὰρ ἔπειτα κ. τ. λ. A Coeli et Terrae nuptiis cyclus Graecorum mythicus initium ducebat. Vid. Apollodor. Bibl. pr. Ab iisdem hîc initium fit Theogoniae proprie sic dictae; nec dubium est, quin, quae deinceps recensentur Titanum ac Deorum nomina, omnia ex antiquissima Graecorum religione coniunctisque cum ea mythis prolata sint. Haud temere dixit Plato in Cratylo p. 397. C. φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων τῶν περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, οὕσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, ἥλιον καὶ σελήνην καὶ γῆν καὶ ἄστρα καὶ οὐρανόν: manserúntque pristinae religionis vestigia. Terrae quidem fuit templum Athenis. Vid. Pausan. I. 22. item Spartae, ibid. III. II. 12. ara Phliis, ibid. I. 31. oraculum Delphis, ibid. X. 5. ara et oraculum Olympiae, ibid. V. 14. ut de Telluris apud Italos cultu nihil dicam. Coelum similiter in Graecia templis arisque cultum fuisse non constat: sed fuit iusiurandum per illud

numen in primis sacrum. Quod Plutarchus ait de Placit. Philosoph. I. 6. p. 880. C. Hesiodum volentem genitis Diis patrem invenire (conf. Herod. II. c. 53.), tales ipsis ad hunc modum esse commentum Κοῖόν τε Κρεῖόν τε κ. τ. λ., id hactenus verum habeatur, ut licenter Hesiodus certo Deo certum patrem adsignaverit, non, ut ipse haec Deorum nomina aut numina commentus sit. Quod autem omnes hi antiquissimi Dii ab Hesiodo Coeli Terraeque liberi finguntur, id neque ipsum per se absurdum est et, si propius ad singulorum naturam respexeris, commode utique in hoc genus retulisse poëtam dicas tum naturae partes atque vires Oceanum, Tethyn, Coeum, Crium, Hyperionem, Thiam, Rheam, Phoeben, Cyclopes, Centimanos, tum coelesti origine virtutes Themin, Mnemosynen, tum denique Deucalioneae et Hellenicae stirpis hominum antiquissimum auctorem Iapetum.

Est Ὠκεανὸς opinione Hesiodi fluviorum pater (Th. 337.) atque ipse τελήεις πόταμος (Th. 242.), cuius πηγαὶ memorantur Th. 282. quique fluviorum epitheto βαθυδίνης dicitur et βαθυῤῥείτης (Ἔργ. 171. Th. 265.). Itaque ortum visus hic etiam Coelo debuisse, cum mare salsum (Πέλαγος) ex sola Terra exstitisset. Ad Κοῖον genus suum retulisse Coos, docet Tac. Ann. XII. 61. Filia eius Latona colebatur Deli. Videtur hinc Aegaei maris insulis propria eius Titanis religio fuisse. Κοῖος dici potuit vel a κόω, κοέω *intelligo* (vid. Etym. M. in v.), vel a κόω *turgeo*, ut eo nomine declarata sit turgens Naturae ad generandum vis. Memoratus quidem Pausaniae IV. 6. fluvius Messeniae Κοῖος nomen nisi ab hoc Titane, ut quibusdam visum, certe a turgentibus aquis habuit. Κρεῖος, a κρέω, Deum significavit eximie potentem, principem, regem, ut apud Orientis populos Deorum nomina fuerunt Bel, Moloch, alia. Tradit Pausanias VII. c. ult. Crium Achaiae fluvium ab hoc Titane dictum ferri,

unde videri possit in Achaia maxime servata ex antiqua religione fuisse huius Dei memoria. Ceterum neque hunc Homerus memoravit, neque Coeum. Ὑπερίονα autem Solis antiquitus nomen fuisse arguunt loci Homeri, in quibus vel Ὑπερίονος Ἠελίοιο mentio fit, vel Sol eo nomine designatur, Il. Θ. 480. T. 398. Od. A. 8. 24. M. 133, 263, 346, 374. H. in Ap. 369. At H. in Cer. 26. est Sol Ὑπερίονος ἄγλαος υἱὸς, ut Od. M. 176. Ὑπεριονίδης. Coeli et Terrae filius Ὑπερίων dicitur etiam H. in Sol. 4. Ἰαπέτου nomen ex Oriente in Graeciam venit per eius posteros, Hellenicae stirpis homines, cum ipse Hellen Iapeti pronepos ferretur. Iapetum unum ex Titanibus habuit etiam Homerus, eum cum Crono inclusum Tartaro memorans Il. Θ. 479. Θεῖα *Dea* per excellentiam sic dicta, cum ut lucis Dea celebretur a Pindaro Isthm. IV. 1. carmine in hominis Aeginetae laudem, videri potest antiquum apud Aeginetas numen fuisse cultum nautico populo, ut Phoenicibus Dea Coelestis. Conf. Welckerus apud Boeckh. in explicat. ad Isthm. l. c. p. 512. Ῥείᾳ vocasse videntur vim naturae facile producentem et ubertim quasi adfundentem omnia. Antiquum Rhea cum Crono templum habuit Athenis. Vid. Pausan. I. 18. Eam aliquoties memorat Homerus, apud quem mentio etiam Themidis fit Il. O. 87 et seqq., et notabili loco Od. B. 68 seq. Huius Legiferae Deae vetus fuit religio et oraculum Delphis. Vid. Apollod. I. IV. 1. Pausan. X. 5. Memorat idem Pausanias IX. 25. templum et signum eius Thebis, et V. 14. aram eiusdem Olympiae. Μνημοσύνης ut antiquissimae Deae mentio fit H. Hom. in Merc. 428. Eleuthere cultam vidimus supra v. 54. Φοίβη nomen fuisse videtur antiquum Lunae, ut Φοῖβος Solis. Est utique nomen id Lunae frequens apud Latinos poëtas, quibus Graecorum quosdam in eo praeivisse vero simile est, videturque in ea coelestis ac luciferae Deae virtutem ipse agnovisse Hesiodus,

qui matrem eam faciat Asteries et Hecates Th. 404. 409. 411. Phoebes aliquo tempore oraculum fuisse Delphis tradit Aeschyl. Eumen. 5. Eam non memorat Homerus. Τηθὺς dicta est rerum *alma* mater, seu Naturae vis omnia alens ac nutriens, praesertim humore fertili. Dixit inde Hom. Il. Ξ. 201. Ὠκεανὸν θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν. Fuisse Κρόνος videtur apud antiquissimos Graecos temporis et anni Deus, fere, ut apud Latinos Ianus, ducto Dei nomine a *κρόω perficio, provenire facio.* Cronum Iovis patrem et ab eo privatum honore, deiectumque in Tartarum, tam Homerus celebrat, quam Hesiodus. Servatam vel sic aliquam eius Dei in Graecia religionem docent memorata apud Pausaniam VI. 20. pr. Croni sacra in Elidis monte Cronio I. 18., Cronique templum Athenis.

Verbis *δεινότατος παίδων θ. δ' ἠχθ. τοκῆα* v. 138. praeparamur ad ea, quae plenius narrantur infra v. 154 seqq. *θαλερὸν* ad vim generandi refer, qua patrem abutentem nec matri tempus pariendi inque lucem edendi liberos indulgentem odio prosequebatur Cronus.

vv. 133—137 respicit Clemens Romanus Recognit. interprete Rufino X. 31. T. II. p. 320. Ed. Gall. *post Chaos* (Hesiodus) *statim Coelum dicens factum esse et Terram, ex quibus ait progenitos illos undecim, quos interdum et duodecim dicit, in quibus sex mares, quinque feminas ponit; nomina autem dat maribus, Oceanus, Coeus, Crius, Hyperion, Iapetus, Cronus, qui et Saturnus; item feminis, Thia, Rhea, Themis, Mnemosyne, Tethys.* Omittitur in hoc recensu Phoebe, ut item apud referentem eadem Clementem Homil. VI. 2. p. 677. Sed comparet ea cum ceteris apud eundem loco simili Recognit. X. c. 31. p. 320. ubi sex mares, totidemque feminae memorantur. Exstant integri versus 134, 135 apud Cyrillum adv. Iulian. II. p. 53. C. cetera quoque

attingentem in his: *καὶ Γῆς τέκνον ἀποφήνας τὸν Οὐρανὸν* (*Ἡσίοδός φησιν*) *ὅτι καὶ θάλασσας* (*Oceanum* et *Tethyn*) *τέτοκεν Οὐρανῷ παρευνηθεῖσα, Κοῖον τε κ. τ. λ. Φοίβην τε πρὸς ταύταις, ἣν καὶ χρυσοστέφανον ὀνομάζει, καὶ μέντοι τὴν Ἑκάτην* (hanc memoria lapsus addidit), *ὁπλότατον δὲ πάντων γενέσθαι φησὶ τὸν Κρόνον.* Respexit hunc locum idem III. p. 75. D. Memoratis versibus 126. 127., ut Hesiodi, Scholiastes Pindar. ad Nem. VI. 1. subiicit: *Οὐρανοῦ δὲ καὶ Γῆς εἰσιν οἱ περὶ Κρόνου καὶ οἱ ἄλλοι Τιτᾶνες.* Memor quoque huius loci fuit Plato in Cratylo p. 396. Conf. Proclus in Platon. Theol. IV. 5. p. 188. Opp. T. IV. p. 40. Ed. Cous. in Tim. V. p. 291. Citatur v. 134 integer a Plutarcho de Plac. Philos. I. 6. p. 880. et Etym. M. v. *Κοῖος* p. 523. 48. Aliorum locos, ubi res, hîc ab Hesiodo proditae, sed sine poëtae mentione memorantur, vide apud Muetzellium p. 408.

v. 134. Ad *Κρεῖον* Gl. Par. G. *ἤγουν τὸν βασιλικὸν καὶ ἡγεμονικόν.* Consentit Eustathius, qui p. 948. 46. *Κρεῖοι, ἴσως οἱ μεγάλοι, ὁμωνύμως τῷ μυθευομένῳ Κρείῳ.* Minus recte Etym. M. p. 6539. 20. (quem locum citare volui in Variis Lectt. Citatus locus est in Gudiano) Schol. ad h. l. et Io. Diacon. in Alleg. *παρὰ τὸ κεκρίσθαι*, quae explicatio tum nata, cum pro *Κρεῖος*, ut Titanis nomen, frequentari *Κρῖος* vel *Κριὸς* coepisset.

v. 135. ad *Θείαν* Gl. Par. C. *τὸ ὕδωρ.* Videas eodem id trahentem Io. Diaconum. Paulo minus inepte, nec tamen vere Schol. ad h. l. *παρὰ τὸ θεᾶσθαι* (cum Etym. M. p. 449. 15) *ἢ παρὰ τὸ θέειν* dictam *Θείαν* opinatur. Immo fuit apud antiquissimum quendam Graeciae populum dicta simpliciter *θειὰ Dea* de luciferis quaedam, sicut, teste Herodoto II. 52., Pelasgi in universum *θεοὺς*

non addito proprio cuiusquam nomine vel cognomine dixerunt.

v. 138 effictum e v. 155 et inepte loco huic intrusum arbitrati sunt Ruhnkenius, Heynius, Wolfius. Agnovit versum Cornutus l. c. nec repudiavit eum Aristarchus, quamvis, teste Schol. ad h. l. offensus ad θαλερὸν, de seniore Coelo dictum, nisi forte significaverit θαλεροποιὸν τῷ βίῳ. Sed et inepta est haec explicatio et vero inepta reprehensio ipsa Aristarchi, cum θαλερὸς proprio sensu recte dici potuerit Οὐρανὸς, tot deinceps liberorum pater et ad porro gignendum pronus. (Vid. infra v. 174 seq.) Itaque fecit Κρόνος, ne porro esset ei pater in matris et liberorum incommodum θαλερὸς *fecundo vigore*. Nec sane quicquam est in Hesiodeis, quod πρεσβύτερον hîc nos Οὐρανὸν informare iubeat. Conf. Muetzell. p. 116.

v. 139 seqq. Fuit apud Graecos antiquissima, ut Titanum, ita Cyclopum memoria; illorum ut θεῶν, horum ut θεοῖς ἐναλιγκίων, quique propinqui essent Diis, θεοῖς ἐγγύθεν, perinde ac Gigantes. Vid. Hom. Od. H. 205 seq. Fuit, Pausania teste II. 2., vetus Corinthi ara, Cyclopum dicta, in qua sacra etiam facerent Cyclopibus. Omnino maxime in Peloponneso celebrata fuit Cyclopum memoria, ubi condidisse etiam antiquissimas urbes ferebantur, Argos, Tirynthem, Mycenas. Vid. Apollod. II. II. 1. Strabo VIII. p. 373. Pausan. II. 16. 25. VII. 25. Schol. ad Euripid. Orest. 963. Sed eos in Peloponnesum venisse Strabo dicit e Lycia, Scholiasta Euripidis ex Curetide i. e. Aetolia, cum ex Thracia oriundi varias terras adiissent. Trinacriae incolas Cyclopas facit Homerus, cuius auctoritatem sequitur Thucydides VI. 2. Sed in Siciliam quoque alicunde navibus venerant, quo, ni fallor, pertinet, quod Polyphe-

mus dicitur Neptuni filius. Ceterum ob antiquissimam eorum originem commode mythico sermone dici potuerunt *Coeli Terraeque filii*, cumque, ut sunt, qui hominibus tela fabri conficiunt, ita fingendi quoque essent Iovis telorum artifices, apte in eam rem arrepti sunt ex aetate mythica Cyclopes, de quorum vasto corpore, magnis viribus, singularique in architectura cognatisque artibus solertia consentiens antiquitatis fama obtineret. Illos autem antiquissimos Coeli Terraeque filios Cyclopes, Iovi fulguris artifices, Hesiodus numero tres fuisse vult, insignitos ipsis tonitrus ac fulguris nominibus. Namque et Ἄργος dictus a candenti fulmine. Conf. Il. Θ. 131. T. 121. An autem praeter hos Hesiodus alios noverit Cyclopas, quales supra citati auctores memorant, qualesque ex illis antiquissimis ortos Hellanicus et Pherecydes perhibent, citati, hic in Schol. ad Euripid. Alcest pr., ille in Schol. ad h. l., ignorare nos fatendum est.

Apud Gregor. Naz. Or. III. p. 103 fin. 104 init. Hesiodea ex Theogonia referentem, memorati inter alios *οἱ κεραυνοφόροι θεοὶ* videri possunt ad hunc de Cyclopibus locum pertinere, quo certe referendos duxit Nonnus fab. 73. p. 517. B. C. Billii. Conf. idem. f. 62. p. 514. B., Montacut. p. 148 et 153. Haud dubie locum hunc, sicut sedem inter superiora et sequentia obtinet, respexit Theophilus ad Autolyc. II. 6. extr. Ed. Wolf. p. 91 seq. *εἰπὼν γὰρ* (Ἡσίοδος) *Γῆν καὶ Οὐρανὸν καὶ Θάλασσαν* (Pontum), *ἐξ αὐτῶν τοὺς θεοὺς βούλεται γεγονέναι καὶ ἐκ τούτων ἀνθρώπους δεινοτάτους τινὰς συγγενεῖς καταγγέλλει Τιτάνων γένος καὶ Κυκλώπων καὶ Γιγάντων πληθύν* (Centimanos et memoratos infra v. 185). Sua quoque ex h. l. derivavit Eudocia p. 263. non sine diserta Hesiodi mentione, quod quidem attinet ad v. 144. Videtur etiam hinc esse, quod ab eadem p. 92. memoratur Brontes Coeli et

Terrae filius. Conf. et Eustath. p. 1622. 50. ubi diversas esse notat Homeri et Hesiodi super Cyclopibus traditiones.

v. 142. Teste Scholiasta ad h. l. Crates pro hoc versu alterum substituit *οἵ δ' ἐξ ἀθανάτων θνητοὶ τράφεν αὐδήεντες*. Causa ibidem adfertur, quod *ἐν τῷ τῶν Λευκιππίδων καταλόγῳ* i. e. parte Hesiodei Catalogi, in qua actum de Leucippi filiabus, itaque de Arsinoë, natoque ex hac et Apolline Aesculapio, dicitur Apollo Cyclopes interfecisse, mortem Aesculapii, ab Iove peremti fulmine, in fulminis artificibus ultus (Vid. Apollod. III. IX. 3. 4. collato Pausania II. 26.); quomodo igitur possent hîc Cyclopes a poëta *θεοῖς ἐναλίγκιοι* dicti esse? Profecto, nisi illa de Cratete referens imposuit nobis Scholiasta, notabile hîc exemplum est Grammatici illius tum licentiae in exercenda critica, tum vero etiam levitatis. Nam verba *θεοῖς ἐναλίγκιοι* non nisi ad declarandam Cyclopum formam pertinere, satis Cratetem docere poterat versus sequens, ut bene observatum in Scholii ad h. l. fine et postea a Graevio ad h. l. Goettlingius Scholiastam temere Crateti tribuisse versum statuit, qui alterius fuerit recensionis, pertinens ad vv. 144, 145. itaque illum versum ante hos in contextum recepit; ceterum omnes uncinis inclusit. Equidem, cum perversi iudicii Cratetem alia quoque arguant indicia, Scholiastam vera de eo retulisse arbitror, praesertim cum tam accuratus Scholiasta fuerit in subiicienda Cratetei super hoc loco iudicii causa. Conf. Muetzell. p. 285. Verba autem Scholiastae *Κράτης ἀντὶ τούτου ἄλλον στίχον παρατίθεται* mihi vix aliud significare posse videntur, quam quod huius aduotationis initio posuimus.

Poëtae fuisse dicuntur Cyclopes per omnia Diis similes, excepto, quod unum media fronte oculum habebant. Videtur fabula haec aetate epica adeo fuisse cognita ac vulgo

recepta, ut Polyphemum Cyclopem unoculum fuisse Homerus aliter quam narratione de excaecato illo declarare nihil opus esse duxerit. Conf. Accius apud Gellium III. 11. Quid autem ortum fabulae dederit, incertum est. Attamen, ut Empedocles v. 281. *κύκλοπα κούρην* dixit pupillam oculi rotundam, sic videri quoque possunt appellati primum Cyclopes fuisse, quibus essent magni et rotundi oculi, quales generi hominum Celtico proprii fuerunt, ad quod genus pertinuisse Cyclopes vero simile mihi fit, tum ideo, quod ex Thracia oriundi perhibentur, tum ex similitudine, quae inter vetustissima quaedam Celtarum per Europam monumenta et Cyclopum muros intercedit.

v. 143 suspectum Heynius habuit, Wolfius magis versus 144, 145. Hermannus cum Goettlingio hos fuisse alterius recensionis putat. Scilicet offendit eos eadem in v. 143 et 145 clausula. Nam ceteroquin non est mera in his versibus tautologia. Versus enim 143 agit de uno Cyclopum in media fronte oculo, qua sola formae parte non erant Diis similes Cyclopes; versus autem duo sequentes de conformatione huius oculi rotunda, deque dictis hinc Cyclopibus, quae quidem etymi declaratio vix poterit non Hesiodea videri conferentibus infra vv. 195. 207. 282. *Ἔργ.* 80. 81. Minor autem concinnitas in eiusdem clausulae repetitione tam potest, me iudice, rudioris adhuc artis in poëta, quam interpolationis posterorum, vel Rhapsodorum vel Grammaticorum, indicium haberi. Bene animadvertit Muetzellius p. 411. versum 143 praecedenti versui arcte adhaerere et ad absolvendam sententiam necessario requiri, lectumque eum haud dubie fuisse a Grammatico non indocto, cuius excerpta aliquantum luxata supersunt in Etym. Gud. p. 352. fin.

v. 144 cum seq. citant Etym. M. p. 544. 7. Etym. Gud. p. 523. 43. Schol. ad Od. I. 106. p. 313. Bekk.; respicit Elias Cretensis ad Gregor. p. 372. C.

Versûs 145 principium citat Scholiastes Callimachi ad H. in D. 53.; integrum Eustathius p. 1392. 36. eodem respiciens p. 286. p. 1202. 8.

v. 147 et sequentibus, qui Coeli Terraeque filii post alios, iisdem genitos, memorantur, hoc ipso intelliguntur eiusdem, ac superiores, naturae fuisse ac similiter ad rerum initia pertinuisse. Dubium autem non est, quin manuum capitumque multitudine, qualem hîc Cotto, Briareo, Gygi tribuit Hesiodus, qualisque frequens est in Deorum apud Indos imaginibus, multifaria virium immanitas significetur, cum eodem etiam cetera in hac descriptione pertineant, atque ipsa adeo Centimanorum nomina Κοττὸς a *κόω tumeo, turgeo*, Βριάρεως a *βαρίω*, *βρίω gravo*, Γύγης a *γύω late explico* vel *expansus sum*, cui nomini cognatum *γίγας* a *γάω*. Facit autem Briarei etiam apud Homerum Il. A. 403 seqq. mentio, ut videatur uterque poëta mythum secutus esse antiquum.

In eruenda autem, quae sub illo mytho lateat, rei veritate varia iam Veteres moliti sunt. Fuisse dictos sic homines ex urbe Orestiadis Hecatonchiria satis inepte statuit Palaephatus c. 20., cui fere adhaesit Nonnus ad Gregor. f. 73. p. 517. B. Probabiliora sunt, quae continentur Scholiis ad h. l. et Io. Diaconi Allegoriis; ita tamen, ut minore in his veri specie se commendet explicatio, quae trium Centimanorum nomina ad tres anni tempestates, quam quae ad rapientes omnia procellas, vel ad ventos subterraneos refert. Amplexus hanc recentiore seculo L. Barlaeus, cui Briarei nomen alterum Αἰγαίων cognatum visum cum *αἰγὶς procella*. Maluit Clericus, hîc, ut saepe, ineptiens, in sen-

tentiam fere Palaephati discedere. Posteriores rectius physicam secuti sunt notionem. Heynius ad Apollod. I. 1. Obs. 3. Centimanos et Cyclopas esse in mythis statuit naturae omnia generantis vires. Hermanno Opusc. II. p. 176. visa est Centimanorum generatio primos conatus indicare animatas naturas procreandi, quae immanissimae fuerint, luxuriante adhuc vi genetrice, necdum modum adhibere docta. Addidit tamen in subiecta nota, se, Creuzeri obiectionibus motum, vidisse grandinem potius et imbres et nives significari. Mihi videtur poëtarum descriptione maior quaedam vis indicari, quae rerum statum saepe converterit, ut est terrae motuum non sine procellis et aquarum eluvione, quarum rerum antiquo illo tempore potuit recentior esse memoria vel ex iis, quae in Graecia ipsa contigerant, vel ex Iapetidarum de diluvio traditionibus: cognatumque puto equidem mythum, quo Gigantes, vel hi, vel alii, montes dicuntur imposuisse montibus. In Briareo fuisse maris, nunc terrae partem absorbentis, nunc montes vel insulas ex se attollentis, vim indicatam colligas ex iis, quae ex Arriano refert Eustathius ad Il. A. p. 125. Conf. idem in Dionys. Perieg. 64. et Scholia ad Apollon. Rhod. I. 1165. Omnino vim et pugnam elementorum hoc de Centimanis mytho submonstratam arbitror. Cogitasse tamen de his vel Homerum vel Hesiodum adfirmare nolim, cum potuerint hi in pridem inductis illis mythicis personis simpliciter tributas illis prodigiosas vires spectare.

Cotti Centimani rarior fuisse videtur in Graecorum post Hesiodum carminibus mentio. Gygis frequentiorem fuisse colligas ex Horatio Carm. II. XVII. 4. III. IV. 69. Ovidio II. Am. I. 12. IV. Fast. 593. IV. Tr. VII. 18. Briarei, dicti etiam ab aliis post Homerum l. c. Aegaeonis, frequens sane fuit. Vid. Callim. H. in Del. 143. Schol. ad Apollon. Rhod. l. c. Virgil. Aen. VI. 287.

X. 565. Pausan. II. 1. 4. Aelian. V. H. V. 3. ibique VV. DD.

Coeli Terraeque progeniem dictos ab Hesiodo Centimanos testantur Schol. min. ad Il. A. 402. Memorat Gregorius Or. III. 3. p. 103. D. *τὴν Ἡσιόδου Θεογονίαν* et in ea *τοὺς Τιτᾶνας, τοὺς Γίγαντας μετὰ τῶν φοβερῶν ὀνομάτων τε καὶ πραγμάτων*, ipsa tria addens Centimanorum nomina, quartumque insuper Enceladi, quod rectius omisit Elias Cretensis ad Gregor. p. 382. D. verba Hesiodi h. l. propemodum secutus. Conf. Nonnus ad Gregor. loco supra cit., Montacutius p. 153. et Catal. Clark. T. I. p. 46. Schol. Plat. p. 452. Bekk.

Hesiodea haec respexisse videtur etiam Apollod. I. 1. quo magis mireris, eum in recensendis Coeli Terraeque liberis ordinem procreatorum intervertisse. Primum enim Centimanos, tum Cyclopes, hinc denique Oceanum et ceteros memorat. Neque tamen inde colligas, diversum in Hesiodi, quod Apollodorus habuerit, exemplo ordinem fuisse. Scilicet Apollodorus in Bibliotheca sua varios secutus est poëtas, neque in Theogonia tradenda sic adhaesit Hesiodo, ut non aliquando ab eo recederet. Habet quidem, qualem Apollodorus, ordinem etiam Theogonia Orphica p. 504 seq.

v. 148. *οὐκ ὀνομαστοὶ* in Gl. Par. C. recte exponitur *ἄφατοι* i. e. *quos commemorare vix audeas*, minus recte ab Elia Cretensi l. c. redditum est *ipsis nominibus formidabiles*.

v. 150. ad *ἀΐσσοντο* Gl. Par. C. *ἐκρέμαντο, κεκίνηντο*. Falsum plane prius. Notat autem *ἀΐσσοντο cum impetu se movebant*.

v. 152. Guyetus suppositititium censuit. Num ut ex *Ἔργ.* 149. Sc. 76. effictum? Mihi similis dictio potius eundem

indicare poëtam videtur. An vero, quod, quae ibi de manibus dicta sunt, non putavit Guyetus posse commode ad capita transferri? Sed hoc nullius rei esse, vere dixit Muetzellius p. 100. Retinendum versum etiam Heynius statuit. Legerat quidem eum Eustathius p. 1590. 10 seq. citans ex Hesiodi Theogonia *τὸ ἐπέφυκον* a *πεφύκω*. Conf. idem p. 576.

v. 154 seqq. in *ὅσσοι γὰρ παίδων κ. τ. λ.* referendum *γὰρ* ad supra memoratorum *δεινότητα*, certe ad ea, quae proxime praecedunt. Ceterum dubites, qua de re dubitatum iam antiquitus fuisse Scholia ad h. l. arguunt, sitne construendum (*ἦσαν*) *γὰρ* (*οὗτοι*) *δεινότατοι παίδων*, *ὅσσοι Γαίης τε καὶ Οὐρ. ἐξεγένοντο*, ut dicantur Centimani, fortasse etiam Cyclopes, maxime terribiles fuisse omnium Coeli Terraeque liberorum, an vero *ὅσσοι γὰρ* (*παῖδες*) *Γαίης τε κ. Ο. ἐξεγ.* (*ἦσαν*) *δεινότατοι παίδων*, ut significetur nullis parentibus magis terribiles enatos liberos, quam quotquot e Coelo Terraque nati sint. Amplexi hoc Mombritius, L. Barlaeus. I. H. Vossius. Sed alterum construendi modum, quo *ὅσσοι* post *παίδων* ponatur, secutus est non inelegans interpres Zamagna, reddens: *Non alii, aetherias quotquot Tellure creati Et Coelo videre auras, mage viribus acres Sunt habiti, invisique suo vixere parenti.* Basileensis, Schmidius, Graevius, alii, verbum verbo reddiderunt, constructionem et sententiam non expediverunt. Wolfius, dissimulata ambiguitate, tantummodo dixit, construendum *δεινότατοι παίδων ἦσαν καὶ ἤχθοντο σφετέρῳ τοκῆϊ*· Heynius tantum adnotavit: *ὅσσοι γὰρ — παίδων pro παῖδες*, unde colligas duntaxat, visum ei, poëtam omnes pariter Coeli Terraeque liberos parenti invisos dixisse, itaque etiam omnes pariter eius saevitiam expertos. Idem censuisse videtur Hermannus Opusc. II. p. 176. f. p. 177. init. Qua praelata ratione tamen *παῖδες* rectius ad solos referendum erit

mares. Namque in Themide certe et Mnemosyne δεινότης illa non fuit, neque causa excogitari potest, cur eas odio pater habuerit. Sed pro altera construendi ratione pugnat, quod Hesiodus infra v. 617 seqq. vinctos atque in tenebris sub terra abditos a patre Centimanos, item v. 502. Cyclopas, non vero alios memorat, quibus consentanea habet Apollodorus I. 1. (Conf. et Io. Diaconus) neque apparet etiam, quomodo, si illi, qui Titanes postea dicti sunt, item abstrusi penitus in terram fuerint; ea cum matre inire et perficere consilia potuerint, quae deinceps narrantur. Vide inprimis v. 174. 189. Fatendum tamen est, si δεινότατοι primo in constructione loco ponendum sit, obscurius hîc locutum esse poëtam, inverso iusto orationis ordine. Ceterum, utro modo construas, offensionem parere non debet intellectum ἦσαν. Abest verbum similiter apud Homerum Il. Δ. 328. ἀμφὶ δ' Ἀθηναῖοι μήστωρες ἀϋτῆς· E. 266., ubi, mentione equorum Aeneae facta, non praecedente nominativo, sequitur οὕνεκ' ἄριστοι Ἵππων, ὅσσοι ἔασιν ὑπ' ἠῶ τ' ἠέλιόν τε, Od. E. 236. αὐτὰρ ἐν αὐτῷ Στειλειὸν περικαλλὲς sc. ἦν, nec proinde opus est, ut, expuncto δ' ante ἤχθοντο, cum Guyeto versum hiatu contamines iuvandae scilicet constructionis gratia. Guyeti improbans sententiam Muetzellius p. 95. vel alia ratione explicandum locum, ut iustus orationis ordo per licentiam huic poëtae non insolitam interruptus esse dicatur, vel coniectura sustentandum statuit, qualem promptam et facilem esse ait, si pro ὅσσοι scribatur τόσσοι. Sed ὅσσοι tuentur non modo Codd. omnes, verum etiam Scholiastae, neque ulla excogitari causa potest, cur, si scriptum olim τόσσοι fuit, inde ὅσσοι fecerint librarii. Idem autem Vir doctus postea ad magis violentam loci medicinam recurrit, ferroque sanandum eum statuit, ut, recisis vv. 155. 156, qui casu primum e v. 138 et v. 155 huc pervenerint,

deinde emendatricem curam perpessi sint, legatur ὅσσοι γὰρ Γαίης τε καὶ Οὐρανοῦ ἐξεγένοντο Πάντας ἀποκρύπτασκε καὶ ἐς φάος οὐκ ἀνίεσκε. Sed praeterquam, quod sic non satis plane declaratur, patrem liberorum id fecisse, prorsus in hac ratione non habet γὰρ, quo referatur. Esse enim, quod Heynius voluit, γὰρ hîc pro *principio* positum, haud facile mihi persuaderi patiar.

v. 156 seq. Πάντας ἀποκρύπτασκε καὶ ἐς φάος οὐκ ἀνίεσκε Γαίης ἐν κευθμῶνι traiectio est Hesiodea pro πάντας ἀποκρύπτασκε Γαίης ἐν κευθμῶνι καὶ ἐς φ. οὐκ ἀν. *ita in recondito Terrae sinu abdidit, ut in lucem exire nullo modo possent.*

v. 158 sine nomine auctoris citat Etym. Gud. p. 317. 40 seq. sed corrupte.

v. 160. pro στεινομένη Seleucus, teste Scholiasta ad h. l. scripsit ἀχνυμένη· οὐ γὰρ ἐστενοχωρεῖτό, φησιν, ἀλλὰ διὰ τοὺς κρυφθέντας παῖδας αὐτῆς ὑπὸ τοῦ Οὐρανοῦ ἐλυπεῖτο. Correctionem improbarunt Graevius, Wolfius, Muetzellius p. 416. at, me iudice, minus recte hac de causa, quod correctione nihil opus sit, cum στεινομένη ipsum significare possit *anxia*, *sollicita*. Dubium quidem non est, quin seriores poëtae verbum ea significatione usurpaverint, sed hinc non efficitur, fuisse item sic antiquioribus usurpatum, neque ad Hesiodum quod attinet, vero simile fit eo, quod apud Eusebium Praep. Euang. XIII. p. 403. RSt. στεινόμενοι ut Hesiodeum ex Ἔργ. 178. (Goettl. 179.) citatur eo sensu, cum omnes ibi Codd. habeant φθειρόμενοι. Apud Homerum quidem, ut iam post alterum Scholiastam animadvertit Heynius, Scamander στεινόμενος νεκύεσσι (Il. Φ. 220.) non est *dolens*, sed *coangustatus* multitudine cadave-

rum innatantium et Seleuco certe persuasum fuit, in Hesiodeis h. l. στεινομένη non posse alio sensu, quam quo accepit, accipi, quod ipsum ad correctionem eum impulit, offensum illa rudioris mythi imagine. Mihi, ut Goettlingio, ferenda haec videtur. Sane, si mythum simpliciter, ut se verba habent, accipimus, mirationem facere non potest, quod Terra tot praegrandibus liberorum corporibus, deinceps in eam abstrusis, oneratam se intus coangustatamque et gravatam sensit, atque hinc, ut gravati solent, ingemuit; neque, si porro mythi sensum requirimus, absurde sic significatus videri potest terrae status, initio rerum laborantis et gravatae, quod latitantes in ea vires exitum sibi frustra quaererent, cuius indicium saepe illa fecerit gemitu, qualis terrae motum praecedit.

v. 161 seqq. Terra, cum ferrum produxisset, ex ea falcem fabricavit, qua deinde liberorum eius aliquis contra patrem utens generandi facultate hunc privaret. Ad ἀδάμαντος in Gl. Par. C. G. notatur, esse εἶδος σιδήρου. Ferrum indicari satis arguit epitheton πολίου, solemne Homericum de ferro, ut recte observavit Goettlingius. Falcem, quam poëta hîc v. 162. δρέπανον, idem infra v. 178. ἅρπην vocat. Priori nomine in hac fabula usi sunt Antimachus apud Plutarch. Q. R. 42. p. 275. A. et Pausanias VII. 23. posteriore Apollod. I. VI. 3. II. IV. 1.

v. 164. verba παῖδες ἐμοὶ καὶ πατρὸς ἀτασθάλου explicat Planudes de Syntaxi p. 159, 19 seq.

v. 165. πατρός κε κακὴν κ. τ. λ.) Putanda est haec dicens Terra ostendisse liberis ferream falcem, quam paraverat.

v. 168 seqq. Quod ceteri Vranidae, quamvis magnis viribus praediti, suscipere in se non audent, Κρόνος effecturum se promittit, atque adeo efficit. Si statuimus, Crono tempus significari, facile intelligimus, cur illi primae in hoc mytho partes tribuantur. Scilicet, commixtis inter se Coelo Terraque, magnae quidem vires movebantur, multaeque et vastae rerum existebant formae: sed erant omnia incondita, confusa, indigesta. Attamen aliquando, *tempore*, finem accepit hîc status, diremtum est Coeli Terraeque connubium, ademta Coelo novas formas gignendi potestas; itaque constans et stabilis facies rerum esse coepit, inque res eas regnum hinc exstitit Κρόνου *temporis*, sive Dei tempore cuncta perficientis, natis tum demum etiam Ἠλίῳ ac Σελήνῃ.

v. 171. δυσωνύμου *invisi nominis, abominandi.* Sic Il. Z. 255. δυσώνυμοι υἷες Ἀχαίων Il. M. 116. Μοῖρα δυσώνυμος. Od. T. 571. δυσώνυμος Ἠώς, de quibus agens Eustathius ad Il. p. 640. 31; 895. 40. ad Od. p. 1878. 48. ἑρμηνεύεσθαι censet διὰ τοῦ οὐκ ὀνομαστὸς παρ' Ὁμήρῳ. Conf. supra v. 148.

v. 174. ἐνέθηκε δὲ χειρὶ ἅρπην καρχαρόδοντα. Terra falce filio tradita simul eum docuisse censenda est, quid eâ facere ipsum vellet. Καρχαρόδοντα dentibus asperam in modum serrae falcem fabricaverat, quo firmius statim impingeretur genitalibus.

v. 176. Ἦλθε δὲ Νύκτ' ἐπάγων μέγας Οὐρανός) Sensus est: Οὐρανὸς Terrae concubitum appetens ad eam venit noctu: sed hoc poëtice effertur: *Venit* Οὐρανὸς *Noctem* (personam intelligas) *secum adducens.*

Hesiodea haec respicit Eustathius in Epistola Dionysio

Periegetae praemissa p. 4. Ed. Steph. p. 109. Ed. Oxon. sed perstringendi magis, quam, ut par erat, laude prosequendi gratia.

v. 178. Verba *ὁ δ' ἐκ λοχεοῖο πάϊς* citantur ab Schol. A. ad Il. Ψ. 160. p. 609., ubi traditur, esse, ut a *φωλεύω*, *φωλεὸς*, sic a *λοχεύω*, *λοχεὸς*, lectum autem *λοχέοιο* fuisse a pluribus, qui per pleonasmum *τοῦ ε* positum arbitrarentur pro *λόχοιο*. Priori sententiae faventem Aristonicum Grammaticum *λοχεοῖο* cum *θυρεοῖο* comparasse Scholia ad h. l. testantur.

ὠρέξατο (τῶν Οὐρανοῦ μηδέων) χειρὶ σκαιῇ i. e. extendit se manu sinistra versus Coeli genitalia. Est *ὀρέγεσθαι* medium *extendere se; ὀρέγεσθαι τινὶ τινός aliqua re vel parte corporis extendere se versus aliquid.* Conf. Il. Δ. 307. Ψ. 99.

v. 179 citatur inde a *δεξιτερῇ* cum duobus sequentibus ab Etym. M. v. *ἅρπη* p. 148. 25. Respicit locum Plutarchus Quaest. Rom. 42. p. 275. A., ubi in memorando usu *τῆς τοῦ Κρόνου ἅρπης* Hesiodo obsecutum dicit Antimachum. In eadem re *προτέρων ἔπος* memorat Apollon. Rhod. IV. 985.

v. 180. *τοὺς ὄρχεις* Hesiodum in Theogonia *μήδεα* dixisse notat, hunc versum, vel infra v. 188 respiciens, Eustathius ad Il. p. 234. 32. Extrema autem huius versus et principium sequentis respicit Proclus in Commentario ad Platonis *πολιτείαν* p. 368. 371., inter veterum poëtarum mythos memorans *πατέρων ἐκτομὰς* et *Οὐρανοῦ τομάς*.

v. 181. *πάλιν* fere idem valet, quod sequens *ἐξοπισω*. Cronus resecta patris genitalia pone se abiecit in mare, quo more piacula abiici solent: sed, cum sic ferrentur supra

terram, stillantes inde guttas Terra omnes excepit gremio (v. 183 seqq.).

v. 183 cum duobus sequentibus citat Etym. Gud. p. 206. 43 seqq.

v. 185. *γείνατ' Ἐριννῦς*) nefando scelere filii in patrem commisso consequens fuit, ut nascerentur Erinnyes. Modus autem, quo generatae dicuntur, dignum poëta commentum exhibet. Ἐριννῦς dictae ab *ἐριννύειν*, Arcadibus *furere*. Vid. Pausan. VIII, 25. § 4.

Quas Deas Athenienses Σεμνὰς, eas Hesiodum in Theogonia Ἐριννῦς dixisse, scribit huius loci memor Pausanias I. 28. 6.

μεγάλους τε Γίγαντας) Fuit Gigantum, ut Cyclopum, antiquissima memoria. Fuit similiter etiam Phaeacum. Itaque Cyclopes, Gigantes, Phaeaces *θεοῖς ἐγγύθεν εἶναι* dicuntur Od. H. 205 seqq. Ex Coeli genitalium sanguine, a Terra coniuge excepto, nati hîc Gigantes perhibentur, quemadmodum, apud Apollonium Rhod. IV. 922. et laudatos ibi in Scholiis auctores Acusilaum et Alcaeum, Phaeaces. Ex Coelo et Terra Gigantes natos tradit etiam Apollodorus I. VI. 1., sed ex Terra et Tartaro Hyginus in praef.

Gigantum nomina et descriptionem olim in Theogonia fuisse, colligit Muetzellius p. 418 seqq. ex hisce Gregorii de illa verbis Orat. III. p. 103. D. 104. A. *τοὺς Τιτᾶνας, τοὺς Γίγαντας μετὰ τῶν φοβερῶν ὀνομάτων τε καὶ πραγμάτων*, Κοτὸς, Βριάρεως, Γύγης, Ἐγκέλαδος, *οἱ δρακοντοπόδες, οἱ κεραυνοφόροι θεοί κ. τ. λ.* Sed, cum Gregorii Interpretes, Nonnus f. 73. p. 517. Elias Cretensis p. 383. A. Montacut. p. 153. in hoc loco explicando muti sint, illorum aetate iam intercidisse censet, quae Gregorii tempore adhuc exstabant. Mihi *οἱ δρακοντοπόδες, οἱ κεραυνοφόροι θεοὶ*

referri posse videntur ad illa, quae de Typhoeo et Iove exstant infra v. 820 seqq., ut Typhoeum, quem anguinis capitibus terribilem poëta induxit, anguipedem etiam Gregorius crediderit, hoc, ut item alia in sequentibus, ex aliorum Gigantomachiis adsumens. Vid. Apollod. I. VI. pr. Κοττὸς, Βριάρεως, Γύγης nomina sunt in Theogonia adhuc, sed alibi, exstantia. Ἐγκέλαδον, nisi per errorem memoraverit Gregorius, ortum inde, quod eius prae ceteris clarum erat in Gigantomachiis nomen, adsumsisse potest ex Hesiodeis, Theogoniae subiectis, quae magis integra adhuc illius aevo supererant. Certe in Gregorii testimonio nihil est, unde efficias, ex hoc loco nomina Gigantum intercidisse. Mentio quidem Cotti et fratrum eius ab hoc loco prorsus aliena est. Enceladum autem si memoravit ex eo Gregorius, cur non alia quoque citavit inde Gigantum nomina, quae tum pariter ibi lecta fuisse, vero simile est, qualiaque, haud minus φοβερὰ habent Scholia ad h. l. et Apollodorus I. VI., unde non magno opere versus tibi fingere possis huiusmodi:

Πορφυρίωνα, Μίμαντα καὶ ὄβριμον Ἀλκυονῆα,
Ῥοῖτόν τ' Ἐγκέλαδόν τε καὶ Εὔρυτον ἠδὲ Θοῶνα.

Sed equidem vel duobus tantum his versibus immissis minus concinnam puto effici periodum, divulsis longius ab se invicem Νύμφας θ', ἃς Μελίας κ. ἐπ. ἀπ. γαῖαν in versu 187. ab hisce Γείνατ' Ἐριννῦς τε κρ. μεγ. τε Γίγαντας in v. 185. Quamobrem hîc, ut Erinnyum et Nympharum Meliarum, ita Gigantum quoque nomina silentio praeteriisse poëtam, haud temere, ut opinor, statuo.

v. 186 uncinis inclusit Goettlingius, ut additamentum alicuius rhapsodi, qui verba Homerica Il. Δ. 533. et Σ. 510. coniunxerit. At verissime Hermannus in Goettlingia-

nae censura propter genus armorum, quibus instructi hîc Gigantes inducuntur, versum antiquissimum et Hesiodeum habendum esse censuit. Recentior rhapsodus, Gigantes ex opinione sui temporis sibi informans, versum, si talem invenisset, potius omissurus, quam talem ab se formatum additurus fuisset. Conf. Muetzell. p. 231.

v. 187. Νύμφας θ', ἃς Μελίας κ. τ. λ.) Videntur antiquitus frequentissimae in Graecia fuisse *μέλιαι fraxini*. Itaque mythico sermone robustissimos aenei seculi homines natos dixere ἐκ μελιῶν. Vid. Ἔργ. 145. Cum autem opinione veteris aevi inesse numen crederetur in arboribus, finxere Μελίας et Μελιάδας Νύμφας, ut Δρυάδας et Ἁμαδρυάδας. Eas autem fingi par fuit antiquissimae originis. Apud Callimachum H. in Iov. 47. dicuntur Iovis cunabulis adfuisse Δικταῖαι Μέλιαι et H. in Del. 80 seq. memoratur aerumnarum Latonae testis αὐτόχθων Μελίη — ἥλικος ἀσθμαίνουσα περὶ δρυός. Harum nomina Nympharum novem memorat Tzetzes ad Ἔργ. 144.
Respicit versum Eustathius p. 1210. 39 seq.

v. 188 seqq. accuratius declaratur, quod v. 181 seq. modo indicatum fuerat. A Crono retro iacta Coeli genitalia ἀπ' ἠπείροιο ex *continente*, quae λόχον ipsi praebuerat, missa sunt in pontum, ubi ex spuma eorum prognata est Venus. Verborum ordo est Μήδεα δ', ὡς τὸ πρῶτον ἀποτμ. ἀδ. κάββαλ' — ὣς φέρετ' ἀμ' πέλαγος *sicut iecerat, ita ferebantur.*

ἤπειρος Hesiodo terra est continens, opposita insulis et mari. Vide infra v. 582. 964. Ἔργ. 622. Epirum vel mare Epiroticum significari, perperam primus Basileensis interpres credidit, quem secutis hinc tum aliis, tum Graevio recte oblocutus est iam Clericus, ut nuper Vossio in Sched.

Crit. T. II. p. 366. ἐπ' Ἠπείροιο *circa Epirum* reddenti Muetzellius p. 419.

v. 191 seqq. τῷ δ' ἐνὶ κούρῃ ἐθρέφθη κ. τ. λ.) Ad hunc Veneris ortum passim adluserunt veteres poëtae, Graecorum quidem luculentissime Nonnus Dion. I. 87. βρυχίην Ἀφροδίτην Οὐρανίης ὤδινεν ἀπ' αὐλακος ἔγχυον ὕδωρ. Conf. Schrader. ad Musaeum p. 327. Latinos memorat Broukhusius ad haec Tibulli I. 11. 39 seq.

Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,
Is Venerem e rapido sentiet esse mari.

Cultus Veneris ad Graecos venit a Phoenicibus, qui Coelestem Venerem, Coeli dominam, Astarten colebant. Cultus autem ille primum celebrari coeptus est in insulis Cypro et Cytheris. Vid. Herod. I. 105. Pausan. III. 23. Hinc intelligitur, unde Coelesti semine prognata Venus e mari in eas primum adpulisse insulas dicatur. Apud Homerum Venus recentioris est originis, nata ex Iove et Dione.

v. 192. Κυθήροισι ζαθέοισιν) De multa ibi religione Veneris, quo pertinet epitheton, vide Pausaniam l. c.

v. 193. ἔπλητ' *adpulit, accessit*, a πλῆμι *adpropinquo*. Conf. Il. Θ. 63. Ξ. 438.

ἔπειτα περίῤῥυτον ἵκετο Κύπρον) De Venere Cyprum adpellente Hymnus est inter Homericos. Eam primum Cyprum adpulisse dicit Callimachus H. in Del. 21. magis utique probabiliter, si Phoeniciam religionis originem spectes: sed Hesiodus Cronum cogitasse videtur ex aliquo Graeciae loco proiicientem μήδεα, quae certe post recepta opinio fuit (vid. Pausan. VII. 23.): nec fortasse ille de propagata sensim Veneris religione traditionem accurate perceptam habuit.

v. 194 seq. Nata Venere omnia magis ad venustatem et amorem se componunt: qua incedit, vernat terra, ut apud Homerum Il. Ξ. 341. in Iovis et Iunonis concubitu. (Conf. Lucretius I. 7.) Illa autem, Amore et Cupidine (Ἱμέρῳ) comitata, Deorum ad coetum se confert (v. 201 seq.), quorum hinc deinceps amores et coniugia narrantur.

v. 197. *κικλήσκουσι θεοί τε καὶ ἀνέρες*, alias saepe diversi in tribuendis nominibus. Vid. Il. A. 403. B. 813. Ξ. 291. Od. K. 305.

οὕνεκ' ἐν ἀφρῷ θρέφθη) haec respiciens Plato in Cratylo p. 406. dicit: *περὶ Ἀφροδίτης οὐκ ἄξιον Ἡσιόδῳ ἀντιλέγειν· ἀλλὰ ξυγχωρεῖν, ὅτι διὰ τὴν τοῦ ἀφροῦ (ἐκ τοῦ ἀφροῦ?) γένεσιν Ἀφροδίτη ἐκλήθη·* nec dubium est, quin eadem, quamvis Hesiodum non memorantes, respiciant etiam Ovid. Met. IV. 536 seq. Fast. IV. 61 seq. Nonnus ad Gregor. f. 68. p. 520. D. Macrobius I. Saturn. 8 et 12. Serv. ad Aen. V. 81. Isidorus Orig. VIII. c. 11. § 19. Ed. Matrit. quorum tamen posteriores *Ἀφροδίτην ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ* dictam volunt alia ratione, qualem secuti quoque Diogenes Apolloniates apud Clementem Alex. Paedag. I. 6. p. 126. et Cornutus c. 24. p. 197.

Verba ex h. v. *τὴν Ἀφροδίτην* cum versibus 196—198 et 200, ut Hesiodi, citantur apud Etym. M. p. 179. 4. ubi agitur de origine nominis *Ἀφροδίτη*, sed absunt hi versus a libro Gudiano p. 97., quamvis ibi copiosior sit reliqua de nomine disputatio. Absunt item a Parisino Bekkeri, cuius vide adnotationem ad Etym. M. p. 777.

v. 196 abiudicandum Hesiodo recte censuisse mihi videtur Wolfius, tum, quod eo reiecto melius procedunt haecce: *τὴν δ' Ἀφροδίτην κικλήσκουσι θεοί τε καὶ ἀνέρες*, tum, quod *ἀφρογενὴς*, *ἀφρογένεια* magis ob Hesiodeum mythum for-

mata atque hinc recentiorum usu frequentata vocabula, quam Hesiodea esse, vero simile ducendum est, cum certe Homerus illa ignoraverit. Vide copiose et accurate de his disputantem Muetzellium p. 425.

Exstat versus apud Etym. M. l. c. Sed citati illic, ut Hesiodi, versus cum a Gudiano absint, est, ut illos a recentioribus additos putemus. At vero mihi cum Thierschio Gr. Gr. § 181. 1. convenit, apud Clementem Alex. Coh. ad Gentes p. 13. nomina Veneris, *ἀφρογενὴς*, *Κυπρογενὴς* ex Hesiodi, quo Clemens utebatur, exemplo ducta esse, cum mox ab illo subiiciatur, *τὴν Φιλομηδέα* dictam Venerem, *ὅτι μηδέων ἐξεφαάνθη*· itaque emblema habendum esse Clementis aevo antiquius. Nolim tamen cum Goettlingio dicere, additamentum esse rhapsodi antiquissimi, quamvis fortasse referri possit ad eam aetatem, qua composita pleraque Orphica fuerunt. Certe *ἀφρογενὴς θεὰ* memoratur etiam in Orphico Hymno I. 11.

Scholia ad Hesiodum auctoritatem versui addere non possunt. Nam, quae in illis ad *ἀφρογένειαν* adscripta sunt, perperam ibi sunt adscripta, cum tantum faciant ad nomen *Ἀφροδίτη* illustrandum.

v. 198. Verba ab *ἀτὰρ* ad finem versus, ut Hesiodea, citat Orion Etym. p. 79 fin. 80 pr. postrema *ὅτι προσέκυρσε Κυθήροις* Suidas v. *Κυθέρεια*, Photius in Lex. p. 184. 8.; sine diserta poëtae mentione Scholia B. D. ad Il. E. 422. Hesychius T. II. p. 369. Etym. M. p. 546. 48. Etym. Gud. p. 351 fin.

Ad *προσέκυρσε* Gl. Par. C. *παρήγγισε*. Ab Eustathio, ad Dionys. Perieg. v. 498. mythum hunc Hesiodeum memorante, exponitur *προσεπέλασε*. Conf. idem ad Il. p. 650. 45. p. 1024. 49 seq.

Hesiodo *Κυθέρειαν* dictam *ἀπὸ τῆς Κυθήρων πόλεως* refert

etiam Etym. M. p. 543. 43 seq. Similia habet Phavorinus p. 1122. 22 seq. secutique hanc etymologiam Festus v. *Cytherea* et Moschopulus περὶ Σχεδ. p. 4. Ed. Steph., cui sane haud praeferenda est altera memoratorum supra Grammaticorum, Orionis, aliorumque Hesiodo obloquentium, qua repetendum a κεύθω sit Κυθέρεια. Cytheris eximie cultam Venerem, quis nescit?

vv. 199. 200 item glossatoribus adscripsit Wolfius, quem sequor. Posteriorem tamen haud dubie agnovit Clemens l. c., priorem agnovisse videri potest. Vtrumque, ut Hesiodi, memorant Scholia ad Il. E. 422. et Etym. Gud. p. 355. 10. Abest v. 199 ab Etym. M. p. 179. 6. Sed idem cum diserta poëtae mentione citatur ibid. p. 546. 20.

v. 199. ὅτι γέντο πολυκλύστῳ ἐνὶ Κύπρῳ) γέντο quamvis apud Homerum Il. Θ. 43. N. 25. 241. Σ. 476 seq. semper positum sit *accipiendi*, vel *sumendi* notione, ut parum nobis satisfaciat Apollonius in Lex. tradens, esse per syncopen illud positum pro ἐγένετο (Vid. Heyn. ad Il. Θ. 43.), tamen dubium non est, quin apud alios poëtas in γέντο, ἔγεντο talis agnoscenda sit syncope. In versu quidem infra 705. τόσσος δοῦπος ἔγεντο θεῶν ἔριδι ξυνιόντων manifesto positum est ἔγεντο pro ἐγένετο *exstitit, ortus est:* quem versum si cum nonnullis haud satis auctoritatis habere dicas, at non erit, ut similiter suspecta habeas exstantia alibi exempla apud minus quidem antiquos poëtas, sed qui tamen antiquitatis usum secuti esse videantur. ἔγεντο hoc Doricae Dialecti esse vult Gregor. Corinth. p. 203., exemplum ex Theocrito citans, cui Koenius alia in adnotatione addidit. Conf. et Moschus Id. III. 29. Sed similiter usurpavit quoque Apollon. Rhod. I. 1141. IV. 1421. Itaque etiam h. l. γέντο positum esse possit pro ἐγένετο. At vero primum

variant in lectione Codices; deinde, quod gravissimum est, Venerem in mari natam primum Cythera, hinc Cyprum adpulisse, cum Hesiodus dixerit, nullo modo illam paulo post idem ἐνὶ Κύπρῳ γένεσθαι et hinc Κυπρογενῆ vocatam dicere potuit. Itaque etiam hoc videntes quidam pro ἐνὶ Κύπρῳ h. l. iam antiquitus scripserunt ἐνὶ πόντῳ: sed non viderunt illi, sic absurdam fieri etymologiam, nisi simul in principio versus nomen Ποντογενῆ in alterius locum nominis succedat. Legendum Hermannus proponens Κύπρις δ' ὅττι γένοιτο π. ἐ. K. verbum, ni fallor, accepit, haud nascendi, sed *veniendi*, *accedendi* significatione.

v. 200 agnoscunt, praeter Auctores supra laudatos, Etym. Gud. p. 553. 20. Eustathius ad Il. 439. 35. p. 558. 15. p. 650. 44. Schol. D. ad Il. Γ. 424. Tricha et Elias libro de metris p. 73 et 83; Moschopulus περὶ Σχεδ. p. 121 et 130. Indignum Hesiodo, ut superiorem, censuerunt Lennepius Animadv. ad Coluthum p. 94. Wolfius, alii, maxime hoc urgentes, quod alias semper φιλομειδὴς Ἀφροδίτη dicitur, ut in hoc ipso carmine v. 969; quibus tamen obiicias ε, ει, η antiquitus vix diversa fuisse et Boeotis maxime frequenter usurpatum fuisse ει pro η et contra. Vid. Choeroboscus apud Bekker. Anecd. p. 1368. Hort. Adonid. p. 209. Etym. M. p. 410. 5. p. 602. 35. itaque in φιλομειδὴς et φιλομηδὴς argutandi, praesertim homini Boeoto, fuisse locum. Sed, cum totus locus malam glossatorum operam clare prodat, iisdem tribuendus mihi quoque videtur hic versus, quem item, ut superiores 196 et 199, suspectum etiam facit Codicum in lectione varietas.

v. 207 seqq. Οὐρανὸς unius liberorum τιταίνοντος *manum extendentis* (supra v. 178) facinus omnium consilio perpetratum statuens, hinc omnes adpellavit Τιτᾶνες.

Dicit Pausanias VIII. 37., Homerum primum (hunc enim ille antiquiorem habuit Hesiodo) carmine Titanes celebrasse, qui sic dictos *θεοὺς ὑποταρταρίους* prodiderit Il. Ξ. 279. Conf. et H. in Ap. 334 seqq., ubi ex Coelo, Terra, Titanibus nati Dii atque homines dicuntur.

Versus 207—210 spurios censuit Wolfius, ineptam ratus etymologiam, inepteque inferri illam post longiorem de Venere, a Titanibus alienam, digressionem. »Tum, inquit, »unus tantum eorum Cronus impietatis erga patrem reus »agi poterat, non ceteri item filii supra memorati v. 133 »seq. qui tantum abest, ut et ipsi sceleris conscii fuerint, »ut maximo horrore animi orationem matris exceperint »v. 167." Verum enim vero ad hoc quod attinet, qui v. 167. Titanes occupasse dicitur *δέος*, metus fuit aggrediendi rem, non horror aversantium facinus, cuius haud dubie conscii fuerunt omnes, uno, si Apollodorum audias I. 1. 4., non probante id Oceano. Etymologia autem, quamvis inepta, nullo iure hîc haberi potest iudicium *νοθείας*, cum in talia poëtas veteres et in primis Hesiodum proclives fuisse vera sit observatio Eustathii ad Il. p. 650. 39 seq.: et erat appellatio Titanum eiusmodi, ut Hesiodo necessarium videri posset, eius aliquam tradere originem, praesertim ut adpareret, qui memorarentur infra Titanes, Cronum esse et fratres; nec potuit illa adpellationis causa tradi nisi hoc loco, post absolutam de Venere, ex abscissis Coeli genitalibus nata, narrationem.

Respiciunt hanc nominis Titanum etymologiam Eustath. p. 712. 24; 849. 45. (priori loco cum diserta Hesiodi mentione); Etym. M. p. 760. 41. Etym. Gud. p. 530. 33 seq. Conf. Phavorinus p. 1760. 20. 21. 59 seqq.

v. 209 *τιταίνοντας* Hesychius exponit *τιμωρίαν λαμβάνοντας*, quam explicationem habet etiam Scholiorum alterum ad

h. v. secuti id L. Barlaeus, Graevius, alii, vertendo *poenas sumentes*. Contra Schol. Trinc. ad v. 207. dictos vult Τιτᾶνας ἀπὸ τοῦ μέλλειν αὐτοὺς τιμωρίαν τίνειν, quae sententia fuit etiam Plutarchi de Carnium Esu L. 1. fin. p. 996. C. Sequitur in eodem Scholio ἢ ἀπὸ τοῦ τιταίνειν τὴν ψυχὴν ἑαυτῶν, ὅ ἐστι βλάπτειν. Τιτᾶνες γὰρ οἱ ἄδικοι καὶ βλαβεροί. Secundum quae ferme Mombritius *intentos ad pessima* reddidit, Basileensis Interpres et hinc alii *nocentes*, at Krebsius *festinantes*, qui tamen dubitat de veriore interpretatione e v. 178 petenda. Petiit inde non dubitans Guyetus, exstatque illa iam apud Eustathium, Etym. M. et Gudianum ll. cc. Cognata sunt τέω, τείνω, *tendo*, τάω, τιτάω, τιταίνω, cuius postremi verbi significatio dubia esse nequit conferentibus Homeri Il. B. 390. Θ. 266. Λ. 370. M. 59. N. 534. 704. Ψ. 403. Hesiodi Sc. 229. Ceterum vera nominis Τιτὰν etymologia nos latet.

v. 210. τοῖο δ' ἔπειτα τίσιν μετόπισθεν ἔσεσθαι) Titanibus in Tartarum detrusis ab Iove, infra v. 728 seqq.

vv. 211—232 alius esse rhapsodi arbitratus est Thierschius de Hesiodo p. 24. Sed ab Hesiodo memorari hîc debuit Noctis progenies secundum ordinem, quem sibi ipse praescripserat supra, versibus 106 seq. Neque offensionem facere debet, quod disiunctim Noctis proles memoratur, primum v. 124 seq. deinde hoc loco. Nam prioribus, ex Erebo conceptis, liberis Aethieri ac Diei, locus iam dandus fuit in Cosmogonia, quos autem Nox sola ex se genuisse dicitur, hi, quorum plerisque non nisi inter homines iam natos locus esse potuit, omnino serius erant memorandi.

Noctis progeniem Apollodorus omisit. Apud Hyginum in Praef. p. 7. densa memoratur et in hac Fatum, Mors, Lethum, Somnus, Somnia, Petulantia, Miseria, Hesperides,

Parcae tres (i. e. Clotho, Lachesis, Atropos,) Nemesis, Amicitia, Senectus, Discordia, sed quos omnes liberos item ex Erebo Nox susceperit. Similem liberorum Noctis et Erebi recensum habet Cicero de N. D. III. 17.

In vv. 212. 213 manus interpolatrix visa Heynio in Ep. ad Wolfium, qui, vellem, iudicii causas addidisset. Versum quidem 212 ab Hesiodo profectum arguunt versus infra 758 seq. Super versu 213 scrupulum iniicere potest, quod aliter tradidere Cicero et Hyginus, at non eum tamen, ut ideo poëtae versum abiudicandum censeamus. Nam quid, si alium illi secuti sunt auctorem? Sunt sane apud illos locis citatis etiam alia ab Hesiodeis h. l. diversa. Mihi autem, vel si absit hic versus, vero simile haud videtur, habitum horum quoque liberorum patrem Erebum ab Hesiodo, cuius in v. 214. *δεύτερον* post versus 211 seq. satis indicet, eum huius sobolis a Nocte procreationem seiunctam sibi informasse ab illa supra v. 124 seq. memorata. Agnoscunt versum pariter Scholia et omnes Scripti. Profectum ab Hesiodo statuit Hermannus in Censura Goettlingianae, se tantum offendere testatus ad illum, nulla copula cum antecedente connexum, quamobrem de alia recensione cogitandum putat, quae versum 212 ignorans sic habuerit: Νὺξ δ' *αὖτε στυγερόν τε* Μόρον κ. Κ. μ. Οὔτινι *κοιμηθεῖσα* κ. τ. λ. vel versus 220 et 221 fuisse post v. 213 et ante hunc alium, in quo Erinnyes tanquam Noctis filiae memorabantur, quem *διασκευαστὴς* expunxerit ob supra receptam alterius recensionis traditionem.

v. 211—225. Mythico sermone dicta sunt Nocte edita, primo, quibus Nox ortum et occasionem dat, Somnus, Somnia, *φιλότης* s. concubitus (v. 212. 224.), deinde, quae res noctis instar habent, sive, quod lucem demunt, ut variae mortis species (v. 211. 212.), sive, quod perniciosae et

tristes sunt, ut Μοῖραι et Κῆρες i. e. Fata Poenaeque (v. 217 seqq.), Momus, Ὀϊζύς i. e. ex aerumna lamentatio, Nemesis, Eris (v. 223. 225.), seu, quod obscurae occultaeque sunt, ut Fraus (v. 224.), denique Hesperides, Nymphae vespertinae, ad occasum in Noctis ditione habitantes. Poëta autem numerosam hanc Noctis sobolem recensuit nullo classium ordine servato, quamquam apte iunxit Μόρον, Κῆρα, Θάνατον, apteque proxime post hunc Ὕπνον et φῦλον Ὀνείρων posuit. Infra v. 756. et Il. Ξ. 231. dicitur Ὕπνος κασίγνητος Θανάτοιο, atque inde apud Virgilium Aen. VI. 278. *consanguineus Letho sopor.*

v. 213. κοιμηθεῖσα accipiendum κατακλιθεῖσα, vel, qua significatione positum est εὐνηθεῖσα Th. 133. 380. 634. Sc. 6. Conf. VV. DD. ad Hesychium v. κοιμηθέντι.

v. 214. δεύτερον αὖ Μῶμον) secundo partu (post Μόρον et ceteros vv. 211 seq. memoratos) peperit Μῶμον, reprehensionis Deum, seu natam ex invidia calumniam, persona indutam. Conf. Callim. H. in Ap. v. ult. ibique Spanh. Est Μῶμος Ciceroni *Invidentia*, Hygino, ut videtur, *Petulantia.*

v. 215 seqq. Pleniorem olim hunc locum fuisse et tum Hesperidum nomina, tum Herculis illarum mala furati mentionem habuisse, Muetzellius p. 430 seqq. ex Servio ad Aen. IV. 484. et Schol. Cantabr. ad h. l. colligit, atque ex Servio quidem effici vult, versum excidisse huiusmodi:

Αἴγλην, Ἑσπερίην καὶ ἀγακλειτὴν Ἀρέθουσαν.

Sed *Hesperusam* vocat Servius; itaque potius fuerit, iudice etiam Goettlingio:

Αἴγλην, Ἑσπερόεσσαν, ἰδὲ κλειτὴν Ἀρέθουσαν.

cui versui tamen interponendo locus non est. Mentionem autem Herculis mihi videtur Scholiastes huc aliunde temere invexisse. Certe *μέλουσι* manentia adhuc apud Hesperides mala indicat, quod videns Muetzellius (p. 433.) versum 216 coniicit sic antiquitus fuisse propagatum:

Χρύσεα καλὰ μέμηλε, τάθ' Ηρακλέης ἐτρύγησεν,

oblitus primam in *τρυγάω* longam esse. At vero infra quoque v. 335. de Dracone, horti Hesperidum custode, dicitur *παγχρύσεα μῆλα φυλάσσει* et quis pro certo dicat, Veterum opinione, sic ab Hercule ablata fuisse mala, ut in horto nulla curae Hesperidum relinquerentur? Quis, non postea in ablatorum locum alia in arboribus, aureum illum fructum ferentibus, succrevisse? Ipsa adeo ablata postmodo ad Hesperidas rediisse quidam auctores fuerunt. Vid. Apollod. II. V. 11 fin. Quis denique illum de ablatis ab Hercule Hesperidum malis mythum ab Hesiodo tractatum fuisse pro certo adseverare audeat?

v. 215. *περὴν κλυτοῦ Ὠκεανοῖο*) *ἐσχατίῃ πρὸς νυκτὸς*, ut additur v. 275. unde *Ἑσπέριδες* dictae. Pherecydes, ut ex Scholiis ad Apollon. Rhod. IV. 1396. discimus, sedem iis tribuit *ἐν τῷ Ὠκεανῷ*, aliqua in insula Oceani, sed *ἐν Ὑπερβορείοις*.

vv. 215. 216. *μῆλα χρύσεα καλὰ* fuere, qui de ovibus acciperent, ut Diod. Sic. IV. 27. Varro de R. R. II. 1. 6. Palaeph. de Incred. 19. Plerique tamen poma interpretati sunt, quo ducunt etiam memorati passim horti Hesperidum. Conf. Pherecydes apud Eratosth. c. 3. Itaque *καρπὸν* v. 216. ipsa haec *μῆλα* intelligas. Diodoro l. c. Hesperides sunt Atlantis filiae. Aliorum variationes vel errores notat Heynius Observ. ad Apollod. II. V. 11. p. 170.

v. 217 et duo sequentes profectos esse ab Hesiodo, interpolatori autem deberi versus 904—906, statuit Ruhnkenius Ep. Crit. I. p. 91. Visa etiam Heynio ad Apollod. I. III. 1. mythologia h. l. tradita antiquior, adeoque Hesiodo dignior, quod iudicium eius, ut prior Apollodori editio anno 1782 facta, ita altera habet anno 1803 vulgata. Attamen paulo post priorem editionem factam ipse aliter senserat. Namque in Ep. ad Wolfium, anno 1784 scripta, dubitare se ait, an vv. 217—219 ab Hesiodo profecti sint, quod praecesserat Μόρος et Κῆρ, versu 217 subiiciuntur Μοῖραι et Κῆρες serioris ingenii foetus et Μοῖραι memorantur infra v. 904 ex Iove natae, *ut adeo*, inquit, *nunc illos versus relinqui malim, quam eos, qui hic inserti sunt*, ubi illud *nunc* referendum est ad sententiam antea ab ipso ad Apollodorum proditam. Haec autem sententia cum etiam in altera Apollodori editione exstet, adparet, Heynium postea ad illam rediisse, quamvis manente ei, ut ibi fassus est, scrupulo ob memorata vix diversa in v. 211. et v. 217. numina. Sed in Scuto quoque v. 156. ὀλοὴ Κὴρ, deinde v. 248 seq. plures Κῆρες memorantur; ut similiter apud alios diversi Pan et Panes, Cupido et Cupidines. Tum haud dubie diversi sunt Μόρος et Μοῖραι. Pro retinenda autem Μοίρων h. l. mentione facit etiam, quod apud Ciceronem l. c. Aetheris ac Diei sorores, itaque Noctis filiae, memorantur Parcae, ac similiter apud Hyginum, sequente apud utrumque mentione Hesperidum, quae hîc praecedit. Νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης dictae quoque Μοῖραι in Orph. Hymn. LVIII. et LIX. Contra fatendum est ex Apollodoro l. c. Iovis et Themidis filias edente Parcas, Theogoniae versibus 903 et seqq. praesidium accedere. Eos autem servàndi, neque tamen ideo h. l. versus 217 et quinque sequentes expungendi una ratio haec est, ut dicas v. 217. Μοίρας significari ab Iovis et Themidis filiabus diversas;

fecisse autem idem iis tributum nomen Μοίρων, ut easdem significari aliquis putaret, qui propterea versus 218 et 219 e versibus 904 et 905 conflatos addiderit. Apud Stobaeum quidem Ecl. Phys. I. IV. 38. p. 124. Ed. Heeren, iis omissis versibus, exstant 217. 220—222. sed habet idem I. VI. 5. p. 168. versus 217. 218. 219. In his autem versibus offensionem etiam hoc facit, quod, cum versu 117. verba καὶ Μοίρας καὶ Κῆρας diversas memorari Deas indicent, nomina Clotho, Lachesis, Atropos ad proxime ante memoratas Κῆρας referenda videantur, omni tamen antiquitate ea nomina Parcis tribuente, sicut etiam in Scuto diversae ab se invicem memorantur, primum v. 249 Κῆρες, deinde v. 288 seq. Clotho, Lachesis, Atropos. Equidem igitur vv. 218. 219 expulsos hinc malim, quibus reiectis haud minus bene cohaerentes versus 217. 220—222 hoc etiam mihi commendari videntur, quod circa Κῆρας traditionem habent non vulgarem, neque eiusmodi, ut eam recentioris aevi aliquis invexerit. Qui tria Parcarum nomina habet, Hyginus l. c. iam versus 218 et 219 in suo Hesiodi exemplo legisse videri potest.

v. 217. νηλεοποίνους) similes apud Aeschylum formae sunt ὠκύποινος, ὑστερόποινος. Conf. Blomfield. ad Septem contra Theb. 740.

v. 218. Parcarum ex Hesiodo nomina citat Schol. Pindar. Ol. VII. 118. Sed dubium, utrum hinc, an e versu infra 905 petita.

Ad αἵτε βροτοῖσι γεινομένοισι κ. τ. λ. respexisse videri potest Lucianus in Iove Confut. c. 1.

v. 220 et duo sequentes a rhapsodis insertos, nullum se dubitare scripsit Heynius in Ep. ad Wolfium. Antea in

Commentat. Götting. T. II. p. 141. statuerat, vel excidisse versum, quo Ποιναὶ nominabantur, vel αἵτ' ἀνδρῶν κ. τ. λ. a Parcis seiungenda et accipienda, *tum eae* (sc. Poenae), *quae cet.* I. H. Vossius, reddens: *Auch die Pönen gebar sie, die grausam strafende Keren*, incertum est, utrum Μοίρας ea significatione acceperit, an pro nomine illo Ποινὰς repositum in v. 217 voluerit. Mihi ipsa haec Poenarum notio inesse videtur in epitheto *νηλεποίνους*, et Κῆρας poëta tales sibi Deas informasse, quales serioris aevi homines Ποινὰς dixerunt. Sic Laii caesi vindictam persequi dicuntur Κῆρες ἀπλακητοὶ apud Sophoclem Oed. Tyr. v. 472. Ed. Brunck. ac similiter Oresten caesa matre persequi δειναὶ Κῆρες, κυνώπιδες θεαὶ apud Euripidem Electr. v. 1253. Ed. Matth. Μοίρας impia facta aversantes novit etiam Pindarus Pyth. IV. 258 seqq.

Vocabulo παραιβασίας usum Hesiodum testatur Eustathius ad Il. p. 302. 19. 20.

v. 223. Τίκτε δὲ καὶ Νέμεσιν) Vltrix haec iniuriarum et superbiae Dea culta fuit maxime Rhamnunte Atticae, ubi quidam eam Oceani filiam faciebant, teste Pausania I. 33. Tradit idem VII. 20. fuisse eius templum etiam Patris.

Noctis filiam Nemesin habuit etiam Hyginus l. c.: neque aliter Smyrnaei, teste Pausania VII. V. 3.

v. 224 insititium habuerunt Ruhnkenius, Heynius, Wolfius. Iam Guyetus, φιλότητα non ferens, pro eo δολότητα repositum volebat, quod ne Graecum quidem est. Ad φιλότητα maxime offendit etiam Wolfius. Sed apud Ciceronem quoque l. c. inter Noctis liberos memoratur *Amor*, apud Hyginum *Amicitia*, sicut hîc *Amicitiam* reddidere Interpretum plerique. At recte L. Barlaeus τὰ ἀφροδίσια interpretatus est, quo significatu iam Scholiasta etiam acce-

perat, idem adiunctum Ἀπάτην ad meretricias fraudes referens, quem secutus est Clericus. Sed nihil obstat, quo minus Ἀπάτη latius de omni fraude accipiatur. Apud Ciceronem in saepe laudata recensione *Fraus* exstat; non item apud Hyginum.

v. 225. Ἔριν καρτερόθυμον i. e. *contentionem pertinacem*, sed in malis serendis: namque meliorem Ἔριν, de qua vide Ἔργ. 17 seqq. nondum hîc agnoverat Hesiodus.

Est apud Hyginum l. c. *Contentio* recte repositum a Munckero pro *Continentia*.

v. 226 seqq. Ex Eride numerosa malorum soboles exstitit. Memorat poëta Πόνον ἀλγινόεντα, molestiae plenum Laborem; cuius personam ab Hesiodo mutuatus videri potest Virgilius, ubi illi cum Fame (Λιμῷ) et aliis aeque tristibus sedem tribuit in Orci vestibulo, Aen. VI. 213 seqq.; Λήθην, perniciosam Oblivionem beneficiorum, officiorum, legum; Λιμὸν Famem, cum, converso ad lites populo, vel neglecta squallent arva, vel et culta vastantur; hinc Ἄλγεα δακρυόεντα lacrymabiles Dolores v. 226 seq.; deinceps Ὑσμίνας κ. τ. λ. Proelia et ex proeliis Caedes; in foro Νείκεα Iurgia et Ἀμφιλογίας Disceptationes, non sine Mendaciis ac Iureiurando, cuius violata religio gravem exigit a periuris poenam v. 229. 231 seq. denique Δυσνομίην perturbatum civitatis statum, cum ius et fas negliguntur, et huic necessario coniunctam Ἄτην Noxam. In v. 228 res easdem Ὑσμίνας et Μάχας, Φόνους et Ἀνδροκτασίας, diversis nominibus significatas, poëta, ut diversas personas, induxit, quemadmodum supra Μόρον et Θάνατον. Quae Δυσνομίη h. l., eadem apud Hom. Od. P. 487. est Ὕβρις, opposita εὐνομίῃ, dicta Hygino in Praef. *Superbia*. Ἄτη (v. 230) apud Homerum Il. T. 91. Iovis est filia et ab hoc Deo procedens vindicta Ὕβρεως. Ὅρκον (v. 231.)

intellige Iurisiurandi religionem, persona Dei indutam, ut Ἔργ. 219. 804. inque egregiis Pythiae versibus apud Herod. VI. 86. et in Aureis Carminibus v. 2. ad quem Hierocles videndus.

ἄλγεα δακρυόεντα dictio fuit adamata Orphicis. Vid. Lobeck in Aglaoph. p. 438 seqq.

v. 228 vix differt ab Homerico Od. Λ. 611. de quo versu Gellius egit XIII. 24. Hygino l. c. pro memoratis hîc pluribus una in recensum venit *Pugna*.

v. 231 seq. ut Hesiodi citant Schol. Pindari ad Nem. XI. 30. Stobaeus Serm. XXVIII. p. 196.

vv. 233—239. Res sunt contiguae Pontus et Terra; itaque probabiliter in Theogonia coniuges feruntur v. 233. 238. Ex hoc coniugio nati memorantur liberi, patrem praecipue natura sua referentes, Nereus, Thaumas, Phorcys, Ceto, Eurybia. Conf. Apollod. I. II. 6. Initium fit a maximo natu Nereo, quem post memorata proxime periuria et sata ex Eride Mendacia videri poëta potest de industria statim ἀψευδέα καὶ ἀληθέα prodidisse. In Nereo maris notionem subesse vulgo Veteres putarunt. Πυθμὴν πόντου, γαίης πέρας dicitur in H. Orph. in Ner. 4. Est Cornuto c. 23. Νηρεὺς ἡ θάλασσα s. quod in ponto fluidum est. Nomen enim repetit a νεῖσθαι. Conf. Euripides Iph. in Aul. 937. Ed. Matth. Νήρεια τέκνα pisces vocat Comicus apud Athen. VIII. p. 343. B. A Latinis poëtis ponitur adeo pro mari Nereus. Vid. Tibull. IV. 1. 58. Ovid. I. Met. 187. II. Am. XI. 39. *imo fundo aequora tridente*, ut Neptunus, *ciens*, inducitur a Virgilio II. Aen. 418 seq., firmantque praedictae opinionis vetustatem ipsa apud Hesiodum Nerei filiarum nomina. Ceterum Hesiodus, tametsi ipse

quoque haud dubie maris Deum esse Nereum putavit, eum tamen a Ponto diversum esse voluit, nec tam physicum illud in Nereo, quam, quae ferrentur, virtutes eius, tributamque ei *senis* appellationem spectavit. Quod v. 234. dicit, *καλέουσι γέροντα* vulgo receptum huius adpellationis usum arguit. Gytheatas Laconas marinum aliquem Deum, ipsis *γέροντα* dictum et Nerea habitum, coluisse auctor est Pausanias III. 22. Memorat etiam Homerus Il. Σ. 38. 141. patrem Nereïdum *γέρονθ' ἅλιον*, sed non addito Nerei nomine. Itaque Schol. Vict. ad Il. Σ. 38. p. 488. Bekk. errasse statuit Hesiodum, qui Nereum sibi confingendum duxerit, ut adpareret, unde dictae Nereïdes; *γέρονθ' ἅλιον* autem apud Homerum intelligendum non Nereum putat, sed vel Proteum vel Phorcyn. Sed suadere videtur analogia, ut *Νηρηΐδας*, quarum certe mentio apud Homerum exstat (Il. Σ. 38. 49. 52.), dictas censeamus a patre Nereo, ut diserte *Νηρῆος θυγάτηρ Θέτις* dicitur H. in Ap. v. 319. Quaestio autem restat, unde dictus *Νηρεύς*. A *νάω*, *νέω* unde *ναρὸς*, *νερὸς*, *νηρὸς* i. e. *ὑγρὸς* repetendum nomen duxit Salmasius ad Trebellium Poll. (Hist. Aug. T. II. p. 303.) ut iam Schol. Vict. ad Hom. l. c. a *νέω* *Νηρηΐδες*. Conf. Etym. M. p. 507. 43. p. 604. 40. Cornutus l. c. At Hermannus de Mythol. Gr. ant. (Opusc. II. p. 178.) *Νηρέα* interpretatur *Nefluum* i. e. fundum, sic ducto nomine a *νη* negante et *ῥέω*. Ab hoc verbo illud repetiisse videri potest etiam Scholiasta ad h. l., *Νηρέα* exponens *τὴν ῥεῦσιν*, sed qui igitur *νη ἐπιτατικὸν* habuerit. Equidem Salmasium sequi malo. Ceterum nescio, an possit item repetendum videri nomen, ac fortasse repetendum poëtae visum sit a *νη ἐπιτατικῷ* et *ἐρέω*, ut sit *Νηρεὺς verax*.

Ad *ἀψευδέα καὶ ἀληθέα* h. l. item ad versus infra 240—242. et 264. respexit Aelianus Hist. Anim. XIV. 28.

v. 234 seq. *αὐτὰρ καλέουσι γέροντα sed senem vocant* (non, quia *πρεσβύτατος παίδων*, verum) quia *νημερτής τε καὶ ἤπιος*. Hanc poëtae mentem non adsecutus, Wernick. ad Tryphiod. p. 30. pro *αὐτὰρ* malebat *ὃν δή*.

γέροντα Nerea ex hoc, ut videtur, loco memorat Eustathius ad Il. p. 116. med. ad Od. p. 1428. 53. qui sic dictum vult a canescentibus in mari spumis, ut *Γραίας*. Alios etiam maris Deos hinc *γέροντας* dictos (Proteum et Phorcyn apud Hom. Od. Δ. 385. N. 96.) opinatur Servius ad Georg. IV. 403. Conf. et Cornutus l. c. Sed videntur etiam antiquitus fuisse, qui in Nereo causam adpellationis eius hinc repeterent, quod haberetur, ut in Pseudo Orphei Argon. 328. dicitur, Deorum maris omnium *πρέσβιστος*, ut in H. Orphico cit. *ἀρχὴ ἁπάντων*, qua ratione scilicet Homerus Il. Ξ. 201. *Ὠκεανὸν θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν*, Thales autem aquam dixit omnium rerum esse principium. Sic Nereus fuerit alio nomine dictus *Πρωτεύς*, primus omnium. Conf. H. Orphic. in Proteum. Contraria est Hesiodeae sententia, prodita ab Heynio ad Il. Σ. 39., tractum esse ab ipsa hac notione senis, ut vulgo non modo iustus ac verax, sed et futuri prudens haberetur Nereus. At vero etiam Nerei filiae memorantur v. 261 seq. iisdem praeditae virtutibus, et pariter iusti verique et fatidici ab Homero et aliis inducuntur Oceanus, Proteus, Glaucus, maris Dii. Mare etiam scelerum ac perfidiae poenas exigere vulgo creditum. Itaque cum maris notione coniuncta fuisse videtur illa iustitiae aliarumque virtutum notio. Fortasse, ut Ceres dicta est *θεσμοφόρος*, quod cum agricultura simul leges natae, ita maris Dii habiti sunt mites, iusti, prudentes, quod in rudem adhuc Graeciam per mare melioris vitae instituta iuraque venerant. Porro, cum iis, qui mare navigando piscandoque exercent, propria esse soleat prudentia, saepe etiam illa rerum futurarum, tempestatum puta ac ventorum

praescia, vero simile videri potest, haec ab hominibus ad Deos marinos translulisse vulgus.

v. 237. *Θαύμαντα μέγαν*) Sub huius Dei persona latere miranda Naturae phaenomena, illa in primis, quorum frequentior in mari inter navigandum observatio est, tum nomen ipsum declarat, tum, quod Thaumas infra, v. 265 seqq. genuisse dicitur Iridem, arcum coelestem et Harpyias procellas. Ceterum rara est huius Thaumantis mentio, neque ulla ferme, nisi cum mentione Iridis coniuncta, ut apud Cicer. de N. D. III. 20.

ἀγήνορα Φόρκυν) Dicitur apud Homerum Od. A. 72. Phorcys *ἁλὸς ἀτρυγέτοιο μέδων* Od. N. 96. 345. *ἅλιος γέρων*, possitque nomen ipsum videri senem indicare, cum apud Hesychium *Φόρκον* exponatur *λευκὸν*, *πόλιον*, *ῥυσόν*: ut fortasse idem maris numen ab aliis in Graecia *Νηρεὺς*, ab aliis *Φόρκυς* dictus fuerit. Idem Hesychius: *Νηρεὺς θαλάσσιος δαίμων· Ἁλκμὰν καὶ Πόρκον ὀνομάζει.* Dixit *Φόρκου ὕδωρ* pro mari Phanocles in Elegia apud Ruhnkenium Ep. Cr. II. p. 302. Minus manifestum, quo sensu dicatur apud Lucanum IX. 645. Phorcus *secundum numen aquis*. Potest enim esse ordine secundum et nautis in aquis secundum s. favens. *Φόρκυν* autem Hesiodus, *ἀγήνορα* vocans, uxoremque ei Ceto tribuens v. 270 seqq., maris Deum habuisse terribilem videtur, fortasse ob varia ex animantium genere in mari vel maris littoribus monstra. Memoratur huius generis *Phorci chorus* apud Virgilium Aen. V. 249. *Phorci exercitus* ibid. 822. apud Plinium XXXVI. 4. S. 7. iunctim *Tritones chorusque Phorci et pristes*. Eum signo dato phocas toto aequore contrahentem facit Val. Flaccus III. 727.

Φόρκυν παρὰ τὸ φέρεσθαι ὠκέως dictum volunt Etym. M. p. 798. 38. Eustathius ad Od. p. 1392. 54. Zonaras p. 1818.

Eudocia p. 417. Ad maris *περιφορὰν* referunt etiam Scholia h. l. Hermanno autem Opusc. II. p. 179. Φόρκυς est *Furcus*, quo promontoria, inquit, et quivis alii exstantes in mari scopuli indicantur. Equidem ipse quoque *Furcus*, *Furca* et Φόρκυς cognata esse puto vocabula, sed a *πέφορκα*, auferendi significatione, ducta. Apud Lycophr. v. 477 seq. *λαιμῷ Φόρκῳ* (belluae marinae, cui Priami soror Hesione exposita) Interpretes *gutture cano* reddiderunt secundum supra citatam Hesychii glossam. Dubites, an non potius reddendum fuerit *rapaci*.

v. 238. Κητὼ *καλλιπάρῃον*) Solemne hoc Deae epitheton apud Hesiodum, etiam cum sub Deae nomine res monstrosae atque horrendae latent. Conf. infra v. 270. 298.

Ad Κητὼ Gl. Par. C. *τὸ πλάτος καὶ τὸ βάθος*. Hermanno l. c. Κητὼ est *Iacua*, affinem cum verbo *κεῖσθαι* originem habens, quae latentia sub undis saxa occultosque scopulos significet. Mihi potius est *Capacina*, continens in se magna omnia atque immania, cete et huius generis alia, ut sit stirps *κάω*, *χάω*. Suadent hoc vocabula *κητώεσσα*, *μεγακήτης*. Conf. Heyn. ad Il. B. 581. Θ. 222.

v. 239. Εὐρυβίην) Dubium esse vix potest, quin per hanc Deam significetur ingens vis maris, saxa excavantis, moles aggerum sternentis, navigia quamvis magna subvertentis. Dicitur hinc quoque Τρίτων *εὐρυβίης* Th. 931. *εὐρυβίας Ποσειδάων* apud Pindarum Ol. VI. 98.

vv. 240—264 recensetur numerosa Nerei soboles e Doride Oceani filia. Viguisse Nereidum religionem in maritima Magnetum ora Sepiade auctor est Herodotus VII. 191 extr. Conf. Eurip. Andr. v. 1241 seqq. Ed. Matth. Sed eas etiam in aliis Graeciae locis cultas docet Pausanias II. I. 7.

III. XXVI. 5., quo contulit, quod ἀπὸ χρυσέων Νηρηίδων genus suum repetebant Aeacidae. Vid. Pindarus Nem. V. 14 seq.

Nerei uxor Doris etiam ipsa pro mari ponitur, certe apud Latinos poëtas. Vid. Virgil. Ecl. X. 5. Ovid. IV. Fast. 673.

v. 242. Dicitur Ὠκεανὸς τελήεις πόταμος, ut item infra v. 959. Od. Λ. 638. et alibi. Est τελήεις, *cui nihil ad perfectionem deest; in suo genere perfectissimus.* Sic apud Homerum passim τελήεσσαι ἑκατόμβαι memorantur et H. in Merc. 541. τελήεντες οἰωνοί.

Versibus 243—263 recensita nomina Nereidum pleraque exstant etiam apud Homerum Il. Σ. 39 seqq. Apollod. I. II. 7. Hyginum in praef. Ducta sunt ea partim a mari ipso, rebusque in eo vel circa illud conspicuis; partim ab iis, quae mare exercentes sibi ad prosperam navigationem optant; partim a commodis, quae navigatio et commercia hominum per mare afferunt. Memorata quidem, etiam ab Homero (l. c. v. 43.), Πρωτὼ cum ab Hesiodo prima omnium hîc ponatur (v. 243.) huic certe visa id nomen habere, quia primo genita. Sed Εὐκράτη, quam v. 243. plures Codd. agnoscunt, haud dubie dicta est a mari temperato: in cuius locum Nereïdis si recipiatur, ut a nobis recepta est, Εὐκράντη, fortasse eadem Apollodori l. c. Κραντὼ, notio perficiendae feliciter navigationis suberit. Dicta Σαὼ v. 243. esse potest, vel a servandis navigiis et nautis, vel a σάω *moveo*, unde σάλος *aestus maris*. Ἀμφιτρίτη (ibid. et 254. 930.) nomen habuit a cavernis, quibus scopulosa maris littora abundant, ut est ἀμφιτρὴς spelunca apud Sophocl. in Philoct. 19. Εὐδώρη (v. 244.) dicta ab reputantibus bona, quae per mare ad se delata acceperant. Dictae inde similiter Δωρὶς (v. 250.) cuius apud Homerum mentio l. c. v. 45; Δωτὼ (v. 248.) memorata Homero ibid. v. 43. etiam Virgilio IX. Aen. 102.

Valer. Flacco I. 134., fano culta eadem, teste Pausania II. I. 7.; *Λειαγόρη* item et *Εὐαγόρη*, quae multis mercibus advectis facilem in foro annonam redderent. Referendum huc quoque nomen *Πουλυνόμη* (v. 258.) multos pascens. *Εὐνείκη* (v. 246.) pertinet ad bonam cum mercibus navigantium aemulationem. Sed *Θέτις* (v. 244. 1006.), etiam ex Homero notissima, sine dubio a ponendis sive componendis dicta fluctibus. *Γαλήνη* (v. 244.) est maris tranquillitas, a cuius hilaro statu dicta etiam videri potest *Γαλάτεια*, apud Homerum l. c. v. 45. insignita epitheto *ἀγακλειτὴ*, celebrata Theocrito Id. XI. Virgilio Ecl. VII. 37. Aen. IX. 103. Cir. 393. Ovidio XIII. Met. 735 seqq. II. Am. XI. 34. Certe *Γλαυκὴ* (v. 240.) cuius et Homerus meminit l. c. v. 39. dicta est a colore maris, ut *Γλαυκονόμη* (v. 256.); a fluctuum autem celeritate *Κυμοθοὴ* (v. 245.) memorata eadem Homero ibid. v. 41. Virgilio I. Aen. 144; a fluctibus dicta etiam *Κυμὼ* (v. 255.), ut ab excipiendis illis *Κυμοδόκη* (v. 252. Virgil. Aen. V. 766.), a sedandis iisdem *Κυματολήγη* (v. 253.). *Σπειὼ* (v. 245.), quam agnoscunt Hom. l. c. v. 40. Virgil. V. Aen. 826. adpellata vel a fluctuum vel a currentium per eos navium celeritate; *Θοὴ* (v. 245.) item a celeritate vel huius vel illius cursus. Est *Ἁλίη* (ibid. et Hom. l. c. v. 40.) marina. *Ἐρατὼ* (v. 246.) et *Μελίτη* (v. 247.) Nereïdes dictae navigantibus propitiae. Mentio huius etiam apud Homerum d. l. v. 42. et Virgilium V. Aen. 825. *Πασιθέη* (v. 246.) et *Ἀγαυὴ* (v. 247. Hom. ibid. v. 42.) sic vocatae a spectabilibus et admirandis in mari multis. Dicta *Εὐλιμένη* (v. 247.) quae in bonum portum duceret navigantes; *Φέρουσα* (v. 248.), quae navem et ipsos, quo vellent, ferret. De *Πρωτὼ* (ibid.) conf. Varr. Lect. *Δυναμένη* (ibid. et Hom. l. c. v. 42.) est potens, sed, ut videtur, in bonam partem. *Νησαίη* (v. 249.), memorata item Homero l. c. v. 42. hinc Virgilio V. Aen. 826. et

Propertio II. XX. 6. ab insulis dicta, ut Νησὼ (v. 261.). Ἀχταίη (v. 249. Il. Σ. v. 41.) littorea dicta est ab ἄκτη, ut Ἱιόνη (v. 255) ab ἰϊών. Memorat illam etiam Homerus d. l. v. 41. Vocata Πρωτομέδεια (v. 249.), quae praecipuam curam gereret navium. Namque navibus et navigantibus consulere omnes Nereïdes credebantur, unde intelligendi Propert. III. v. 33 seqq. Ovid. II. Am. XI. 34 seqq. Conf. et Apollon. Rh. IV. 843 seqq. Leonidas Tarentinus A. P. VIII. Ep. 550. Virgil. Aen. I. 244. V. 240. Itaque dictae hinc quoque Ἁλιμήδη (v. 255.), Ποντοπόρεια (v. 256.), Εὐπόμπη (v. 261.), Λαομέδεια (v. 257.) et Λυσιάνασσα (v. 258), solvens haec reges a maris periculis. Πανόπη (v. 250.) nomen habuit a prospectu, qui in mare quaqua versus patet. Iunguntur Δωρὶς et Πανόπη etiam apud Homerum l. c. v. 45. Est *Panopea virgo* apud Virgil. I. G. 437. et V. Aen. 240 et 825. inter praecipua maris numina, ut item Ovidio VI. F. 599. Auctori Cons. ad Liv. 435. Valerio Flacco I. 134. II. 590. *Panopae greges* sunt pisces in Sereni carmine apud Terentian. Maurum v. 2630. Ἱπποθόη, Ἱππονόη (v. 251.) et Μενίππη (v. 260.) dictae, ut Ποσειδῶν Ἵππιος ab equis primum mari in Graeciam advectis, vel quod optima essent prope mare pascua. Εὐάρνη (v. 259.) dicta item a pascuis vel lavandis in mari agnis. Ψαμάθη (v. 260. 1004.), eadem fortasse Ἀμάθεια Homeri l. c. v. 48. certe utraque dicta ab arena. Denique, cum, ut Nereus ipse prudens et iustus, ita prudentes iustaeque eius etiam filiae haberentur, id significarunt quoque nomina quarundam: Αὐτονόη (v. 258.), Θεμιστὼ (v. 261.), Προνόη (ibid.), Νημερτὴς (v. 262.) cui apud Homerum d. l. v. 46 iungitur Ἀψευδὴς.

Quod autem Homerus et Hesiodus eadem habent plerarumque nomina Nereïdum, arguere mihi videtur, eos in his memorandis antiquiorem de illis traditionem secutos esse, non, ut vult Eustathius ad Il. Σ. p. 1130. 35 seqq. ipsos

primum ea nomina finxisse. Ceterum factum esse non negem, ut varia unius Deae marinae epitheta, variis ei locis tributa, opinione vel fictione poëtarum deinceps in totidem abierint personas.

vv. 265—270. Congrue poëta seu primus, seu post alios Ponti filio Thaumanti (*Mirino*) uxorem dedit Oceani filiam (infra v. 349.) Ἠλέκτρην, a splendore sic dictam, ut ἠλέκτωρ, ἤλεκτρον. Ex his nuptiis natae Iris et Harpyiae. Ἶρις iam apud Homerum Il. P. 547. adpellatur arcus coelestis: Cicero autem de N. D. III. 20. *Arcus*, inquit, *quia speciem habet admirabilem, Thaumante dicitur esse natus.* Cui praeiverat Plato in Theaet. p. 155. D. ubi, Hesiodea haec respiciens, καὶ ἔοικεν ὁ τὴν Ἶριν Θαύμαντος ἔκγονον φήσας οὐ κακῶς γενεαλογεῖν. Conf. Proclus in Alcib. I. T. II. p. 113. ed. Cous. Sed probabiliter etiam ad Ponti familiam arcus refertur, qui ad speciem velut exsurgat ex aequore, ex quo illum etiam aquas haurire Veteres credebant. Vid. Lucanus IV. 81. Attamen, ut apud Homerum, sic etiam apud Hesiodum Iris et Deae personam habet, et inducitur ut Deorum nuntia (vid. infra 781. 784.), quo pertinet epitheton ὠκεῖα. Creditur quoque dicta Ἶρις pro Εἶρις, ab ἴρω, εἰρέω *dico*, *nuntio*. Ἅρπυιας proprie dictas fuisse abripientes omnia procellas, ipsis indicari videtur earum nominibus v. 267. Attamen Ἅρπυιας vocatas fuisse putem haud omnes, sed certas quasdam in mari, praesertim Euxino, procellas, unde locus quoque iis datus in Argonauticis tum ab aliis, tum ab Hesiodo. Vid. Schol. ad Apollon. Rhod. II. 276. 296 seq. Illas, ut Deas sibi informans, poëta ἠϋκόμους dixit. Diversam Harpyiis originem, nec tamen dissimilem, aliam alii tribuerunt, filias quidam Ponti et Terrae, quidam Neptuni, quidam Typhonis opinati. Vid. Val. Flacc. IV. 428. Serv. ad Aen. III. 241. Dicta Ἀελλὼ

ab *ἀέω spiro*, *Ὠκυπέτη* a celeri volatu. Has duas cum Hesiodo memorat Apollodorus I. II. 6. Sed ex eodem I. IX. 21. discas, alteram a quibusdam *Ἀελλόπουν*, ab aliis *Νικοθόην*, alteram a nonnullis *Ὠκυθόην* dictam fuisse. Apud Homerum Il. Π. 150. est *Ἅρπυια Ποδάργη*. Apud Virgilium Aen. III. 211. 245. tertia Celaeno memoratur; apud Hyginum in Praef. tres hae, Celaeno, Ocypete, Podarge. Conf. Heynius in Exc. VII. ad Aen. III.

Harpyias Hesiodum Thaumantis et Electrae filias dixisse, testatur Serv. ad Aen. III. 212.

v. 270 ut Hesiodi in Theogonia citant Draco de Metris p. 94. 15. Lascaris Gramm. Gr. l. III. B. VIII. f. v. ed. Ald. Cum Hesiodo, coniugem Phorcyi tribuente Ceto, faciunt Apollod. I. II. 6. et Hyginus in praef. At Typhaoni Ceto coniungit Euphorion apud Etym. M. p. 396. 28., cuius poëtae dolendum est non nisi unum ibi versum citari *Ὄσσους εὐρυκόωσα Τυφάονι κύσσατο Κητώ*. Namque ex integro lucem forsitan accepissent, quae de prole Cetûs hîc traduntur, quam omnem interpretationem respuere censuit Heynius. Attamen ad primam generationem quod attinet, est sane, ut aliquis, cum tot *γέροντες* in mari memorentur, etiam *Γραίας* memorari haud miretur, idque similiter vel cum Scholiis ad h. l. ad maris ex spumis canitiem, vel ad alias causas referat, de quibus supra diximus ad v. 233. sicut ipse Heynius cano colore *Γραίων* ipsarum prudentiam designari putat, Obss. ad Apollod. p. 119. Hermanno Opusc. II. p. 179. *Γραῖαι* sunt undae, quae littori allisae spumas agunt nunc veniendo, nunc recedendo, *Γόργονες* magnae et terribiles undae. Mihi, quod Graeis sorores dantur horrenda specie Gorgones, quodque harum esse dicitur habitatio trans Oceanum (v. 274.), cuius undae non hoc prae mari mediterraneo vel ponto Euxino peculiare habuerunt.

ut spumas agerent et magnae subinde terrorem facerent, potius repetenda omnis haec Phorci stirps videtur a narrationibus Phoenicum, qui, littora Oceani legentes, vel phocas aliasve huiusmodi belluas marinas, vel varia simiarum genera, vel mulieres adeo viderint mirationem aspectu facientes, in Africae quidem trans fretum Herculeum littore Nigritias nigro crispoque capillitio, in Borealibus Europae plagis Celtici generis feminas ἐκ γενετῆς πολιὰς (v. 271) quippe quibus admixtae parvulae, similem crinium colorem exhibentes, eum naturae non senectutis esse demonstrarent. Sive autem Graeae reapse mulieres fuerunt, sive ex aliquo de memoratis supra mihi genere bestiae, sive aliquod naturae *φαινόμενον*, feminas inde atque adeo Deas pόëtae sibi informarunt, quamobrem etiam epitheta iis tribuerunt mulieribus ac Deabus convenientia. Quas Hesiodus Γραίας, eas a patre Φορκίδας dixere Aeschylus in Prom. v. 819. Apollod. I. II. 6. II. IV. 2. alii.

Quod καλλιπαρήους dixit Hesiodus, indicat, eas sibi illum informasse non vetulas, sed ἐκ γενετῆς, vetularum instar, hoc habentes, quod erant πολιαί. Ab hoc crinium colore κόραι κυκνόμορφοι dictae Aeschylo l. c.

v. 271 seq. τὰς δὴ Γραίας καλέουσιν Ἀθάνατοί τε θεοὶ, χαμαὶ ἐρχόμενοί τ' ἄνθρωποι) quas non alio nomine Dii, sive antiquius saeculum, alio recentior hominum aetas adpellavit; sed quas ab omni aevo Γραίας dixerunt. Declaratur his, ni fallor, mythi antiquitas, cuius tamen apud Homerum memoria non exstat.

v. 273. Πεφρηδώ τ' εὔπεπλον Ἐνυώ τε κροκόπεπλον) Duabus hîc ab Hesiodo memoratis Graeis tertia Δεινὼ additur apud Apollod. II. IV. 2. Tres etiam Aeschylus iam noverat l. c., neque tamen hinc cum Goettlingio colligas

post hunc versum excidisse alium, qui nomen habuerit tertiae Graeae. Probabiliter Volckerus in Geographia Mythica p. 18. ternarium numerum a recentioribus inductum censuit, ut essent Graeae totidem ac Gorgones. Quominus autem versum excidisse censeas, facit etiam, quod vel nunc satis magno ab se intervallo distant Γραίας τέκε et Γοργούς θ'.

Alterius Hesiodeae Graeae nomen Πεφρηδὼ commode repetatur a πέφραδα, ut Dea haec communem habuerit prudentiam cum aliis Diis marinis. Fertur utique ea Perseo viam ad Gorgonas indicasse. Sed a πέφορα duxisse Hermannus videtur l. c. p. 180, cui Πεφρηδὼ est refluxus maris, *Auferona*, Latinorum *Salacia;* Ἐνύω fluxus aequoris *Inundona* Latinorum *Venilia*. Admitti haec possint, si nomina his Graeis non primum ab Hesiodo, sed iam ab antiquioribus tributa censeantur. Nam certum habeo, illum de maris fluxu et refluxu non cogitasse, videturque mihi quidem Ἐνύω tam Hesiodi Graea, quam Homeri Dea bellica, magis dicta ab ἔνω *interficio*.

vv. 274 seqq. Gorgonum fabulam ab Hesiodo primum inventam esse, eique nomina Gorgonum deberi, perhibent Scholia B. L. ad Il. E. 741. Schol. B. ad Il. Λ. 36. Scholia B. Q. ad Od. Λ. 634. consentiente Hesychio in v. Γοργείην κεφαλήν. Mihi, ut Heynio ad Apollod. Obss. p. 116., videntur de Perseo fabulae, deque caesa ab illo Gorgonum una antiquiores Hesiodo fuisse: sed fortasse hic primus Medusae συγγένειαν γενεαλογεῖν ἐπεχείρησε.

Ad Γοργοὺς h. l. sine dubio respiciunt Schol. B. L. ad Il. Θ. 349., ubi traditur, formam alteram Γοργὼν non ab Hesiodo magis, quam ab Homero usurpari. Attamen in Scuti v. 230. sunt Γοργόνες ἄπλητοι. Postrema versus 274 respicit Agatharchides de Mari Rubro p. 444. Ed. Bekkeri.

Πέρην κλυτοῦ Ὠκεανοῖο id est, in aliqua insula Oceani,

quo ut pervenires, traiiciendus erat Oceanus. Conf. infra 290. 292. 294. Pomponius Mela III. IX. 93. *Contra eosdem* (Aethiopes Hesperios) *sunt insulae Gorgades, domus, ut aiunt, aliquando Gorgadum. Ipsae terrae promontorio, cui Ἑσπέρου κέρας nomen est, finiuntur.* Refert Plinius VI. 31. eadem, sed e Xenophonte Lampsaceno, Peripli auctore, addens, eas insulas bidui navigatione a continente distare: tum et haec adiicit: *Penetravit in eas Hanno Poenorum imperator, prodiditque hirta feminarum corpora, duarumque Gorgonum cutes argumenti et miraculi gratia in Iunonis templo posuit, spectatas usque ad Carthaginem captam. Vltra has etiam duae Hesperidum insulae narrantur.* Repetens haec, Solinus c. 56. item ad auctorem Xenophontem Lampsacenum refert: incertum, an recte. Tenendum ex his duntaxat, fuisse iam antiquitus, qui Gorgonum fabulam ad Aethiopum Hesperiorum sive Occidentalis Africae monstra et Phoenicum de iis narrationes referrent. Nam neque haec sumere Hesiodus ab Hannone, qui multo fuit eo iunior, potuit et Gorillas Hanno memoravit, non Gorgonas. Sed iam ante Hesiodum (si Strabonem I. p. 48. audias, iam ante belli Troiani tempora) ultra columnas Herculis progressi sunt Phoenices, qui tum potuerint eadem ferme ibi mira observare, quae saeculis aliquot post Hanno. Nec repugnem, si quis statuat, vel Γορίλλων, vel simile nomen barbarum, ortum dedisse Graeco vocabulo Γοργὼ; quamquam Graeci, iam Homeri et Hesiodi aetate dictas ita Medusam et sorores censuerunt ob γοργότητα agilitatem, non pedum, ut voluit Salmasius ad Solinum p. 915. A. B., sed oculorum, qua terrorem incutiebant. Apud Homerum quidem est Il. Λ. 36. Γοργὼ βλοσυρῶπις — δεινὸν δερκομένη. Conf. Il. E. 741. Θ. 349. Od. Λ. 633., quorum cum Hesiodeis h. l. et in Sc. v. 223 seqq. consensus satis etiam arguit, antiquiorem his poëtis fabulam de Gorgonibus fuisse.

v. 275 an genuinus sit, dubitat Heynius ad Apollod. Obss. p. 124., sed nullam prodit dubitationis causam. Lectum versum antiquis fuisse, docet doctum ad eum Scholion in Cantabr. libro. Conf. et Pomponius Mela loco supra cit.

πρὸς νυκτὸς i. e. versus noctem, ut apud Herod. VII. 115. *πρὸς ἡλίου δυσμέων.* Est autem nox ultra occasum.

Ἑσπερίδες *λιγύφωνοι* dicuntur etiam infra v. 519. Ὑμνώδους *κόρας* vocat Euripides in Herc. Fur. 394., *ἀοιδὰς* in Hippol. 734., ubi vid. Valcken. Dulcem earum cantum memorat etiam Apollon. Rhod. IV. 1399 seqq.

v. 276 ut Hesiodi citat Herodianus *περὶ μον λέξ.* p. 13 init. Tres *καθ' Ἡσίοδον* Gorgones ex h. v. memorantur ab Etym. M. p. 238. 33. Phavor. p. 432. 14.

Hermanno, l. c. Gorgonas undas habenti, Σθεινὼ est *Valeria*, Εὐρύαλη *Lativolva*, Μέδουσα *Guberna* ab eo, quod undarum cursum regit. Itaque ei non visus est horum nominum auctor fuisse Hesiodus, quippe quem iam non physicum, sed historicum tractasse mythum, clare sequentia de Medusa arguant. Mihi videtur Σθεινὼ a viribus dicta, Εὐρυάλη ab lato mari, in quo Gorgonum insula, Μέδουσα dignitatis nomine, ut Μέδων.

v. 277. *ἡ μὲν ἦην θνητὴ κ. τ. λ.*) secundum haec Apollodorus II. IV. 2. de Gorgonibus: *ἦσαν δὲ αὐταὶ* Σθενὼ, Εὐρυάλη, Μέδουσα· *μόνη δὲ ἦν θνητὴ* Μέδουσα.

vv. 278 seq. Ovidius IV. Met. 797. Medusam a Neptuno vitiatam dicit in Minervae templo, quae, ne impune id fuisset, pulcrum antea crinem Gorgoneum in hydros mutavit. Potest *λειμὼν* fuisse *τεμένους.* Sed tamen dicendum potius, Ovidium in his recentiorum poëtarum retulisse commenta.

v. 279 additur in quibusdam Codicibus ante vel post Il. Υ. 224. Vid. d' Orvillius ad Charit. p. 618. Heyn. ad Il. l. c.

vv. 280. 281. Priorem respicit Hesychius in v. Γοργείην κεφαλὴν, posteriorem Eustath. ad Il. p. 577. 33. p. 1014. 62 seqq. Fabulam in hoc et illo versu traditam, ut Hesiodeam, memorant Scholia ad Nicandri Alexiph. v. 101. item Scholia Pindari ad Ol. XIII. 89., ubi ipsi quoque versus exhibentur. Conf. et Eustath. ad Il. p. 577. 36 seq. et p. 1014. 62 seqq., ubi memoratur ex Hesiodi Theogonia non Χρυσάωρ, sed Χρυσάορος.

Fit versu 280. obiter mentio Persei tantum ob genealogiam. Scilicet aequalibus Hesiodi satis notus erat Perseus, perinde ut Hercules. Eius cum abscisso Medusae capite in pera recondito fugientis, persequentibus eum Gorgonibus, plenior exstat mentio in Scuto v. 216 seqq. Fuisse epos antiquum mythi antiquissimi, Argivis domestici, Persei profectionem ad Gorgonas exponens, probabiliter censuit Heyn. ad Apollod. Obss. p. 116. Περσῆα πάντων ἀριδείκετον ἀνδρῶν etiam Homerus dixit Il. Ξ. 320.

vv. 282 et 283 uncinis inclusit Wolfius, ad talem semper etymologiam offensus. Mihi, ut Eustathio, videtur adamasse talia Hesiodus. Itaque certe versus non propterea reiiciam. Sed sunt in v. 283. scrupuli, ad quos offendas. Nam praeterquam, quod variat ibi Codicum scriptura, est sane ὁ δ' ἄορ χρύσειον ἔχεν μετὰ χερσὶ φίλῃσι parum explicite dictum pro τῷ δ' ἐπώνυμον ἦν, ὅτ' ἄορ χρ. ἔχ. μ. χ. φίλῃσι. Hermanno iudice, in censura Goettlingianae, locus, vv. 282—285., ut iam habemus, recentiorem sapit interpolationem; antiquiorum autem poëtarum unus scripserat: Τῷ μὲν ἐπώνυμον ἦν, ὅτ' ἄρ' Ὠκεανοῦ παρὰ πηγὰς

Ὤχετ' ἀποπτάμενος πρ. χθ. μητέρα μήλων, alter ὅτ' ἄρ' Ὠκ. περὶ πηγὰς Ἶκετ' ἐς ἀθανάτους, nisi fortasse prius illud distichon cum sequente coniunctum fuerit per ἵκε τ' ἐς ἀθανάτους. Versum autem 283 Hermannus putat ita conceptum fuisse Γέντο δ' ἄορ χρύσειον ἕλων μετὰ χερσὶ φίλῃσι et post v. 280 in parenthesi positum fuisse, ut ab aureo Persei ense dictus fuerit Χρυσάωρ et γέντο valuerit *arripuit*. Sed Perseo apud Apollod. II. IV. 2. § 8. tribuitur ἀδαμαντίνη ἅρπη, Chrysaori autem, degenti in regione auri tum ferace, convenit utique ἄορ χρύσειον. Pegasum autem, ex eo, quo natus sit, loco statim in coelum avolasse, nemo antiquiorum tradidit.

v. 282. Ὠκεανοῦ περὶ πηγὰς) ad fontes i. e. ad fines Oceani, ut iunguntur πηγαὶ καὶ πείρατα infra v. 738. 809.

vv. 284—286. χώ μὲν ἀποπτάμενος — Ἶκετ' ἐς ἀθανάτους. Avolavit demum Perseus in coelum post operam Bellerophonti praestitam in debellanda Chimaera. Vid. infra 325. Πτερόεις Πήγασος Pindaro Isthm. VII. 63. excussisse dominum Bellerophontem dicitur, in coelum contendere volentem. Ipsum autem coelo receptum idem tradit Ol. XIII. 131. — Μήτερα μήλων, matrem pecudum, Homerus Il. B. 696. Itonen, Il. I. 475. Phthiam dixit, Hesiodus hîc ornante epitheto terram universe, quae alias χθὼν πολύφορβος, πουλυβοτείρη dicitur. Regionem Hesperidum eiusque mala citria haud recte cogitabat Clericus. Currui Iovis iunctum Pegasum ἀστραπηφορεῖν dixit Euripides in deperdita Tragoedia Bellerophonte, unde versum protulit Aristoph. in Pace v. 722. Itaque sic accipiam etiam h. l. φέρων, sicut item φέρει, ut cum Bekkero legendum, in his verbis Scholiastae ad Arat. v. 205. ἱερὸς δὲ ὁ Ἵππος, ἢ ὅτι ὁ Ποσειδῶν αὐτὸν ἐγέννησεν, ἢ ὅτι βροντὴν καὶ ἀστραπὴν φέρει (vulgo

τρέφει, quod nihili est) καθὸ ἐμφερής ἐστι τῷ Διΐ. *Tonantes Iovis equos volucremque currum* memorat Horatius Carm. I. XXIV. 7. Iunctum Aurorae currui Pegasum quosdam tradidisse, colligas ex Schol. ad Il. Z. 155. et Schol. ad Lycophr. 17. Magis autem vulgata est recentiorum traditio, qua relatus inter sidera fertur Pegasus. Ad Hesiodeam de Pegaso traditionem non minus, quam ad superiora, offensus, Goettlingius vv. 282—286 uncinis inclusit.

v. 287 seq. Chrysaori in locis trans Oceanum degenti probabiliter uxor datur Oceani filia Callirhoë. Conf. infra v. 351. 979 seqq. Ex his natus Geryoneus; quem infra v. 981. dici videas βρότων κάρτιστον ἁπάντων. Has vires multiplices, neque uno facile vel impetu, vel ictu superabiles, antiquior aetas, mythico sermone declarans, *tricipitem* nobis edidit Geryonem. Namque ex Hesiodo nihil porro colligas. Apud Apollodorum autem II. V. 10. Geryon describitur τριῶν ἔχων ἀνδρῶν συμφυὲς σῶμα, συνηγμένον εἰς ἓν κατὰ τὴν γαστέρα, ἐσχισμένον τε εἰς τρεῖς ἀπὸ λαγόνων τε καὶ μηρῶν, ut proinde tria capita, triaque pectora cum sex manibus et sex pedibus habuerit, qualem, teste Scholiasta ad h. l. informavit iam Stesichorus in Geryonide, atque insuper ὑπόπτερον. Conf. Lucian. in Hermotimo c. 74.

v. 287 citant Schol. ad Aristoph. Eq. 414. Suidas v. κυνοκέφαλος, Lascaris Gramm. l. III. B. III. f. v.

v. 289 seqq. Geryon ab Hercule interfectus βουσὶ παρ' εἰλιπόδεσσι, sive, ut infra dicitur v. 983. βοῶν εἵνεκ' εἰλιπόδων, cum pugnando suas recipere boves vellet, quas Hercules, occisis prius armenti custodibus, cane et bubulco, iam abigere coeperat Tirynthem versus, quo sibi illas adducere

eum iusserat Eurystheus. Conf. Apollod. II. V. 10. Res gesta in Erythia insula, quam Pherecydes, eumque secutus Apollodorus, esse volunt Gades, alii insulam iuxta Gades, scilicet eam, quae nunc continenti adhaeret. Vid. Herod. IV. 8. Strabo III. p. 221. In eam insulam venit Hercules *διαβὰς πόρον Ὠκεανοῖο* (v. 292.) traiecto, quod inter continentem et insulam erat, Oceani freto. Quomodo traiecerit, hîc non dicitur. Sed ab Stesichoro in Geryonide, Pisandro et Panyasi in Heracleis, dictus est traiecisse Hercules Solis *δέπαϊ* s. *φιάλῃ*, cymbii instar habente navigio, quo Sol ipse uti soleret, ut post occasum ab Hesperidum regione nocturno itinere per Oceanum ad orientem rediret. Vide Athenaeum XI. p. 469. et accurate de hoc mytho disputantem Heynium ad Apollod. Obss. p. 163. Delato in insulam Herculi primum res fuit cum custode boum, cane Ortho, Typhaonis et Echidnae filio (v. 293. 309.) fratre Cerberi, unde ipsum quoque monstrosum fuisse vero simile fit (*δικέφαλον* facit Apollod. l. c.), et huic opem ferente bubulco Eurytione (v. 293.), cuius genus Hesiodus non memorat. Martis et Erythiae filium Hellanicus prodidit, teste Scholiasta ad h. l. Vtrumque in stabulo, quod tuebantur, interfecit Hercules. *Σταθμὸς ἠερόεις umbrosum stabulum* v. 294. dicitur, vel, ut vult Clericus, quod erat in caverna, vel, quod ipsi locus ex poëtae opinione erat *ἐσχατίῃ πρὸς νυκτὸς*, ultra Oceanum, situs. Conf. supra v. 274. Tiryns, quo abducebantur boves, *ἱερὴ* dicta v. 292., non ut Scholiasta censuit, quod a Cyclopibus condita, sed quod erat in alicuius Dei tutela, templique alicuius religione sacra, ut fere nulla non urbs antiquitus.

Versum 293 citat Schol. ad Pindar. Isthm. I. 15. vv. 292—294 Tzetz. ad Lycophr. v. 651.

v. 295 et seqq. quod eum in modum praecedentibus adiuncti sunt, ut, quae fuerit poëtae super Echidnae parentibus sententia, sub dubitationem cadat, quodque Apollod. II. 1. 2. Echidnam Ταρτάρου καὶ Γῆς filiam appellat, eaque genealogia et Echidnae et gnatorum naturae explicandae nna omnium maxime est apposita, quamobrem tribuenda Hesiodo videri possit, ideo Muetzellius p. 452. non alienus est a coniectura, versus 295—332, qui aptissime inter se colligati sunt, aliam olim in Theogonia sedem habuisse. Verum enim vero vix est, ut iis aliam commodam in ea sedem invenias, sive supra, post locum de Terrae ex Coelo liberis, sive infra, ubi dicitur ex Tartaro Terra post debellatos Titanes ὁπλότατον παῖδα edidisse Typhoëa. Constat autem, Apollodorum saepe alios secutum esse Auctores, quam Hesiodum; quod in loco citato paene certum est obtinuisse, cum ibi occisa ab Argo Echidna tradatur, quae secundum Hesiodum (v. 305.) fuit ἀθάνατος, nec quidquam credere nos vetat, priscis Graecorum fabulis plures ac diversas celebratas fuisse Echidnas. Quod autem post τὸν μὲν ἄρ' ἐξενάριξε (v. 289.), sequitur ἡ δ' ἔτεκ' ἄλλο πέλωρον, indicare mihi videtur, hunc esse traditionis Hesiodeae h. l. nexum et sensum: filium *quidem* Callirhoës, monstrosum illum Geryonem, Hercules occidit, illa *autem* aliud peperit monstrum Echidnam: itaque ἡ referendum esse ad Callirhoën, ut retulerunt L. Barlaeus, Wolfius et ad Apollod. Obss. p. 100. Heynius, quamvis ad Ceto retulisse videatur Pherecydes apud Schol. Apollon. Rhod. II. 1248. huius e Phorcyne filiam Echidnam faciens et probabilius utique fingatur his parentibus genita Echidna serpens, quam ex aurei ensis domino Chrysaore et Callirhoë Nympha. Cum Pherecyde facit Hermannus Opusc. T. II. p. 181. Sed Κητοῦς mentio v. 290. nimis longe ab hoc loco distat, quam ut ἡ δ' ἔτεκ' ad eam commode referatur.

In Echidna autem, suadente ipso nomine, praesertim tenenda est serpentis notio, sed magni et formidandi, qualibus portentis abundasse videtur antiquus orbis etiam iis in locis, ubi nunc non amplius visuntur. Itaque complura de iis referre potuerunt ab Oceani littore et Hesperiis plagis reversi Phoenices aliive nautae: sed illata est similis in Graeciam etiam ex Arimis ab Oriente fama et vero habuit etiam Graecia antiquitus suos dracones et Echidnas, certe Graecas de iis traditiones. Quod autem monstrosum ac terribile esset hoc genus, eo ipso visum est divinitatem habere, cui consequens fuit, ut eius quoque in Theogonia ratio haberetur. Itaque Dea, θείη (v. 297.), informata est Echidna, nec proinde tota serpens, sed pro parte Nympha ἑλικῶπις, καλλιπάρῃος (v. 298. 307.) eademque ἀθάνατος καὶ ἀγήραος (v. 305.), a qua diversa igitur habenda est memorata apud Apollod. II. 1. 2 extr. Tartari ac Terrae filia Echidna, quam in Arcadia occidit Argus Panoptes. In Hesiodea autem traditione apparet, quaesitum esse nexum inter fabulas Hesperias, ex Arimis Asiaticas et Graecas. Itaque soror vel amita Echidna fingitur Geryonis, natusque ex ea canis eiusdem Orthus (v. 309.); at vero, ubi ipsa tanquam in custodia degeret, adsignatus ei Deorum voluntate specus in Arimis (v. 301. 305.), quos esse Cilicas Aramaeos satis constat ex Strabone XIII. p. 626.; maritus quoque ei datus ibidem degens (vid. Il. B. 783. Pindar. Ol. IV. 11. Pyth. I. 32. Fragm. XCIII. Boeckh.) Typhaon s. Typhoëus (v. 306.) unde et Chimaeram suscepit (v. 319.), vicinae Arimis Lyciae terrorem; sed nati quoque ex ea, Graecorum fabulis notissimi, Plutonis canis Cerberus (v. 310 seqq.) et Hydra Lernaea (v. 313 seqq.).

v. 297. σπῆϊ ἐνὶ γλαφυρῷ) Callirhoë Oceanitis, pro more earum in specu degens, ibi peperit Echidnam, cui deinde ad habitandum alia adsignata est in Arimis spelunca.

v. 300 uncinis inclusit Wolfius, pro glossemate habens. Sane molestum est ὠμηστήν. Memoratur quidem apud Apollodorum l. c. Arcadiae Echidna συναρπάζουσα τοὺς παρίοντας, sed non dicitur ea fuisse, ut haec, pro dimidia parte, scilicet superiore, Nympha. Fingi tamen etiam memorata hîc ab Hesiodo potuit ex serpentis id natura habuisse, ut esset ὠμηστὴς, quod poëta per incogitantiam ad partem eius anguinam retulerit. Certe infra v. 304. λυγρὴ dicitur et hinc quasi carcere cohibita in Arimis.

vv. 301—305 Heynius et Wolfius duntaxat transponendos censuerunt, ut v. 304 et 305 primum legantur, deinde v. 301. 2. 3. Sane, versu 300 eiecto, locum, quem nunc obtinet, versus 301 tueri non potest. Codex Taurinensis hoc ordine habet v. 295—300. 303—305. 301. 302. unde Hermannus in Goettlingianae censura duas statuit fuisse recensiones, in quarum una fuerint v. 295—300. 303.; in altera v. 295—299. 304. 305. 301. 302. Aliter Goettlingius ordinaverat, in una recensione fuisse ratus v. 295—297. 300—302.; in altera v. 295. 6. 8. 9. 305. 308. Hanc nihil offensionis habere largitur Censor, illam admitti posse recte negat. Goettlingius in altera Editione facere iam se cum Hermanno dicit. Mihi nondum liquet, esse omnino de duplici recensione cogitandum: quare, si quid mutandum, potius Heynium et Wolfium, versus quosdam transponentes, sequar. Ita verba in v. 300. ζαθέης ὑπὸ κεύθεσι γαίης referenda erunt ad locum, ubi nata Echidna, σπῆϊ ἐνὶ γλαφυρῷ (v. 297.).

v. 304. ἡ δ' ἔρυτ' εἰν Ἀρίμοισιν) Vt est ἔρυμα secunda brevi apud Hesiodum Ἔργ. 536. Homerum Il. Δ. 137. et alibi (vid. Valcken. ad Eurip. Phoen. 990.), ita hîc ἔρυτ'. At habet ἐρῦτο productam secundam apud Nostrum in Scuto

v. 415. Scilicet est hoc pro ἐρύετο ab ἐρύομαι, illud ab ἔρυμαι. Est autem in Sc. l. c. ἐρῦτο (ut scribendum) 3. imperf. medii, *cohibebant impetum;* hîc autem ἔρυτ' accipiendum est passive *coërcebatur*, quasi carcere. Perperam Heynius, in Exc. IV. ad Il. A. vocabulum hoc derivans ab ῥύω *servo* priore longa, versum quasi ob metri vitium Hesiodo abiudicandum censuit. Respiciunt eum Schol. Lycophr. apud Bachmann. Anecd. Gr. T. II. p. 278. et Tzetz. ad Lycophr. v. 1354.

v. 305 suspectus fuit Wolfio, quod apud Apollod. l. c. interfecta ab Argo dicitur Echidna. Sed memoratur ibi Peloponnesia, non Arimaea.

v. 306 seqq. Τυφάων, alia forma dictus Τυφωεὺς (infra v. 821. 869.), ἄνεμος ὑβριστὴς et similium ventorum pater (v. 869 seqq.), ortum ipse ducere visus ex profundis terrae spiraculis et cavernis, itaque mythico sermone dictus Tartari et Terrae filius (v. 821 seq.), de quo mythos fuisse Arimaeos, constat ex Homero et Pindaro ll. cc., probabiliter inde coniux datur hîc cohibitae apud Arimos Echidnae, neque incongrue ex his tremendis portentis nata aeque terribilia monstra perhibentur, cum alia, tum primum Canes duo, Orthus (v. 309.) et Cerberus (v. 310 seqq.), uterque latratu referens patrem (v. 834.), Cerberus etiam, ut ille, bellua multorum capitum (v. 312. 825.), sicut biceps etiam habitus est quibusdam Orthus, Chimaera ipsi Hesiodo triceps.

Non diversi, ut Goettlingio visum in priore Editione (nam in altera sententiam mutavit) sed iidem habendi Τυφάων (v. 306.) et Τυφωεὺς (v. 821. 869.). Vide, praecipiente Muetzellio p. 259., Homerum Il. B. 781 seqq. collatis hîc versibus 304. 306. Heynio in Ep. ad Wolfium minus certum id visum miror, cum illi in Obss. ad Apol-

lod. I. VI. 3. iidem habiti fuissent, Τυφωεὺς, Τυφὼν et Τυφώς. Potest nomen hoc qualicunque forma proditum Graecae originis videri, ductum a τύφω, ut vult Etym. M. v. Τυφὼν p. 772. 30 seqq., cum sit ventus igneae naturae, Eustathio ad Il. p. 261. 38. πνεῦμα ὑπογέων, πυρόεν καὶ καυστικὸν (conf. infra v. 845.), nec tamen ideo pronuntiem, errare eos, qui peregrinam statuant nominis originem, sive Aegyptiam, ut Iablonskio placuit Panth. Aegypt. V. 2., sive Orientalem, cum *tuffones* etiam nunc Indi vehementiores ventos vocent, teste Turnero in Itinere Thibetano I. 1.

v. 309 seqq. Orthum Echidna κύνα γείνατο Γηρυονῆϊ, quo deinceps uteretur Geryon (v. 309. supra 293.); Cerberum (v. 311.) Ἀΐδεω κύνα χαλκεόφωνον *aerea*, i. e. infracta voce praeditum, quod epitheton Stentori tribuit Homerus Il. E. 785. Conf. Sc. v. 243. Πεντηκοντακέφαλον dixit Hesiodus cum iis, quibus numerus quinquagenarius pro magno placuit. Alii fingere ἑκατόγκρανον maluerunt, unde *bellua centiceps* dicitur Horatio II. XIII. 34. τρίκρανον σκύλακα iam Sophocles in Trach. v. 1098. et deinceps posteriores tantum non omnes dixere, sed ita, ut tribus caninis capitibus multa pone adhaerere anguina fingerent (vid. Apollod. II. V. 12 init.), quae ignota fuisse Hesiodo videntur. Homerus Il. Θ. 368. simpliciter memorat κύνα στυγεροῦ Ἀΐδαο, ne nomine quidem addito, ut neque Od. Λ. 623. Conf. Pausanias III. 25. ex quo fere colligas, primam de Cerbero famam a Taenaro venisse. Potuerunt utique accolae, ut fauces Taenarias *alta ostia Ditis*, ita natum subinde tremendum in illa caverna sonum latratum habere inferni canis, cuius deinde figuram pro mentis terrore sibi informaverint.

v. 311 respicit Schol. ad Soph. Trach. v. 1098. Ed.

Brunck. 1100. Elmsleii, qui ibi *πεντηκονταικέφαλον* restituit.

v. 311. *Κέρβερον*, inquit Eustathius ad Il. p. 717. 54., *οἱ νεώτεροι καλοῦσι*· quia scilicet apud Homerum nomen non exstat. Dictus autem, Eustathio iudice ibid. 60., *παρὰ τὸ κέαρ βαρύνειν*. Aliquanto probabilius in Scholiis ad h. l. nomen repetitur a *κέαρ* et *βέρω*, sive *βόρω*, unde *βρώσκω*, *βιβρώσκω*, ut sic idem fere notet, quod *ὠμηστής*. Welckero in Trilog. Aeschyl. p. 131. est *Κέρβερος* pro *Ἐρέβερος*, praemissa fortiore adspiratione; Hermanno Opusc. II. p. 182. *Κέρβερος* est *Hiscius*, transpositis literis pro *χρεμερὸς*, quod non adsequor. Goettlingius comparat *χάρβανος*, dictum nonnullis pro *βάρβαρος* et vocabulum a latrantis sono repetit. Obstare videri possit, quod, teste Scholiasta ad Nicandri Alexiph. v. 378., *Κέρβεροι* dicti quoque *βάτραχοι ἄφωνοι*.

Χαλκεόφωνον alicubi dictum *Κέρβερον*, scripsit Eustath. ad Il. p. 1140 init.

v. 313 seqq. Tertia Typhaonis et Echidnae proles fuit digna matre filia, Hydra Lernaea, quam infensa Herculi Iuno gravem ei laborem aluit, sicut, similem, ut videtur, ob causam, etiam Leonem aluit Nemeaeum (infra v. 328.). Hydram poëta dixit *λύγρ' εἰδυῖαν* (*λύγρα Ϝιδυῖαν*) *perniciosam*, satis sic significans, terribilem fuisse; nulla tamen plurium eius capitum mentione facta, quorum passim recentiores meminerunt. Eam Hesiodus ab Hercule interfectam dicit (v. 316.) *νηλέϊ χαλκῷ*, aereo vel ense, vel hastae cuspide, quae fuit antiquior traditio. *Χρύσεαι ἅρπαι* memorantur apud Euripid. in Ione v. 192. Secundum recentiores Hydrae capita Hercules contudit *ῥοπάλῳ clava*. Vid. Apollod. II. V. 2. Iolaus (v. 317.), quem socium et auri-

gam Herculis etiam in Scuto videmus, in hac primum pugna dictus est opem ei, neque inutilem, praestitisse. Vid. Apollod. ibid. Minerva, consiliis Herculem instruens (v. 318.), etiam in Scuto memoratur v. 125 seqq. 325 seqq. et apud Hom. Il. Θ. 362. Od. Λ. 626. Hydrae autem Lernaeae nulla facta est in Homeri carminibus mentio.

Quod apud Gregorium Or. III. p. 103. D. seq. (de quo loco diximus ad v. 185.) post memoratos ex Hesiodi Theogonia *Τιτᾶνας*, *Γίγαντας*, *τοὺς δρακοντόποδας*, *τοὺς κεραυνοφόρους θεοὺς*, memorantur etiam *τὰ πικρὰ τούτων γεννήματα καὶ προβλήματα*, *Ὕδραι*, *Χίμαιραι*, *Κέρβεροι*, *Γόργονες*, in his *τούτων* eximie ad Gigantes referendum interpretes duxere, cumque traditio exstaret, e Gigantum sanguine varia enata esse monstra, eam ad illustrandum Gregorium adhibuere. Vide Scholium Graecum ex Cod. Clarkiano a Gaisfordio editum in Catal. Clark. T. I. p. 46. et Elias Cret. Comm. in Gregor. T. II. p. 383. A., in quibus commode *αἵματος* fit mentio, pro quo vitiosa exstat *σώματος oris* apud referentes eadem Montacut. p. 153. 4. Nonnum p. 517. C. ut item apud Eudociam p. 209., illud de Hydrae origine traditum diserte auctori tribuentem Hesiodo. Movere haec virum eruditissimum Lobeckium in Aglaoph. p. 576. not., ut diversam ab hodie exstante fuisse olim in Theogonia proditam monstrorum plerorumque originem statueret, contra quem optime disputavit Muetzell. p. 464. Chimaeram quidem Typhaonis et Echidnae filiam ab Hesiodo dictam, diserte tradit Apollod. II. III. 1.

v. 316. *ἐνήρατο* medium pro *interfecit* rarius est: frequentius hac significatione activum. Est tamen item Il. Π. 92. *Τρῶας ἐναιρόμενος*.

v. 319 seqq. Nexus est: *τὴν μὲν* (hanc quidem Echidnae

et Typhaonis prolem) *Διὸς υἱὸς ἐνήρατο* (v. 316.), *ἡ δὲ* sed illa (sc. Echidna) *Χίμαιραν ἔτικτε*. Non attendentes ad versum 316., Scholiasta Cantabr. et Mombritius *ἡ δὲ* ad proximam Hydram retulerunt. Conf. supra dd. ad v. 295. Apollod. l. c. Chimaeram Homerus Il. Z. 180. simpliciter *θεῖον γένος, οὐδ' ἀνθρώπων* vocat, idem Il. Π. 328. obiter indicans, eam nutritam fuisse ab Amisodaro Lycio. Quippe notam ille fabulam tangebat, partem pridem celebrati in vulgus mythi Corinthiaci de rebus a Bellerophonte gestis. Poëtarum autem de Chimaera narrationi dedisse ortum potest, quod Iobates Lyciae rex, cum, ut Homerus refert Il. Z. 168 seqq., ex arcano Proeti, Corinthiorum regis, mandato perniciem Bellerophonti strueret, eum misit venatum capram sylvestrem, *χίμαιραν* (vid. Hesych. h. v.), in loca, ubi summum quoque a leonibus et serpentibus periculum erat; ex quo triplici ferarum genere deinde mythicus sermo et poëtarum commenta unius speciem belluae finxerint, triformem Chimaeram. Nomen quidem ipsum cogitare nos praecipue de capra iubet, sed vastioris generis, vel maxime feri, quales oves caprique sylvestres describuntur apud Oppian. Cyneg. II. 328. *θέειν κραιπνοὶ σθεναροί τε μάχεσθαι*, quamquam significari quoque potuit aliud cornutum animal, ad caprae figuram accedens, ut oryx (vid. Plin. H. N. VIII. 53. Oppian. Cyneg. II. 445 seqq.), vel, quae memoratur ab Eustathio ad Il. p. 634. 61. *κατὰ Πτολεμαῖον, ἡ μεγαλόκερως*. Hanc qualemcunque feram *δεινήν τε μεγάλην τε ποδώκεά τε κρατερήν τε* (v. 320.) Pegasus et Bellerophon i. e. hic, conscenso Pegaso (vid. Apollod. II. III. 2.), *εἷλε*, de medio sustulit, occîdit (v. 325.). Quod Chimaeram *πῦρ πνέειν* Homerus dixit Il. Z. 181 seq., qui versus etiam hic leguntur (v. 323. 4.), id iam Veteres ferme interpretati sunt de monte ignivomo, quem vulgo Cragum Lyciae fuisse volunt, ubi quaedam adeo convalles nomen retinerent Chi-

maerae (vid. Strabo XIV. p. 981. B. Plinius II. 10. V. 26. Vibius Sequester de Montibus, Serv. ad Aen. VI. 288. Eustath. ad Il. Z. p. 634. 60.; 635. 15 seqq.) placuitque haec interpretatio postea inprimis Clerico ad h. l. et recentius Hermanno Opusc. II. p. 182. cui Χίμαιρα ab nomine χείμαῤῥος est *Torrentina*, significatque profluentia liquefacta saxa atque arenas, quam hodie *lavam* vocant. Verum enim vero, cum πῦρ πνείοντες ταῦροι memorentur etiam in Iasonis historia, ubi praedictae interpretationi locus non est, censeam equidem, antiquiores Graecos locutione ea nihil indicare voluisse, nisi spiritum, quem irata bellua vehementiorem naribus emittit, quique, praesertim in locis frigidis, ita fumi instar sub oculos cadit, ut subesse ignis videri possit.

πνείουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ citat sine auctoris nomine Etym. M. p. 76. 13. Vsurpatum vocabulum ἀμαιμάκετος de igne etiam Sophocli in Oed. Tyr. v. 177. de Furiis s. Erinnysin in Oed. Col. v. 125. Ἀμαιμακέτην Chimaeram ipsam dixit Hom. Il. Z. 179. Π. 329. Notat Heynius ad priorem Iliadis locum, Grammaticos vocabulum alios a μῆκος, alios a μαιμάω repetere, neque ipse de re pronuntiat. A μῆκος quidem s. μῆκος quominus dicatur, repugnat prioris in h. v. syllabae quantitas. Reisig. ad Soph. Oed. Col. 125. non dubitare se dicit, quin sit a μαιμάω, in qua derivatione equidem cum Goettlingio exitum vocabuli miror. Comparat Goettling. Aeschyleum ἀμάχετος Sept. adv. Th. v. 85. Μακετὸς et μαχετὸς a μάχομαι non differunt, nisi quod illa forma est antiquior. Potest a μακετὸς, geminata priore syllaba, factum esse μαιμάκετος (ut a πάλη factum παιπάλη) hinc ἀμαιμάκετος, a Grammaticis vulgo expositum ἀκαταμάχητος. Estne sic in Phaeacum navi (Od. Ξ. 311.) ἱστὸς ἀμαιμάκετος *malus invictae firmitatis*, an repetendum a μαιμάσσω vocabulum cum Doederlino de α intens. p. 10.?

v. 321 respiciunt Schol. BLV. ad Il. Z. 181. Propter ἦν cum plurali iunctum priora eius citant Schol. Sophocl. ad Trach. 517. Scholia Apollon. Rhod. ad II. 65. Eustath. p. 634. 37., 1110. 55., 1759. 52., 1892. 47. Choeroboscus in Bekkeri Anecd. p. 1293. Herodianus περὶ μον. λεξ. p. 45. περὶ σχημ. p. 60. 16. Horti Adon. p. 75 *a*. p. 78 *b*. Auctor libelli de Barbarismis, a Valckenario editus, p. 198. Ad Doriensium et Boeotorum ἰδιωτίσμους retulit Heraclides Alexandrinus, ut discimus ex Hortis Adon. p. 75 *a* et Eustathio p. 1759. 31. quem vide etiam p. 1885. 58., ubi legendum ἐνίοις Βοιωτῶν pro βιωτῶν. Scilicet Boeoticum visum propter Hesiodum. Referendum autem potius ad antiquum sermonis usum, qui, quod in neutris postea retentum est, idem quoque in aliis frequentaverit generibus. Conf. Valcken. ad Herodot. p. 376. 21. Namque, ut ἦν plurale habeam cum Goettlingio ad v. 183., nondum me induci patior.

v. 323 et 324 sunt Homeri Il. Z. 181 seq. perperam huc intrusi, ut vidit iam V. D. in Obss. Misc. T. II. p. 317. Aliter atque Homerus Chimaeram sibi informavit Hesiodus, non vero, ut volunt Schol. BLV. 106. ob male intellectum ab ipso Homerum. Fuit haud dubie de Bellerophonte mythus utroque poëta antiquior. Retractans mythum Hesiodus magis veterem Chimaerae notionem retinuit, monstrosamque eam tantum hoc fecit, quod tria illi dedit trium ferarum capita. Homerus autem sibi monstrum finxit non triceps, sed cui corpus esset ex tribus feris compositum, capite leonino, media parte caprae, cauda serpentis. Illi Chimaera i. e. monstrum sic compositum, dici potuit δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος sc. ut res clamat, parte ea, qua ipsius caput erat; sed, ut hîc versus sunt positi, dicitur ignem efflare Chimaera capra, sive pars monstri media

inter anteriorem leoninam et posteriorem anguinam, quod ridiculum: at, remotis iis versibus, commode dicitur per tria ora ignem spirare. Conf. Muetzell. p. 454 seqq.

v. 325 vix Hesiodeum censuit Heynius in Ep. ad Wolf. causa iudicii non addita. Muetzellio autem p. 461. versus iustam movere interpolationis speciem videtur, cum ex vulgari traditione Bellerophon, Pegaso quidem insidens (vid. Apollod. II. III. 2.), sed solus Chimaeram occiderit. At vero Pegasus, dorso Bellerophontem excipiens, sic in causa fuit, ut Chimaera interficeretur, possuntque etiam in veteri mytho, quem obiter hîc tangit Hesiodus, memoratae fuisse in conficienda bellua partes Pegasi, λακτίζοντος et conculcantis eam.

v. 326. ἡ δ' ἄρα Φῖχ' ὀλοὴν τέκε K. ὀλ.) collatis supra versibus 289. 295. 316. 319. est, ut videatur hîc ἡ δ' oppositum superiori (v. 325.) τὴν μὲν ad Chimaerae matrem Echidnam referendum esse, quae sic mater fuisse dicatur etiam Sphingis et Nemeaei leonis, non Chimaera, ut ad h. l. Scholiastae, Io. Diacono et auctori carminis de Laudibus Herculis v. 76. (in poëtis Latinis Minor. Wernsdorfii T. I.) placuit, sicut item postea Mombritio et recentius Claverio ad Apollod. T. II. p. 258. nec non Hermanno Opusc. II. p. 183. at neque Heynio ad Apollod. Obss. p. 242. neque Vossio Epp. Mythol. T. II. p. 23. Thebani et Nemeaei monstri matrem Echidnam prodidere etiam Apollod. II. V. 1. et III. V. 8. Hyginus praef. p. 12. pr., sed patrem Typhaonem, in hoc alios secuti, quam Hesiodum, auctores, ex quorum traditione etiam in Scholia ad h. l. invecta est illa Typhaonis mentio, perperam haud dubie, cum poëta diserte Orthum faciat Sphingis et Nemeaei leonis patrem.

Cadmeos seu Thebanos infestavit monstrum, recentius

vulgo Σφίγξ, ἴγγος, antiquius Φιξ, Φῖκος dictum, unde Φίκιον ὄρος, quod ibi consederat. Vid. Apollod. III. V. 8. Exitialem Cadmeis Φῖκα qua ratione dixerit Hesiodus, incertum est. Namque aenigma et huc pertinentia possunt commenta esse serioris aevi, sicut etiam forma Sphingis descripta ab Apollodoro l. c. Nomen quidem, a φίγγω, σφίγγω derivatum, eiusmodi monstrum indicat, quod homines strangulando conficeret. Itaque, eo respiciens, haud inepte de dracone cogites, qualis ab Ovidio Met. III. 48. in Cadmi historia describitur, eius socios longis necans complexibus. Attamen fuere iam de Veteribus, qui mallent ad humanas referre insidias. Vid. Pausanias IX. 26. Palaephatus c. 7. Sphingis nusquam meminit Homerus.

v. 327 seqq. Habuit antiquitus Graecia, ut dracones seu maiores serpentes, ita leones suos, qui Xerxis tempore adhuc frequentes erant in Macedonia Thraciaque. Vid. Herodot. VII. 125 seq. coll. Aristotele H. A. VI. 31. VIII. 28. Pausania VI. 5. Certe in historia Graecorum mythica plures memorantur, ut Parnassius (vid. Pausan. I. 27.), ut, item ab Hercule interfectus, Cithaeronius (vid. Apollod. II. IV. 10. § 5.). Prae ceteris tamen clarus Nemeaeus fuit. Eum Iuno aluisse dicitur hîc (v. 328.), ut supra (v. 314 seq.) Lernaeam Hydram, scilicet suscitans Herculi laborem; collocasse autem eum (v. 329.) in fertilibus iugis (γουνοῖσι) Nemeae, perniciem hominibus, quorum ille φῦλα *magnum numerum*, perimeret (v. 330.). Magnifice (v. 331.) dicitur κοιρανέων Τρητοῖο N. ἠδ' Ἀπ. ut tauro *regnum nemoris* tribuitur apud Phaedrum I. XXX. 8. Erat mons Tretus inter Mycenas et Nemeam, non longe a Cleonis, infra habens διώρυχα διηνεκῆ, sive ἀμφίστομον σπηλαῖον, ubi degere Leo solitus. Vid. Apollod. II. V. 1. Diod. Sic. IV. 11. Pausan. II. 15. Ab illo specu Nemea mons non longius quam

quindecim stadia aberat. Supra Nemeam erat mons Apesas. Vid. Pausanias ibid. Etym. M. v. *Ἄπεσας*.

v. 330. *ἐλεφαίρατο* (sic) *φῦλ' ἀνθρώπων* ex h. v. sine auctoris nomine citat Etym. M. p. 329. 27. Legitur *ἐλεφήρᾶμενος* laedendi significatione etiam Il. Ψ. 388. Sed Od. T. 565. *ἐλεφαίρονται* est *decipiunt*. Scilicet primaria significatio fuit capiendi. Namque ab stirpe *ἕλω* sunt *ἑλέω ἑλέϝω*, *ἑλέφω* (unde nomen viri Ἐλεφήνωρ), *ἐλεφάω*, *ἐλεφαίρω*.

v. 331, ut Hesiodi, citat Etym. M. p. 119. 40.

v. 333 seqq. Redit poëta ad Cetûs et Phorcynis progeniem, memorans ex ea stirpe natu minimum Draconem, malorum aureorum custodem iisdem in locis, ubi Graearum quoque et Gorgonum, item e Phorcyne et Ceto natarum, sedes erat, *πείρασιν ἐν μεγάλοις* (v. 335.) in extremis terrae finibus. Conf. v. 518. Draconem hunc, Apollonio Rhodio IV. 1390. Ladonem nominatum, Pisander, teste Scholiasta ad Apollonium, Terrae filium prodiderat. Aliis dictus Typhaonis et Echidnae filius. Vid. Apollod. II. V. 11.

Secundum Scholiastam Apollonii Rhod. d. l. Draconem Hesperidum Ἡσίοδος ἐκ Τυφῶνος φησίν, ubi, ni fallor, hunc locum respexit, sed errante memoria lapsus est. In alia ivit Muetzell. p. 463. tantum illi Scholiastae tribuens, ut ex eius testimonio colligat, depravatam hîc nos Theogoniam habere.

v. 333 citat Lascaris Gramm. l. III. B. VIII. f. v. In eo versu mire Guyetus *ὁπλότατον* nomen habuit proprium.

v. 335. *παγχρύσεα μῆλα φυλάσσει*) Conf. supra dd. ad

v. 215 seqq. Abrepta ab Hercule mala secundum recentiores Hesiodo statuens, coterum imitatione eum exprimens, Apollonius Rhodius IV. 1397. *παγχρύσεα ῥύετο μῆλα* dixit.

v. 337 seqq. Oceano, Veteribus habito omnis aquae principio et elemento, Tethys, naturae vis omnia alens ac nutriens, coniux tributa etiam ab Homero Il. Ξ. 201. Ex his parentibus ortos ait Hesiodus Fluvios, quotquot sint, nec minore numero Oceaninas, lacuum ac fontium praesides et omnino nutriente humore fertilem terram exhibentes atque hinc *κουροτρόφους* (v. 337. 346 seqq. 367 seqq.), unde haud efficitur quidem, respexisse poëtam aquarum meatus subterraneos, e maris fundo ductos, quales cogitavit Virgil. IV. G. 465 seqq. 481. attamen videri potest Hesiodus, derivatum ab Oceano, tanquam fonte, omnem per terras fluviorum et lacuum fontiumque humorem credidisse, cum Homerus quoque Il. Φ. 195 seqq. dixerit *βαθυῤῥείταο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο, Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.* Vtrum autem huc referendum sit, quod idem Homerus Il. Ξ. 201. Oceanum *θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθὺν* dixit, an id latiorem etiam sensum habeat, quo postea Thales aquam dixit esse rerum omnium principium et Virgilius hinc IV. G. 481. Oceanum *patrem rerum*, quaestio est nec expeditu facilis, et certe Homerica magis, quam Hesiodea.

Noverat autem Hesiodus, permagnum esse, ut lacuum et fontium in terris, ita fluviorum numerum. Itaque definite, ut poëta, (v. 364. 368.) ter mille dixit esse lacuum praesides Nymphas totidemque Fluvios: ceterum ex utroque genere non nisi pauca eaque celebriorum nomina adposuit, primo fluviorum v. 338 seqq., deinde Oceaninarum v. 349 seqq., unde sane liquet, quinam Hesiodo memorabiles in primis fluvii sint habiti, non vero, qui notitiae

fluviorum modus ei, vel eius aetati fuerit. Namque, ut Graeciae fluvios Hesiodus praeter memoratos haud dubie alios noverat, ita exterorum quoque novisse plures potest, quorum nulla in eius h. l. versibus facta mentio. Possunt autem rationes colligi probabiles, cur poëta memoratos ceteris praetulerit. Sunt enim hi primum nobiliores Graeciae fluvii, Alpheus Elidis, Achelous et Evenus Aetoliae, Peneus Thessaliae, Ladon Arcadiae, tum vicinarum Graeciae regionum, Macedoniae Haliacmon, Thraciae Strymon et Nessus, deinde in illa Asiae Minoris ora, unde Hesiodi pater in Graeciam venerat, fluvii Maeander et Hermus Lydiae, Caïcus Mysiae; porro ex Ida, Troadis monte, decurrentes fluvii, quos nobilitaverant de bello Troiano narrationes, Rhesus, Rhodius, Heptaporus, Granicus, Aesepus, Simoïs, Scamander (Conf. Il. M. 22.); tum et in Pontum Euxinum effluentes, ab Argonautica expeditione celebritatem nacti (conf. infra v. 992 seqq.) fluvii, Sangarius Phrygiae, Parthenius Paphlagoniae, Phasis Colchidis, Aldescus et Ister Scythiae; denique memorantur inter exteros, qui non longissime a Graecia remoti essent, facile principes fluvii, Nilus, quem in Odyssea quoque Δ. 477. Ξ. 201. sed sub Aegypti nomine memorari videas, et Eridanus, quem Italiae Padum esse equidem non dubito, cum hanc regionem Hesiodo notam fuisse declarent infra v. 1011 seqq. Ceterum hos fluvios recensuit poëta, nulla secundum locorum vicinitatem ordinis ratione habita, sed, ut maxime ex apta nominum iunctura carminis λειότης sequebatur.

v. 338. Nili nomen, ignotum Homero, primum, qui noverit, Hesiodum fuisse, tradunt huius loci memores Posidonius apud Strabon. I. p. 29. (p. 51. Almelov.) Schol. Pal. et Q. ad Od. Δ. 477. Eustath. p. 1510. 10. Apollonius Lex. p. 53. Etym. Gud. p. 14 med.

Ad Hesiodeam autem de Phaëthonte fabulam, non ad h. l. pertinere videtur, quod Eridanum memorasse dicitur Hesiodus apud Hygin. f. 154. Schol. ad German. v. 366. Lactant. Placidum Narrat. Fabul. Ovid. p. 796. Staver.

v. 342. *θεῖόν τε Σιμοῦντα* citat Schol. Ven. ad Il. M. 22. quo loco omnia h. l. agri Troiani fluviorum nomina ab Homero mutuatum vult Hesiodum, *ὡς ἂν νεώτερον τούτου.*

v. 344. ad *Λάδωνα* Gl. Par. C. *Ἀρκαδίας τῆς ἄνω.* Conf. Dionys. Perieg. v. 437.

v. 345. *Ἄρδησκον*, quod nonnulli Codd. habent, si profectum ab Hesiodo censeatur, nihil obstat, quominus cum Wesselingio eundem habeamus ac, memoratum ab Herodoto IV. 92., *Ἄρτισκον*, sed non potest hic fluvius, auctori illi dictus in Hebrum *εἰσρέειν*, idem haberi ac Dionysii Perieg. 344. *Ἄλδησκος* Panticapae et Agathyrsis vicinus.

v. 346 seqq. Fuit haec antiquitus, non per Graeciam modo et Italiam, sed etiam per septentrionalem Europam passim recepta diuque retenta opinio, esse, praeter coelites ac maiores Deos, rerum universitati prospicientes, multa, in terris degentia, inferioris ordinis numina, quorum praesenti cura ac benignitate fertilitas agrorum aliaque commoda certis locis obvenirent et conservarentur: quae numina ob hanc almam altricemque naturam tum muliebris fere sexûs habita sunt, tum eximie praeesse credita irrigantibus singulas regiones aquis, quod hinc maxime et ubertas agris et potus hominibus sufficeretur. Has Nymphas, quae cum Apolline (Phoebo), lucida diei tela moderante, et singularum regionum fluviis *κουροτρόφων* partes explerent (v. 347 seq.), Hesiodus Oceani filias habuit, ab eodem igitur, ac fluvios,

benigno terreni humoris principio ortas, tum perinde atque illos terrae magis numina, quam maris (v. 346. 365.), quarum proinde Nympharum natura alia esset ac Nereïdum, nec nisi hactenus ab natura Meliarum seu Dryadum diversa, quod hae sylvas tantum servabant, Oceanides passim vagae, tum sylvas, tum alia terrae loca obibant, ac modo in terris modo in aquarum profunditate versabantur. Secundum hanc, pervulgatam, ut videtur, de Nymphis, Oceano genitis, opinionem intelligitur, quomodo illae a poëtis comites dari potuerint Naïasin ac Dryasin, legentique flores Proserpinae et venatrici Dianae. Vid. Hom. H. in Cer. 5. 419 seqq. Callim. H. in Dian. 13. Virgil. IV. G. 344. 381 seqq. Ceterum, ut aquarum Nympha Egeria credita fuit Numam consiliis instruere, sic universe providum iustumque et ope consilioque promptum habitum est omne hoc Nympharum genus, quam naturam Oceanides quidem a patre duxerint, uno Titanum omnium maxime prudenti, iustoque. Pertinent huc nomina Oceanidum Πειθὼ (v. 349.) Ζευξὼ, Ἰδυῖα (v. 352.) Μενεσθὼ (v. 357.) Μῆτις, Τελεσθὼ (v. 359.) et quod per Στύγα (v. 361.) Dii iurabant. Praestantissimo patre genitas praestantes filias probabiliter memorantur sibi coniuges adscivisse Titanum ac Deorum primarii, Thaumas Electram (v. 265.) Nereus Dorida (v. 240.) Iapetus Clymenen (v. 507.) Sol Perseïdem (v. 957.) Pallas Styga (v. 383.) Iupiter Metin (v. 866.) et Eurynomen (v. 907.) secundum quosdam etiam Pluto (v. 355.), unde Tantalus prognatus. Vid. Hygin. f. 82. et ibi VV. DD. Sole et Perseide genitus Aeetes coniuge ipse quoque dignus habitus est Oceanide Iduia (v. 958.) paremque ob causam uxore Callirhoë non indignus habitus Chrysaor (v. 287.). Alias, memoratas hîc, Oceaninas tametsi, quae res maxime nobilitaverint, de plerisque haud satis nunc tenemus, attamen hoc tenere nobis videmur, nullum hîc ab Hesiodo positum esse no-

men, quod non iam priorum fama celebrasset. Memorantur quidem ab Homero H. in Cer. v. 418 seqq. inter Oceanides cum Electra, Callirhoë et Styge etiam Admete, Ianthe, Vrania, Rhodia, Galaxaure, Melobosis, Pluto, Ianira, Acaste, Chryseïs, Calypso, Tyche, Ocyroë, Πειθοῦς *Suadelae* antiquissima religio fuit apud Athenienses et Sicyonios. Vid. Pausan. I. 22. II. 7. De Τυχῆς (v. 360.) apud Graecos cultu conf. idem IV. 30. VII. 26. Asia (v. 399.) ut Promethei uxor celebratur ab Herodoto IV. 45., ab aliis, ut uxor Iapeti. Vid. Apollod. I. II. 3. Dione (v. 353.) apud Homerum mater est Veneris, quam Theogoniam etsi non agnovit Hesiodus, at Dionen tamen ut ἐρατὴν *amabilem* novit, eique ob hanc praestantiam locum dandum inter Oceanides censuit. Simile quid obtinuisse in Europa (v. 357.) potest, ut illa Hesiodo non quidem Agenoris filia, sed tamen digna fuerit habita, quae inter Oceaninas referretur, nec fere dubito, quin ab Hesiodo et aliis in hanc honestissimam classem relatae fuerint plures heroïci temporis puellae, sive, ut Ovidio Ep. Her. I. 27. dicuntur, *Nymphae*, illae maxime, quae ad antiquissimam gentis alicuius originem pertinebant. Conf. Apollod. II. I. 1.; III. VIII. 1. Sane memorata hîc nomina Oceanidum sunt nonnulla quidem manifesto spectantia vel ad naturam aquae et fontium, ut Καλλιρόη (v. 351.) Ἀμφιρὼ, Ὠκυρόη (v. 360.) Ἀσίη (v. 359.) ab ἄσις, *limosa;* item Πετραίη (v. 357.) Πρυμνὼ (v. 350.) *praeceps* de rupe; Πληξαύρη, Γαλαξαύρη (v. 353.) auras lapsu rivi illa impellens, haec relaxans; Κερκηὶς (v. 355.) a κρέκω *strepo;* vel ad almam et κουροτρόφον Oceanidum naturam, ut Δωρὶς (v. 350.) Πολυδώρη (v. 354.) Εὐδώρη (v. 360.) Πλουτὼ (v. 355.) Χρυσηὶς (v. 359.) Διώνη (v. 353.) item Ἵππω (v. 351. Homero H. in Cer. v. 418. Λευκίππη) Μηλοβόσις (v. 354. Homero ibid. v. 420. Μηλοβότη) Εὐρυνόμη (v. 358.). Sed sunt tum in his ipsis quaedam, tum alia,

quae simpliciter nomina haberi puellarum possunt, ut habenda omnino videntur Ἀδμήτη, Ἰάνθη (v. 349.) Κλυμένη, Ῥόδεια (v. 349.) Κλυτίη (v. 351.) Ἰάνειρα, Ἀκάστη (v. 356.). Itaque nescio, an nimis argutati sint interpretes, qui nomina Oceanidum h. l. et apud Homerum l. c. sine exceptione omnia ad aliquam aquae vel fontis virtutem referenda existimarunt, quod in nonnullis nominibus aliquam veri speciem habere potest, ut in Ξάνθη (v. 356.) item in Θόη (v. 354.) et Πασιθόη (v. 352.), at vero in aliis non nisi cum hallucinatione tentatur, ut e. g. Ἀδμήτη (v. 349.) L. Barlaco ad h. l. nomen habere visa est a maris (?) ferocia, I. H. Vossio ad Hom. H. l. c. ab invicta in perenni fonte aquae abundantia, Goettlingio, quod non, ut Πειθὼ, fossa se includi patiatur. Mihi Πειθὼ quidem haud magis fontis esse Nympha videtur, quam aut Τυχὴ, aut Περσηὶς (v. 356.), in quo nomine utique haerere videas interpretes. Puto equidem, sub eo cultam alicubi fuisse Persae filiam Hecaten, atque inde factum esse, ut diversam ab Hecate Deam vel primus, vel post alios arbitratus Hesiodus dandum ei quoque nomen inter Oceanidas censuerit. Similiter Οὐρανίη, quam item Oceaninam cum Homero H. in Cer. 423. Hesiodus facit (v. 350.), mihi videtur non *imbribus nutritum* vel quasi *coelitus ab alto lapsum* fontem indicare, sed cultam variis Graeciae locis Coelestem Deam, quae a posteris Ἀφροδίτη Οὐρανίη, antiquitus simpliciter Οὐρανίη dicta fuerit et sic multis diversa habita a Venere. Conf. Pausan. I. 14. III. 23. VII. 26. Alias Doctorum Virorum super quarundam Oceanidum nominibus hallucinationes infra ad singula indicabimus suo loco.

v. 347. κουρίζουσι, Scholiastes male intellectus Guyetum et Clericum induxit, ut exponerent χείρουσι. Est κουρίζω *iuvenescere* vel *vigere facio.*

v. 349. Ἰάνθη dicta, ut Ῥόδανθη, Εὐάνθη, quod tenendum, ne quis cum L. Barlaeo ab ἰαίνω derivatum putet, vel cum I. H. Vossio ad Hom. H. in Cer. v. 418. repositum hîc velit καὶ Ἠλέκτρη καὶ Ἰάνθη. Habuit Ϝίον *viola* digamma. Conf. infra v. 844. Muetzell. p. 468.

v. 351. Ῥόδεια Oceanina (etiam apud Hom. l. c. v. 419.) ad Rhodum insulam referenda visa est Goettlingio. Sed potius dicta videatur ab roseo colore, ut Ῥοδόπη apud Homerun d. l. v. 422., Ῥοδία et Ῥόδη, Danaïdes, apud Apollod. II. I. 5.

v. 352. Ζευξὼ certe non potest esse *bifida*, quod Goettlingio visum. Potius sit, ut Hermanno placet, *e duobus fontibus unita*. Simplicius tamen et analogiae convenientius existimo, ut cum Pasore et L. Barlaeo exponatur activa significatione *iugans*, *coniugans*, ut indicetur Nympha eiusdem fere indolis ac Πειθώ.

v. 356. Περσηΐς τ' Ἰάνειρά τ') Est, Goettlingio iudice, Περσηὶς ad Persidem, Ἰάνειρα ad Ionum regionem, ut Ῥόδεια ad Rhodum, Δωρὶς ad Doriensium terram referendum. Hermanno in Cens. Goettlingianae, omnia haec fontium esse nomina censenti, Περσηΐς est *perrumpens*, ut sit a πέρω, πείρω. Possit item secundum etymologiam a πέρθω repeti, quod L. Barlaeo placuit. Sed sic nomen minus conveniret κουροτρόφῳ. Analogiae repugnat Scholiastae, a περάω repetentis, ratio. Quid mihi videatur, supra dixi. Perseïdem non habet Homerus d. l. Ἰάνειρα, memorata H. in Cer. v. 422., non dubium Hermanno videtur, quin dicta sit ab ἰαίνω. Neque repugno, cum similiter sint Ἰλάειρα ab ἱλάω, Δάειρα a δάω. Vereor autem, ut satis recte I. H. Vossius ad H. in Cer. l. c. ab ἰάω vel ἰαίνω et ἀνὴρ repetiverit.

v. 357. Μενεσθὼ et v. 358. Τελεσθὼ probas esse formas, erudite ostendit Muetzellius p. 148 seqq., ubi tamen ille, de nominibus feminarum in ω exeuntibus disputans, haud satis expedire mihi videtur, unde sit illa femininorum terminatio in ω pro vulgari in α vel η. Equidem illud ω contractum puto ex όη. Certe probabiliter dicas, esse Ἀμφιρὼ pro Ἀμφιρόη, ut Πολυξὼ pro Πολυξόη. Quidni similiter sit Μενεσθὼ pro Μενεσιθόη, Τελεσθὼ pro Τελεσιθόη, quomodo congrue dici promptae ope et consilio Oceaninae potuere, ut viri Ἀρηΐθοος s. Ἀρήϊθος, Πειρίθοος s. Πείριθος. In Πειθὼ autem, Πρυμνὼ, Ἵπτὼ, Ζευξὼ, Πλουτὼ, Καλυψὼ aliisque similibus, terminationis ratio hinc, ni fallor, petenda est, quod antiquitus haec quoque nomina in fine όη habuerunt, ut sic primum Πειθόη, deinde Πειθὼ dixerint. Cum Μενεσθὼ contulit Muetzell. p. 149. viri nomen Μενέσθης apud Hom. Il. E. 609. et alterum nobilius, Μενεσθεὺς. Valet hoc, opinor, Μενεσίθεος.

v. 359. Καλυψὼ apud Apollod. I. II. 6. inter Nereïdes memoratur. Sed cum Hesiodo facit Hom. H. in Cer. 422. ut diversa sit, ibi atque hîc memorata, ab nobiliore ex Odyssea Atlantis filia Καλυψώ (infra v. 1017.). Est Oceanina Καλυψὼ Goettlingio, *quae luto foecundo inducit terram, cum super ripas effluit.* Quaerenda haec luti significatio in Ἀσίη, non in Καλυψὼ, quae probabilius Hermanno exponitur *latens* vel *occultans:* neque tamen constare mihi videtur, esse id in memorata hîc Nympha ad aquas referendum, cum idem nomen tributum sit Atlantis filiae, ac simpliciter muliebre haberi possit, a velamento tractum.

v. 360. Huius loci memor Laur. Lydus de Mensibus p. 44. Οὐδαμοῦ τοῦ τῆς Τύχης ὀνόματος Ὅμηρος μέμνηται· Ἡσίοδος μέντοι. Scilicet in Iliade et Odyssea nomen Τύ-

χης non exstat, sed fit eius mentio in H. in Cer. v. 420. Conf. Pausan. IV. 30.

v. 361. προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασεών) Infra v. 777. dicitur θυγάτηρ ἀψορρόου Ὠκεανοῖο Πρεσβυτάτη. Ita mox seq. versu 362. πρεσβύταται alias dici potuerint προφερέσταται, omnium *praestantissimae, maxime venerandae*. Conf. Ern. ad Callim. H. in Iov. 35.

v. 363. πολλαί γε μέν εἰσι καὶ ἄλλαι) Vt H. Hom. in Cer. v. 418. *Phaeno*, v. 419. *Melite* et *Iache* memorantur, apud Apollod. II. I. 1. *Melia*, III. VIII. 1. *Meliboea*, III. X. 1. *Pleïone;* apud Pausan. I. 38. *Daira;* apud Schol. Apollon. Rhod. ad I. 554. II. 382. *Philyra*, ad III. 242. *Asterodia*, ad IV. 1212. *Ephyra;* apud Virgil. IV. G. 341. *Clio* et *Beroë;* apud Ovid. V. Fast. 171. *Aethra;* apud Hygin. p. 5. Staver. *Menippe*, *Argia*, fortasse et aliae. Sunt enim pleraque ibi corrupta nomina, nec nisi pro parte certam satis correctionem ex Hesiodo recipiunt. Teste eodem Hygino f. 182. Oceanides etiam a quibusdam habitae *Idothea*, *Althaea*, *Adrasta*, Iovis in Creta nutrices.

v. 364, ut Hesiodeum, citat Schol. Pindari ad Ol. V. 1. sed corrupte, cum ibi pro Ὠκεανῖναι exstet Ὠκεανίδες et principio versus τρὶς γὰρ μύριαι pro τρὶς γὰρ χίλιαι. Fortasse obversabatur ei numerus ille ex Ἔργ. v. 265.

v. 365. Ad βένθεα λίμνης Guyetus: »*hoc est*, inquit, θαλάσσης, Ὠκεανοῦ. *Hom.* (Od. Γ. 1.) Ἠέλιος δ' ἀνόρουσε, λιπὼν περικαλλέα λίμνην." Sic et Il. N. 21. 32. βένθεα λίμνης. Certe non est excludenda hîc notio maris, sed nec de solo mari cogitandum, cum λίμνη dicatur quivis aquae gurges. Conf. Il. E. 790. Φ. 317.

v. 366. *πάντῃ ὁμῶς*) ita ut nullis locis desint Oceanides. —*θεάων ἄγλαα τέκνα*) i. e. *θεαί*. Conf. supra v. 240.

v. 367 seq. *ἕτεροι ποταμοὶ* — *Υἱέες Ὠκεανοῦ*. Tales memorat Apollod. II. I. 1. *Inachum*, III. XII. 6. *Asopum*, plures alios Hygin. p. 6. sed, ortos, ut Oceanidas, ex Ponto et mari.

Verba *καναχηδὰ ῥέοντες* ex h. l. adtulit Apollonius Dyscolus de Adv. p. 562. 15. Esse totum hunc Hesiodi locum manifesta imitatione expressum a Dionysio Perieg. v. 644 seqq., monuit iam Wolfius.

v. 370 citat Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 644.

v. 371 seqq. Sequitur nunc progenies reliquorum Titanum: primum Hyperionis et Thiae. Apud Homerum *Ἥλιος Ὑπερίων* dicitur Il. Θ. 480. Od. A. 8. M. 133. 263. 346. 374. At nonnunquam eidem Solis hoc non cognomen, sed quasi nomen est. Sic *Ὑπερίονος ἀνιόντος καὶ δυσομένοιο* meminit Od. A. 24. et est *ἠλέκτωρ Ὑπερίων* pro Sole Il. T. 398. H. in Apoll. 369. Itaque dubium non est, quin cultus antiquitus a Graecis Sol fuerit hoc nomine, quod Theogoniam condentes inducere potuit, ut duo diversa numina Hyperionis et Solis atque hunc ex illo natum fingerent. Dicitur Sol *Ὑπερίονος ἄγλαος υἱὸς* etiam Hom. H. in Cer. 26. H. in Merc. 13. et *Ὑπεριονίδης ἄναξ* Od. M. 176. Ab Hesiodo Soli mater Thia datur, quam originem omnis lucis et splendoris dixit Pindarus Isthm. V. 1. (Conf. supra dd. ad v. 135.). Itaque eadem Lunam quoque et Auroram peperisse traditur Hyperioni. Homerico in Solem Hymno v. 3. mater horum liberorum, eademque Hyperionis soror et coniux, non Thia, sed Euruphaëssa dicitur, Hygino p. 10. Aethra. Conf. Burmann. ad Ovid. IV. Met. 192. At Ca-

tullo LXV. 44. Sol *progenies Thiae clara*, Homerico Hymno in Merc. v. 99 seq. Σελήνη est Πάλλαντος θυγάτηρ Μεγαμηδείδαο ἄνακτος. Itaque fortasse etiam ab hoc, non patrueli fratre, sed patre dicta Aurora *Pallantias* Ovidio IX. Met. 420. et alibi.

Dicit Aurora apud Ovidium XIII. Met. 585., esse sibi *rarissima templa per orbem*. Attamen eius, ut personae et Deae, frequentissima est apud poëtas et mythographos mentio, sicut etiam Solis et Lunae, tametsi neque horum numinum frequentis apud Graecos cultûs servata exstet memoria. Solis arae memorantur apud Corinthios, Argivos, Arcades. Vid. Pausan. II. 5. 18. VIII. 9. Solis et Lunae simulacra apud Eleos, teste eodem VI. 24., quem vide etiam V. 11. Sed, ut notum, praecipue cultus Sol Rhodi fuit, ubi currus eius et colossus.

Versum 371 cum γείνατο e versu 374 citant Ammonius v. ἡμέρα, Schol. ad Eurip. Phoen. IV. 179. (p. 630. Valck.) et Eustath. p. 1527. 57 seq., cum v. 372 et 374 integro Schol. Vat. ad Pindar. Ol. VII. 72. sine 372 sed cum v. 374 Schol. ad Pindar. Isthm. V. 1. ubi vitiose Ἠέλιον τέκε μέγαν solum versum 371 Schol. ad Apoll. Rh. IV. 54. sed in utroque libro corruptum, omnes hi cum mentione Hesiodi, quem memorant etiam, hunc locum respicientes, Etym. M. p. 779. Etym. Gud. p. 542. Schol. ad Od. A. 8. Conf. et Iulianus Orat. IV. p. 136. C. Proclus in Timaeum p. 257. med. Schol. AD. ad Il. Θ. 480.

v. 373. Suspicionem ab hoc versu, quem citati supra auctores omittunt, opportune removet Muetzell. p. 470. collatis Homeri Il. Λ. 1 seq. et Il. B. 48 seq.

vv. 375—377. Crio, quod antiquo tempore alicubi in Graecia nomen fuisse videtur supremo ac praepotenti Deo

(conf. supra dd. ad v. 134.), commode uxor datur Eurubia, late potens naturae vis. Nati his parentibus memorantur Astraeus, Pallas, Perses, quorum personis varia declarari naturae phaenomena, liquere puto. Astraeus quidem quo pertineat, et nomen indicat et, quod mox v. 378 seqq. Hesperi et omnino Astrorum pater perhibetur. Pallas nomen esse videtur Dei terram quassantis, ut *Ἐνοσίχθων*, *Ἐννοσιγαῖος*. Itaque potest, vel cognomen illud quoque antiquitus Neptuni fuisse, vel in Titanis terram quassantis locum postea Neptunus successisse. Persae, qui *Περσαῖος* dicitur H. in Cer. 24., nomen probabiliter repeti vel a *πέρω*, *πείρω*, vel a *πέρθω* potest, et utraque ratione probabiliter referri ad Solem, sive huius per coelum ab ortu ad occasum transitus indicetur, seu perdentia homines tela, ut sit *Πέρσης* idem fere, quod *Ἀπόλλων*. Itaque huius longe iaculantis Dei (*Ἑκάτου*) commode filia perhiberi potuit *Ἑκάτη* (infra v. 411.). Tum in Solem, *ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει* bene convenit, quod hîc (v. 377.) dicitur de Persa, superante vel omnes scientia. Patet tamen, diversum ab Sole Persen facere Hesiodum, seu, quod ita placuit poëtae, seu, quod huius antiquissimi Titanis naturam non nisi obscurius habuit cognitam. Ex Homerico H. in Merc. l. c. fere colligas, Crio cognomen fuisse Megamedis, cum sit ibi Pallantis patronymicum *Μεγαμηδείδης*. Sed potest etiam in huius patre variatum fuisse.

vv. 378—382. Ab Aurora (mane) surgentes, sive ortum habentes, venti mythico sermone Aurorae filii dicuntur; nec difficilem explicationem habet, quomodo eorundem ab Astrorum potentia seu numine Astraeo, tanquam patre, origo repetatur. Nati autem ex Astraeo et Aurora Venti Hesiodo v. 379 seq. recensentur tres (conf. VV. Lectt.) Zephyrus, dictus Argestes, quod discussis nubibus coelum

reddit candidum, Boreas et Notus. Euri nulla neque hic mentio fit, neque infra v. 870 seqq. ubi supra dictis ventis stabilibus, *εὔθεσιν*, opponuntur *μαψαῦραι*. Itaque Hesiodus Eurum etiam inter ventos minus stabiles habuit, cuius rei causa mihi fuisse videtur situs locorum, in quibus poëta degebat. Apud Homerum cum Noto memoratur Eurus Il. B. 145. Π. 765. Od. M. 326., cum Zephyro Od. E. 295. 331 seq. Astraei nulla fit apud Homerum mentio; Ἠὼς eidem frequentissime, ut Dea, memoratur.

v. 378 et seq. leguntur in Servianis ad Aen. I. 132. sed, ut videtur, ab Editoribus additi. Certum tamen est, respexisse hos versus Servium d. l. scribentem, natos, secundum Hesiodum, ex Astraei Titanum unius cum Aurora concubitu. Suidas etiam, v. *Θείας ἀμνάμων* (T. II. p. 193.), in verbis *ὡς Ἡσίοδος λέγει, Θείας ἀπόγονοι οἱ ἄνεμοι*, tradita hic v. 378., supra v. 371 seq., respexit.

v. 382. *τά τ' Οὐρανὸς ἐστεφάνωται*) pro *καθ' ἃ Οὐρανὸς ἐστεφάνωται*. Conf. Il. Σ. v. 485.

v. 383 seqq. Pallantem, a quo Titane dictam urbem suam ferebant Pallenenses, teste Pausania VII. 26. habitum fuisse Deum pollentem viribus, ipsum nomen arguit, a *πάλλω quatio* derivatum. Quamobrem congrue coniux ei data Styx, Oceani filia (supra v. 361.), item potens Dea et ab incorruptae constantiae viribus eximie dicta *ἄφθιτος* v. 389. infra v. 776. *δεινὴ Στύξ*. Itaque potentes etiam ex his parentibus nati liberi memorantur (v. 384 seq.) *Ζῆλος*, *Νίκη*, *Κράτος*, *Βίη*. De his Hyginus in praef. p. 11. *ex Pallante gigante et Styge Vis, Invidia, Potestas; Victoria.* Sed a Titane Pallante diversus Gigas, cuius meminit Apollod. I. VI. 2. Tum *Ζῆλος* rectius intelligatur Ardor con-

tendentium in certamine, cum alter alterum superare studet: itaque apte cognati finguntur Ζῆλος et Νίκη. Huius, ut Deae, frequens mentio est (Vide in primis Pausaniam I. 22. V. 26.); illius cultus non adeo memoratur. Κράτος et Βία nobiles sunt in Aeschyli Prometheo personae: τῶν (v. 386.) cum sequentibus ad hos potissimum referendum, unde Callimachus etiam H. in Iov. v. 67. Σή τε Βίη τό τε Κάρτος, ὃ καὶ πέλας εἵσαο δίφρου. Dicuntur sic iidem Hesiodo semper apud Iovem habitare, sedentique adsidere et praeeuntem sequi, ex quo pugnaturus ille cum Titanibus, Croni sociis, Deos in Olympum convocaverat, ut eos promissis in suas partes pertraheret (v. 390 seqq.), in quod concilium tum prima, Oceani patris monitu, Styx cum suis liberis venit, ut Iovi adesset, qui proinde invicem, tum ipsam, tum liberos honore perpetuo mactavit (v. 397 seqq.).

Dicta Στὺξ, quia στυγερὴ θεὸς ἀθανάτοισι (infra v. 776.). Oceani filiam Styga, Pallantis uxorem, Hesiodum in Theogonia prodidisse, testatur Pausanias VIII. 18. pr. hunc locum respiciens, qui deinde varias refert de Styge poëtarum traditiones.

v. 383 seq. iunge ἔτεκ' ἐν μεγάροισι· similem verborum traiectionem vide supra v. 240 seq.

v. 384. καλλίσφυρος Νίκη dicta ornante feminarum epitheto. Conf. infra v. 507. 526. 950.

v. 387 an Hesiodi sit, dubitat Heynius (de Theogonia ab Hesiodo condita, Commentat. Gōtting. T. II. p. 145 in nota). Cur dubitet, neque ipse dicit, neque ego capio, ut neque, qua ratione ibidem Ζῆλος ab eo exponatur *Felicitas*.

v. 393. *μή τιν' ἀποῤῥαίσειν γεράων*) Simplex *ῥαίω* proprie notat *frango*, unde *ῥαιστὴρ malleus*, hinc *perdo*. Confer Od. I. 459. N. 151. 177. Ψ. 459. *ἀποῤῥαίω* item est *perdo* Od. Π. 428. sed ex primaria vi simplicis etiam notat *refringo*, *revello*; *ἀποῤῥαίω τινὰ τινὸς revello aliquem ab aliqua re*, *deturbo*, *privo aliquem aliqua re*. Apud Homer. Od. A. 404. eadem significatione dicitur *ἀποῤῥαίειν τινὰ τί*.

v. 397 seqq. Respiciunt fabulam Serv. ad Aen. VI. 131. Lactantius Placidus ad Statii Achill. III. 83. Schol. ad Il. T. 127.; in Mosquensi Scholiorum Codice ad v. 113. cum Hesiodi mentione (vid. Heyn. Comment. ad Homerum T. VII. p. 630.) cum eadem mentione Tzetz. ad Lycophr. v. 707.

v. 400 respiciunt Schol. AD. ad Il. Θ. 369. Schol. ad Il. O. 37. Schol. ad Pind. Ol. VII. 119. Etym. M. p. 731. 33. Confer supra citatos ad. v. 397. E verbis Natalis Comitis Mythol. III. 2. p. 196. *alii honorem illum datum Stygi fuisse dixerunt, quia coniurantium Deorum adversus Iovem, cum illum vincere voluerunt, insidias patefecit*, ex his igitur verbis colligi potest, quid exciderit ex Scholio Leidensi, cuius verba Valckenarius expromsit. Scilicet ibi post illa *καὶ δηλοῦσι τοῦτο Διΐ* scriptum fuit *Στὺξ καὶ παῖδες Στυγὸς*, vel simile quid. Porro in fine Scholii pro vitiosis *ἡ ἱστορία παρὰ Ἡσιόδῳ καὶ Θεογόνῳ* cum Muetzellio p. 475. legendum *παρὰ Ἡσιόδῳ ἐν Θεογονίᾳ*, tametsi illa de Titanum insidiis et iudicio Stygis ab Hesiodi narratione hoc loco aliena sunt. Conf. omnino Muetzellius l. c.

vv. 404—452. Coei Titanis posteri memorantur ex ipso et sorore eius Phoebe (v. 134. 136.) Latona (v. 406.) et Asteria (v. 409.) ex hac et Perse Hecate (v. 410 seqq.). Apud Homerum Phoebes et Asteriae nulla fit mentio; *Λητὼ θυ-*

γάτηρ μεγάλοιο Κοίοιο dicitur H. in Apoll. v. 62. Περσαίου θυγάτηρ Ἑκάτη H. in Cer. v. 24 seq. Videntur antiquiore Graeciae populorum, certe quorundam, religione coniuncta numina fuisse, ut Ἀστραῖος et Ἀστερίη, Dii astrorum praesides, ita Φοῖβος et Φοίβη, Ἕκατος et Ἑκάτη, quibus nominibus haud dubie Sol et Luna significabantur. Postea autem Φοῖβος et Ἕκατος tanquam cognomina facta sunt iunioris Dei, Iove geniti, Apollinis, estque huius apud Hesiodum Phoebe non soror, sed avia, antiquioris ordinis Dea, Titanis ipsa, fratrique Titani Coeo nupta, ut item Hesiodo non est Ἑκάτου Ἀπόλλωνος, sive Φοίβου soror Hecate, sed μουνογενὴς (v. 426.) et Apolline antiquior, quippe magnos iam sub Titanibus adepta honores (v. 424.), ceterum a Phoebe eodem, atque ille, gradu distans: quod utrum primus sic finxerit Hesiodus, an ex aliorum traditione haustum retulerit, incertum est. Hoc liquet, in his Deorum nuptiis et generationibus fingendis maxime positam fuisse operam τῶν θεογονίαν ποιησάντων. Quod enim in hac Titanidum successione prima Phoebe, postrema Hecate ponitur, poterat contra fieri, cum certum videatur, utroque nomine idem numen significari, nisi statuas, Hesiodeam traditionem hoc indicare, Lunam prius sub Phoebes, quam sub Hecates nomine fuisse cultam, ut sane Phoebes antiquitus religionem et oraculum fuisse Delphis, auctor est Aeschylus Eumenid. v. 7. Λητὼ, quam ex ipso nomine et epithetis Noctem iam antiquitus interpretati sunt, Phoebes aeque probabiliter, ne dicam probabilius, mater fingi ac filia poterat, ut item Asteries aeque mater ac soror. Hecate quidem Noctis filia dicta Bacchylidi apud Schol. Apollonii Rhod. III. 477.; Latonae filia, quod fere eodem redit, poëtae Orphico apud Lobeck. in Aglaoph. p. 561. Ceterum apte in una familia ponuntur Φοίβη, Λητὼ, Ἀστερίη, Ἑκάτη. Memoratum hîc Phoebes maritum non inepte

Veterum quidam interpretati sunt operantem in aëre foecundam vim, teste Schol. Cantabr. ad v. 404. Forsitan comparari possit Latinorum *Cous* s. *Cohus*, quod poëtis pro coelo usurpatum fuisse notat Festus v. *Cohum*. Conf. Hesselius ad Ennii Fragmenta p. 133. Κοῖον *Turbulum* exponit Hermannus Opusc. II. p. 175., qua ratione, non adsequor, cum Κοῖος haud dubie sit a κόω, cui verbo *turbandi* significatio tribui nequit. Vtut est, huius sic dicti Dei nisi religio, certe memoria diu viguisse videtur in Aegaei maris insulis, ut item Asteries et Latonae, quarum haec passim, a patre, Κοίου γένος, Κοιῆϊς, Κοιογενὴς, Κοιογένεια dicta. Conf. Pindari fragm. apud Strabon. X. p. 743. A. Callim. H. in Ap. 62. H. in Del. 150. Apollon. Rhod. II. 712. Ovidius VI. Met. 366. Tacitus Ann. XII. 61. Pausan. IV. 33. Phoeben pro Luna passim Latini dixere, Graecorum haud dubie imitatione, quamquam nunc Graecorum exempla minus exstant.

v. 404. Φοίβης aviae secundum Hesiodum Phoebi (Apollinis) meminit Etym. M. v. Φοίβη.

v. 406. κυανόπεπλον, *nigro peplo indutam*, probabiliter ad Noctem referas, ut eodem pertinere videantur epitheta ἤπιος, μείλιχος, ἄγανος, cum et nox εὐφρόνη dicatur. Conf. Eustathius ad Il. A. 36.

v. 408 seqq. Phoebes et Coei filiam Asteriam coniugem accepisse traditur Perses, haud incongrue profecto, si Persae nomine Solis aliqua vis, seu virtus significetur: tum item apte his parentibus nata fingitur Hecate. Perses domum duxit Asteriam (ὥστε) φίλην κέκλησθαι ἄκοιτιν, *ut vocaretur coniux* (v. 410.) i. e. ut eius coniux *esset*. Conf. Il. Γ. 138. Δ. 61. Ξ. 210. 268. Od. H. 313. T. 79. Ce-

terum nescio, an ipsa haec verba male accepta fundus fuerint recentiorum traditionis, quam auctori Musaeo tribuit Schol. ad Apollon. Rhod. III. 467. 1035., ab Iove amatam et gravidam Asterien, hinc uxorem datam fuisse Persae, ut huius deinde filia dicta fuerit Hecate, quemadmodum Hercules Amphitryonis. Alii tradiderant, Iovis amplexum fugientem Asterien, hinc adsumta ὄρτυγος *coturnicis* forma praecipitem in mare se dedisse apud insulam, quae ab ipsa primum Ἀστερίη et Ὀρτυγίη, hinc Delos dicta sit. Vid. Callim. H. in Del. 37. Apollod. I. IV. pr. Hyginus f. 53. Haec, quamquam ab Hesiodea narratione diversa, celebrem tamen antiquitus Asteriae memoriam arguunt, tametsi nulla eius apud Homerum mentio exstat. Hecaten autem non Asteriae, sed Nymphae alicuius et Persae, Sole geniti, filiam fuisse, Dionysius Milesius tradiderat primo Argonauticorum, teste Scholiasta ad Apollon. Rhod. III. 200., in quibus quod Sole genitus Perses dicitur, item arguere videtur, opinione Veterum aliquam huius Titanis cum Sole necessitudinem intercessisse.

v. 409. In εὐώνυμου argutatur Scholiasta, meliora dicens dextra omnia, deteriora sinistra, et esse astrorum lucem minorem diurna. Rectius Basileensis ceterique Interpretes accepere *claram*. Vocabulum apud Homerum non exstat: sed eo frequenter usus est Pindarus.

vv. 418—452. Certum videtur, antiquissimos Graecos Ἕκατον et Ἑκάεργον Solem, Ἑκάτην et Ἑκαέργην Lunam dixisse ob vim horum siderum e longinquo operantem. Ad hanc Lunae vim, multarum in terris rerum altricem, multorumque bonorum hominibus effectricem, pertinere videntur ea, quae poëta longiore hoc loco de potentia atque honoribus Hecates praedicat, quamvis ipse iam diversam

eam ab Luna arbitratus. Itaque aetate Hesiodi adhuc prisca religio Hecates vigebat, causa eius religionis minus iam tenebatur: postea autem et super Hecate magis variari coeptum est opinionibus et cultus eius diversus a prisco factus est. Cum enim Ἄρτεμις in multos pristinos Ἑκάτης et Ἑκαέργης honores successisset, dici ipsa quoque Ἑκάτη et Ἑκαέργη potuit, ut Apollo, in Titanis Solis honores succedens, Ἕκατος et Ἑκάεργος, quamquam Ἑκαέργη deinceps magis habita fuit una e Dianae ministris Hyperboreis, ut item Ἑκάτη dicitur nomen impositum ab Diana fuisse Iphigeniae Tauricae. Vid. Pausan. I. 43. Serv. ad Aen. II. 532. VV. DD. ad Callim. H. in Del. 292. Sed certum est, Hecaten magis confundi coeptam esse cum Diana ipsa, ita ut Iovis etiam filia haberetur. Vid. Schol. ad Theocr. Id. II. 12. Cornutus de N. D. 34. Simul autem Hecate coepta est haberi χθονία, fortasse e memoria priscae religionis, cum erat Hecate eadem ac Luna, quae aliquando sub terris latet. Eius prima opinionis vestigia habet Hom. H. in Cer. ubi v. 24 seq. memoratur Hecate in antro habitans, v. 52. faces gestans, v. 440. degenti apud inferos comes facta et ministra Proserpinae, quacum postea item confundi coepta est. Sane versus ex Orphicis, quem citat Scholiasta Apollon. Rhod. III. 467. Hecaten Δηοῦς (Cereris) filiam edit. Denique Hecaten, quam ex prodita ab antiquis memoria Lunam interpretabantur, eandem autem terrestrem ac venatricem Dianam, infernam Proserpinam intelligebant, Diva facta est Triformis, colique in triviis coepta. Vid. fragm. Sophoclis apud Schol. Apollon. Rhod. III. 1214. Tradit Pausan. II. 30., primum Alcamenem Atheniensem Hecates triplex fecisse iunctis corporibus signum; apud Aeginetas autem signum esse ligneum Hecates, cuius unicum os, ut corporis truncus unius. *Coeloque Ereboque potentem* Hecaten memorat Virgilius VI. Aen. 247. Hesiodus coelo, terraque et

mari potentem (v. 413 seq. 427.) non Erebo, nec triformem. Longior autem eius honorum Hecates praedicatio vero simile videri facit, quod Scholiasta ad h. l. tradit, praecipuum apud Boeotos huius Deae fuisse cultum. At vero eam prae ceteris Diis etiam Aeginetas coluisse, qui sacrorum Hecates auctorem sibi Orpheum Thracem perhiberent, item narrat Pausanias, l. c. Sane videtur a septentrione haec religio venisse in Graeciam, ut item illa Ἑκάτου et Ἑκαέργης, praesertim, ex quo maris Euxini littora Argonautarum aliisque expeditionibus celebrari coepta sunt, ac fortasse ad septentrionalem huius religionis originem pertinet, quod Pherecydes Hecaten filiam fecit Aristaei Paeonis, teste Schol. ad Apoll. Rh. III. 467.

Censuit Heynius in Comment. de Theogonia, locum hunc de Hecate totum esse ex Orphicis, in quibus Hecates numen potentissimum: qui tamen antiquiores Hesiodo Orphicos intellexit, addens, locum hunc satis vel unum testari posse, ex pluribus poëtis sua collegisse Hesiodum. Huic iudicio non est, quod intercedam: sed, quod vult Goettlingius, certa indicia esse, hunc hymnum in Hecaten (?) non ab antiquo auctore Theogoniae profectum esse, sed additum a recentioribus poëtis, fortasse Onomacrito, deque ea re monuisse iam Heynium, illud mihi non aeque probandum videtur atque Hermanno in Censura Goettlingianae, cum neque certa habeam, quae Goettlingius adfert indicia, et longe alia monuisse Heynium ex supra dictis adpareat. Tum, ni fallor, antiquitatem huius loci prodit, quod ille Hecaten nobis exhibet aliam longe atque eam recentiores vulgo sibi informarunt.

Hecaten Persae, Coeo Eurybiaque geniti, et Asteriae filiam ab Hesiodo dici, testatur Tzetzes ad Lycophr. v. 1175. Titanis et Asteriae filiam Serv. ad Aen. IV. 511. Perseïda ab eodem vocatam Eustath. ad Od. p. 1651. 56. Schol. Vulg.

et Q. ad Od. K. 139. Conferatur etiam egregie correctus a Muetzellio p. 476. locus Lactantii Placidi ad Statii Theb. IV. 482. p. 188. Cruc.

v. 413 citat Schol. Eurip. Hippol. v. 146. 228. ubi tamen pro ἔ̓χειν est ἔ̓χει.

v. 414. ὑπ' οὐρανοῦ varie accepere Interpretes. Redditum *stelligero in coelo* a Basileensi et Graevio, *stelligero sub coelo* ab D. Heinsio et L. Barlaeo, qui ad hominum cultum retulit, *stelligero a coelo* probabilius ab Schmidio, Krebsio, Robinsono; similiter ab I. H. Vossio, *vom sternlichen Himmel.* Hecates numen ac potentiam, ut terra et mare (v. 413.), ita quoque coelum stelligerum agnovit. Wolfius autem ὑπ' Οὐρανοῦ ita dictum voluit, ut v. 395. ὑπὸ Κρόνου, itaque *ab* vel *sub Vrano regnum obtinente.* Sed, ut videtur, nata est Hecate imperante iam Crono. Quod si antiquitus Lunae vim ac potentiam Hecaten dixere, intelligitur sane, quomodo honorem eum nacta esse dicitur etiam a coelo *stelligero.*

vv. 416—420 alterius recensionis esse, censent Goettlingius et Hermannus, tum et ille inepto loco positos, quippe referendos post v. 428. Mihi videntur omnia apte cohaerere. Ait poëta, sic apud omnes Deos honoratam esse Hecaten, ut, si quis hominum sacra Diis κατὰ νόμον facere velit, simul Hecaten invocet, quae scilicet propitios ei Deos reddat ceteros. Neque est, ut cum Wolfio, quod de illo more aliunde non constat, vereamur, ne poëtae Orphico debeantur hi versus. Contra videtur mihi de antiquitate loci vel hinc maxime constare, quod memorantur hîc ea, quae posteá ex usu abierunt.

vv. 420—425 altera causa additur, cur una cum ceteris Diis semper invocanda sit Hecate; quod Vranidarum seu Titanum nullus aliquam potestatem nactus est, quin eandem *αἶσαν* etiam nacta sit Hecate, seu quod, quarum rerum potestas inter eos divisa fuit, eam una indivisam habet, retentam etiam sub Iove.

v. 426 seqq. *οὐδ', ὅτι μουνογενὴς κ. τ. λ.*) Neque ideo minus honoris obtigit ei, quod est unigenita (conf. infra v. 448.), quodque sic nullos habet fratres, qui illam tueantur (conf. *Ἔργ.* 376—380.), immo multo plus honoris illi obtigit, quod Iupiter eam honorat.

Citatur versus in Scholiis ad haec Apollonii Rhodii III. 1035. verba *μουνογενῆ δ' Ἑκάτην Περσηΐδα.*

Quod ab Hesiodo bis inculcatur, Hecaten esse *μουνογενῆ*, hoc Goettlingio apertum est indicium, illatam esse Hecaten ab Orphicis antiquae Theogoniae, a qua multum absit haec unum numen procreandi ratio. Verum enim vero habet eadem haec antiqua Theogonia Palladem, Proserpinam, Mercurium, alios *μουνογενεῖς*. Quod autem porro ait Goettlingius, *μουνογενὴς* verbum esse ab Orphicis de Pallade et Proserpina, quae ipsa videatur esse Hecate, usurpatum, fateor equidem, Palladem et Proserpinam in Hymnis Orphicis sic dici, sed, aut vehementer fallor, aut video, illas ibi velut commendari hoc epitheto, quod longe secus est in hoc loco.

v. 427 in insititiis esse censuerunt Heynius et Wolfius, uncinis inclusere Gaisford. et Dindorf. Sane constructionis difficultas, ad quam offenderunt VV. DD., non plane tollitur ratione Guyeti, ad *γέρας* ex praecedente versu intelligi iubentis *ἧσσον'* nec, quod L. Barlaeo placuit, esse potest *γέρας* per antiptosin dictum pro *γέραος*. Goettlingius iu-

vandum locum censuit transponendis versibus 426 et 427, ut coniungantur *ἀλλ' ἔχει, ὡς τὸ πρῶτον ἀπ' ἀρχῆς ἔπλετο δασμὸς Καὶ γέρας ἐν γαίῃ τε καὶ οὐρανῷ ἠδὲ θαλάσσῃ.* Putat Hermannus in Cens. Goettling. versum 427 in alia recensione fuisse post v. 413. Quid, si, intellecto *ἐν* (ut *Ἔργ.* 18.) legamus *καὶ γεράων γαίῃ τε κ. τ. λ.*?

vv. 429—446. Quod multa hominum exercitia etiam ad Lunam vel necessario, vel ab industriis peragi solebant, quaedam adeo meliore cum successu ad Lunam peragebantur, hinc Luna, ut iis exercitiis atque operibus, ita celebrantibus ea favere credita est; tum Dea, cuius praesentem vim in rebus physicis terra marique multifariam homines observassent, vel observare se putassent, haud minus potens habita est in iuvandis quibuscumque hominum studiis et artibus. Itaque etiam ab Hesiodo dicitur Hecate, si velit, favere non modo pastoribus (v. 444 seq.), praedam seu venatu seu piscatu petentibus (v. 442 seq.), equitantibus (v. 439.), bellantibus (v. 431 seqq.), sed etiam in concione dicentibus (v. 430.), regibus ius reddentibus (v. 434.), in agone de praemio certantibus (v. 435.), quae omnia diurna erant exercitia. Obiter notandum, nullum hîc de magicis aut medicis artibus verbum fieri, quarum potentes maxime sacris Hecates initiatos crediderunt posteri.

v. 429. *ᾧ δ' ἐθέλει μεγάλως παραγίνεται*) Verbum *παραγίνεται*, quod in hoc de Hecate loco ter invenitur, neque alibi apud Hesiodum, neque usquam apud Homerum exstat. Haud tamen inde, quod Goettlingius vult, efficitur, esse haec illata ab recentioribus. Nam sunt etiam apud Homerum multa, quae uno tantum alterove loco invenias. Heynius quidem ad hoc verbum non offendit, qui ad Il. Υ. 342. *μέγ' ἐξίδεν* ibi conferat cum *μεγάλως παραγίνεται*

hoc loco et παραγίνεται explicet *prodest*, Malim cum Boissonadio, *adest*.

v. 434. βασιλεῦσι παρ' αἰδοίοισι καθίζει) Regibus adsidet, eos instruens consiliis.

v. 435. ἐσθλὴ δ' αὖθ' κ. τ. λ.) Vsum vocabuli ἐσθλὴ hic et infra v. 439. 444. non esse epicum statuit Goettlingius, immemor loci Hesiodei Ἔργ. v. 812. Conf. et Apollon. Rhod. I. 106 seq. III. 917. Guellius et Cerda ad Virgilii Ecl. V. 1.

v. 436 frigide ex superioribus repetitum ac proinde eliminandum, censuerunt Ruhnkenius, Heynius, Wolfius. Ego quoque abesse eum malim, cum ad ἐσθλὴ δ' αὖθ' in praecedente versu facile intelligi possit παραγίνεται; nisi fortasse καὶ τοῖς indicet, opponi hîc victoriam in certamine ludicro verae pugnae, de qua supra actum v. 431 seq.

v. 438. ῥεῖα Φέρει) Dubites, sitne hîc Φέρει pro consueto Φέρεται, an significet *facile fert* quamvis gravem tripodem, quem νικήσας obtinuit, cum prae laetitia pressum se onere vix sentiat.

v. 439. ἐσθλὴ δ'. ἱππήεσσι κ. τ. λ.) Dicitur Φίλιππος Luna Hymno Orphico in illam v. 5.

v. 440 suspectum facere possit digamma neglectum in δυσπέμφελον ἐργάζονται, quod miror haud animadversum a Goettlingio. Attamen Scholia AV. ad Il. Π. 748. citant hunc versum, ut Hesiodi; Scholia BLV. ad Il. Π. 34. vocabulum γλαυκὴν uno illo loco de mari usurpatum ab Homero, ἀντὶ κυρίου (pro nomine substantivo) posuisse Hesiodum notant.

Ad Homericum *δυσπέμφελος* (Il. Π. 748.) de urinatore usurpatum, Schol. Br. apud Heyn. (Comment. T. VII. p. 263.) *δυσάρεστος ἢ δυσκίνητος; ἢ, ὡς Ἡσίοδός φησι, δυσχείμερος.* Non autem est Hesiodeum vocabulum *δυσχείμερος*, sed vult Scholiastes, eam esse vocabuli *δυσπέμφελος* apud Hesiodum significationem. Conf. *Ἔργ.* 616.

Magnam esse Lunae vim in mare et coeli tempestates, neque nunc ambigitur et Veterum opinione constitit. Est *γλαυκὴν ἐργάζεσθαι mare exercere* sc. navigando, ut *ἐργάζεσθαι γῆν* (*Ἔργ.* 621.) est *terram exercere* arando. *Vastum maris aequor arandum* Virgilius dixit Aen. II. 780.

v. 442. *ἄγρην* de praeda, venatu capta, Scholiasta, alii de piscatorum praeda ceperunt, maxime ob praecedentem maris mentionem. *ἄγρη* ab *ἀγείρω colligo* dicitur quaevis praeda. Vid. Od. M. 330. *Ἀγροται* Od. Π. 218. sunt aucupes; *ἀγρευτῆρες* apud Callim. H. in Dian. 218. venatores. Equidem nihil horum excludam: tantum non cum Wolfio de praedatione maritima cogitem. Notus e fabulis adamatus Lunae venator Endymion. Hecate venatrix memoratur in Schol. ad Apollon. Rh. III. 200. Piscatus in maris Euxini littoribus, ubi olim maxime colebatur Hecate, frequentissime nunc quoque ad lunam celebratur. Hecatae in sacrificiis offerebatur mullus piscis. Vid. Athenaeus VII. p. 325 B.

v. 444. Ad incrementa tum aliarum rerum, tum maxime gregum praecipua esse creditur Lunae vis. Hecaten Hymnus Orph. in eam v. 9. dicit *βουκόλῳ εὐμενέουσαν ἀεὶ κεχαρηότι θυμῷ*, verum etiam in Mercurii tutela credebantur esse pecudes omnis generis. Vid. Hom. H. in Merc. 567 seqq. *λῃΐδα* alibi praedam pecoris (vid. Il. A. 154.) hîc pecoris proventum accipe. Sic *Ἔργ.* 700. *λῃΐζεσθαι* simpliciter est *adipisci, lucrari.*

Exstat *βουκολίας* substantivum etiam Hom. Hymno in Merc. v. 489. et apud Apollon. Rh. I. 627.

v. 450. Pristinos honores Hecates confirmans, Iupiter hoc novum ei *γέρας* concessit, ut esset *κουροτρόφος* (*τούτων τῶν κούρων*) qui post illam (hoc munere ornatam) nascituri essent. *Βριμὼ κουροτρόφον* dixit etiam Apollon. Rh. III. 861.

v. 452 uncinis inclusit Wolfius, ut Gallica hieme frigidiorem et miserabiliter claudicantem. Vncinas apposuere etiam Gaisf. et Dindorf. Goettlingio mire dictum videtur *αἳ δέ τε τιμαί*, atque eo excogitatum consilio, ut transitus pararetur ad sequentia, quae sunt vere Hesiodea »exspectabas saltem, ait, *αἵδε τε τιμαί*." Probavit hoc Hermannus in Cens. Goettl. Mihi magis scrupulum facit *Οὕτως ἐξ ἀρχῆς κουροτρόφος*, praecedente *Θῆκε δέ μιν Κρονίδης κουροτρόφον*. Ceterum versum Scripti omnes et Scholia agnoscunt.

Post hunc versum lacuna videtur esse Thierschio de Hesiodo p. 23 seq., nondum enim de Croni regimine expositum esse. Sed tenendum est, magis Theogoniam hîc tradi, quam Deorum historiam. Haec obiter tantum infertur, estque sic obiter de Croni regimine mentio facta v. 395 seq.

v. 453 seqq. Veteri Titanum religioni successit in Graecia aliorum religio Deorum, quorum princeps habebatur Iupiter. Hi Titanum successores ob id ipsum haberi potuerunt Titanum posteri, dicique mythico sermone potuit Titanum princeps, Cronus, a filio suo, novorum Deorum principe, Iove superatus fuisse ac Coeli regno deiectus. Ab Hesiodo memorantur Titanum principis Croni Rheaeque liberi, praeter Iovem, Neptunum, Plutonem, potentissimos Deos, tria Vniversi regna sortitos, *Ἱστίη*, *Δημήτηρ*, *Ἥρη*,

veteris apud Graecos ac praecipuae venerationis numina. Ἰστίην, Vestam, primam ex Crono genitam agnoscit etiam Hom. H. in Ven. v. 22. classico de Vesta loco, ubi dicitur hunc ab Iove honorem nacta, ut esset in omnibus templis τιμάοχος et apud omnes mortales θεῶν πρέσβειρα haberetur. Olympiae quidem primum in sacrificiis locum tribuebant Vestae, teste Pausania V. 14. Nulla autem, quod mireris, in Iliade, nulla in Odyssea Vestae facta mentio est. Saepius ibi memoratur Δημήτηρ, sed non addita parentum mentione. Verum Hom. H. in Cer. v. 75 seqq. diserte dicitur Rheae filia, soror Iovis et Plutonis. Ἥρη passim apud Homerum eximie dicitur θυγάτηρ μεγάλοιο Κρόνοιο, ut Κρόνου παῖς Iupiter vocatur. Eam autem Cronus Il. Δ. 60. dicitur πρεσβυτάτην γενεῇ τέκεσθαι. Il. O. 187. diserte memorantur tres ex Crono et Rhea fratres Iupiter, Neptunus, Pluto, sed versibus 182 et 204, horum natu maximus Iupiter, qui secundum Hesiodum post omnes natus est.

v. 453 seq. Dici ab Hesiodo natas e Rhea Vestam, Iunonem, Cererem, testatur Proclus in Cratylum § 140. 166.

v. 454 citatur, sed vitiose, apud Ammonium v. βωμὸς p. 33. et Eustathium p. 1564. 32. rectius ab Etym. M. v. Ἑστία p. 382. 46.

v. 455 seqq. Tradere Hesiodum ex Crono, seu Saturno genitos Iovem, Neptunum, Plutonem testati sunt Theodoret. de cur. Gr. affect. II. p. 735. III. p. 768. Nonn. ad Greg. p. 517. A. ed. Montac. p. 153. patrem Iovis Saturnum ab eodem dici Theophil. ad Autol. II. 5. p. 90.

Ad Homerica Il. Δ. 59., ubi inducitur Iuno, de se praedicans: καί με πρεσβυτάτην τέκετο Κρόνος, Schol. Ven. A.

τιμιωτάτην νῦν· πλαγιασθεὶς δὲ ἐντεῦθεν Ἡσίοδος νεώτερον φησὶ τὸν Διά (postremum omnium memorans v. 457.). Natos ante Iovem fratres eius καθ' Ἡσίοδον ait Schol. ad Arat. v. 16.

v. 459 seqq. Quod per redeuntes certo tempore certas annorum vices res in terris oriri, interire, post oriri denuo Graeci quoque veteres observassent, hinc prisco illo ac mythico sermone dictum iis Κρόνον, temporis et anni Deum, natos ex se liberos rursum recondidisse in se, inde autem denuo luci reddidisse, mihi post alios probabilis opinio videtur. Eum autem mythum cum posteri de liberis, proprie sic dictis, accepissent, necesse fuit plura accedere, quibus ornaretur mythus. Tum connecti quoque haec fabula coepta est cum alia de Crono, per Iovem filium potestate exuto. Memorat hanc Homerus; alteram non memorat, sive ignotam sibi, seu, quod equidem vero similius habeam, silentio pressam ab ipso, ut minus relatu suavem. Memorantis eam, Hesiodi mentio facta a Themistio Oratt. XXXII. p. 363. A. Schol. AD. ad Il. B. 205. Etym. Gud. p. 5. 10. Respiciunt haec Hesiodea Theodoret. l. c. p. 768. Laur. Lydus de Mens. I. p. 2. Lactant. ad Statii Achill. II. 190. p. 611. Cruc. Isidor. Orig. VIII. 11. Hesiodea de Crono omnia, devoratos ab eo liberos, subductum ei ab Rhea Iovem, dato in locum huius devorando lapide, bello victum eum regnoque deiectum ab Iove adulto, detrusum denique ab eodem in Tartarum, vinctumque ibi cum sociis, haec igitur omnia, tum hoc loco, tum infra, post locum de filiis Iapeti, tradita, continua serie recensuit Lucianus Sa- (turn. c. 5).

κατέπινε (v. 459.) proprium de potu verbum, hinc usurpatur de omnibus, quae quis deglutiendo in ventrem demittit. Vid. Wetsten. ad Matth. XXIII. 24. — ὅστις ἕκαστος Νηδύος ἐξ ἱερῆς μητρὸς πρὸς γούνατ' ἵκοιτο pro, ut

quisque nasceretur, dictum de more prisci sermonis, singula ad vivum depingentis.

vv. 461—465. Causa, cur natos ex se liberos Cronus deglutiendo rursum in se reconderet, haec refertur, quod ita cautum volebat, ne quis alius de gente Vrani Deorum (Οὐρανιώνων) regnum eriperent ei, cui praedixissent Terra atque Vranus, fore, ut a filio domaretur. Promethei id oraculum fuisse, ait Clemens Hom. VI. 2. (T. I. p. 668. Ed. Cotel.), qui suos habuisse auctores potest; quamvis equidem eo pertinere non ducam Aeschyli locum in Prom. v. 993. Ed. Blomf. At Iovi simile quid praedicentem Prometheum inducit Aeschylus ibid. v. 793. Hesiodum sequitur Apollod. I. I. 15.

v. 465 spurius visus Guyeto, Heynio, Wolfio, uncinis inclusus a Gaisfordio ac Dindorfio. Tuiti illum sunt Goettlingius et Muetzellius. Conf. Varr. Lectt.

v. 468 seqq. Rhea, cum in eo esset, ut Iovem pareret, cum parentibus consilium iniit, quo, maritum ipsa in pariendo fallens et sic natum puerum ei subducens, ita simul viam sterneret ad repetendum ab eo poenas impii facinoris.

v. 472 seq. *τίσαιτο δ' ἐριννῦς πατρὸς ἑοῖο κ. τ. λ.*) *ἀποτίνειν ἐριννῦς* dicitur, qui poenas impii facinoris solvit. Vid. Il. Φ. 412. *τίσασθαι ἐριννῦς*, qui poenas s. ultionem talis facinoris exigit. Dicuntur autem *ἐριννύες τινὸς* immissae tam in aliquem, quam ab aliquo poenae. Dixit quidem Homerus Il. l. c. et Od. Λ. 279. *μητρὸς ἐριννύας* poenas a matre invocatas in filium: sed apud Sophocl. in Antig. v. 603. *Φρένων ἐριννὺς* est poena, quam patiuntur *Φρένες* posterorum Oedipi; apud Eurip. in Or. 1389 seq. *Περγάμων ἐριννὺς* est illata Pergamo pernicies ab Helena. Vtrius-

que exemplum hîc habemus, si construamus τίσαιτο ἐριννῦς παίδων *exigeret debitas filiis* (οὓς κατέπινε μέγ. Κρ. ἀγκ.) *et immissas quasi ab iis poenas* πατρὸς ἑοῖο *parentis sui*, posito ἑοῖο sic, ut Ἔργ. 58. Sed effecit impeditior constructio, ut offenderent VV. DD. ad h. l. Ἀνδρὸς ἑοῖο pro πατρὸς legendum censuit Guyetus, cui mox παίδων pendere visum ab intellecto ἕνεκα. Confirmari possit hoc Homerico Il. Γ. 366. τίσασθαι Ἀλέξανδρον κακότητος. At certe non sollicitandum πατρὸς, quod omnes habent Codd. Notatum Heynio versum 473 uncinis inclusere Wolf. Gaisf. Dind. et in alter. Ed. Goettl. Fit utique, remoto illo, planior constructio, quamvis sic quoque dubium maneat, sitne pueri pater Cronus, an Rheae pater Vranus intelligendus (conf. supra v. 185. 210.): sed versum agnoscunt Scripti mei quidem omnes, potestque, vel servato illo, πατρὸς ἑοῖο eo, quo diximus, referri. Retinendum omnino versum censuit Hermannus in Cens. Goettling., ceterum de genitivo παίδων nihil monuit, nescio an, quod hactenus Goettlingium probaret, cum Guyeto et L. Barlaeo intelligentem ἕνεκα. Genuinum versum etiam I. H. Vossius habuit, reddens, *strafen die schreiende that des Erzeugers*, *Da er die Kinder verschlang*. Scilicet ille πατρὸς ἐριννῦς sic accepit, ut olim L. Barlaeus, ex Hesychio exponens ἁμαρτίας. Similiter Heynio ad Il. Φ. 412. ἐριννῦς hîc sunt Croni immanitas, liberos devorantis, et in hunc sensum quoque antiquiorum interpretum plerique *furias patris contra filios* reddidere. Dubito equidem, an recte. Locum certe Veterum desidero, in quo vocabulum ea significatione exstet. Namque in omnibus, quos contuli, ἐριννὺς est, vel impii facinoris vindex Dea, vel poena impii facinoris, non facinus ipsum. Itaque expediendum locum potius ea, quam supra dixi, constructione censeam. Venit tamen aliquando mihi in mentem, v. 473. legendum esse παίδων θ' οὓς κα-

τέπινε, ut v. 472. πατρὸς ἑοῖο ad Rheam referendum sit, ultaque haec dicatur ἐριννῦς patris sui Vrani, quibus ille Cronum devoverat ob facinus supra memoratum v. 180 seqq. (conf. et v. 209.) et simul ἐριννῦς παίδων, quos Cronus devoraverat.

v. 477 seqq. Parituram Iovem Rheam parentes in agrum Cretae Lyctum misere. In Cretam Rhea cum venisset, natum ex ea puerum Terra, tanquam μαῖα, suscepit alendum ibidem educandumque (v. 477—479.) ἐδέξατο (v. 479.) proprio sensu dictum, ut semper apud Homerum et Hesiodum, non, quo I. H. Vossius accepit, promittendi. Rhea autem per noctem, quo magis falleret, abreptum in montana Lycti puerum (namque Lyctum, primum illa venit) ibi in sylvosi montis Aegaei antrum abscondidit (v. 480—484.); patri vero pro puero fasciis involutum lapidem devorandum dedit (v. 485 seqq.).

Mytho de Cretensibus Iovis natalibus originem dedisse videtur, quod in Graeciam ex Creta primum, vel maxime, delata est Iovis religio. Cum autem inde primum apud vicinos Cretae Peloponnesios invaluisset, altera fabula exstitit de nato in Messenia vel Arcadia Iove. Vid. Pausan. IV. 33. VIII. 38. Has fabulas ita in concordiam redigere studuit Callim. H. in Iov. 10 seqq., ut in Parrhasio monte Arcadiae natum, in Creta absconditum et educatum Iovem diceret. Cretenses fabulas habent etiam Strabo X. p. 468. Diod. Sic. V. 70. Eas secutus, Hesiodus etiam hoc inculcare voluit, apud Lyctum natum esse Iovem. Fuit Lyctus s. Lyttus ἀρχαιοτάτη τῶν κατὰ Κρήτην πόλεων secundum Polybium IV. 54. Conf. Hom. Il. B. 647. P. 611. Itaque probabiliter dicitur Lyctum primum delatus Iupiter. Mons Aegaeus ab uno memoratur Hesiodo h. l., cuius e narratione colligitur, montem eum non longe ab Lycto abfuisse. Erat

ipsa Lyctus loco edito sita. Vid. Steph. Byz. in v. Cum Aegaei montis appellatione probabiliter Schol. ad h. l. connexam existimat fabulam de Iove nutrito lacte *αἰγὸς*, caprae. Posterioribus magis memoratur Dictaeum antrum. Vid. Callim. H. in Iov. 4. Apollod. I. 1. 6. Virgil. IV. G. 152. Sed nec Dicte mons longe ab Lycto aberat et fortasse idem fuit mons Dictaeus atque Aegaeus.

Versum 479 et sequentem, Heynii suasu, uncinis inclusit Wolfius, sequentia *ἔνθα μὲν* glossam abunde arguere statuens. Secuti illum Gaisf. et Dind. Guyetus expungere maluit v. 481 et duo sequentes. Notat Muetzellius p. 481., quaeri posse huic opinioni praesidium ex eo, quod Schol. ad Arat. v. 33. tantummodo dicit, tradere Hesiodum, *τραφῆναι τὸν Διὰ ἐν Αἰγαίῳ ὄρει.* Neque tamen Muetzellius adfirmare quidquam vult in re ambigua. Goettlingius in pr. Ed. versus 479 seq. alîus esse statuit recensionis pro versibus 481 seq. Dissentit Hermannus in Cens. Goettl., quod sic v. 481. *ἔνθα μὲν ἴκτο φέρουσα* verbis *ὄπποτ' — ἤμελλε* repugnarent, cum priora haud dubie de nato iam infante intelligenda sint. Potius censet alteram recensionem ad versum usque 480 progressam, alteram versui 477 continuo versum 481 subiecisse. Movit, ut videtur, id Goettlingium, ut in Ed. alt. durius etiam de loco pronunciaret, versus 478—484 dicens se habere pro insertis a recentiore quodam rhapsodo, ne Cretae oblitus esse videretur Hesiodus. Equidem Guyeti rationem Heynianae praestare facile adsentior Muetzellio p. 101; ut item statuenti illi versum 483 saltem potuisse servari. Sed tamen animadverti velim, versu 485. *τῷ δὲ σπαργανίσασα μέγαν λίθον ἐγγυάλιξεν* rectius procedere post praecedentem de Rhea mentionem (v. 482.) *κρύψεν δέ ἑ χειρὶ λαβοῦσα*, quam, his remotis, post illa *τὸν μέν οἱ ἐδέξατο Γαῖα πελώρη*. In

summa nobis verissima videntur quae l. c. ipse subiicit Muetzellius: *interim tamen revocandus erit fortasse h. l. animus ab interpolationis suspicione. Nam, qualem quidem nos accepimus, poëtam in narrationum concinnitate et perspicuitate non multum operae posuisse, facile apparet. Itaque non uno loco factum est, ut, quum primum rem omnem breviter enuntiasset, eandem deinde enucleatius illustraret.*

v. 481. *Φέρουσα* Goettlingius esse vult *ἐν γαστρὶ Φέρουσα.* Vellem exempla attulisset verbi, illa significatione sic nude positi.

v. 482. *κρύψεν δέ ἑ*) absconditi Iovis cum mentione tradentis id Hesiodi meminit Porphyrius apud Schol. BD. ad Il. O. 21. p. 410.

v. 487. *εἰὴν ἐγκάτθετο νηδὺν*, deglutiens in ventrem abdidit. Conf. infra v. 889. *Λίθον καταπινόμενον ὑπὸ Κρόνου* ab Hesiodo tradi memorat item Porphyrius l. c.

v. 490. *ὅ μιν — ὁ δ' ἐν, qui illum — et ipse.*

v. 492 seqq. Proprium Diis, ut cito adolescant. Vid. H. Hom. in Merc. v. 17 seqq. Callim. H. in Iov. 55 seq. Itaque anni spatio (conf. dd. in Varr. Lectt.) adultus, Iupiter patrem suum dolo aggressus est, consilium ei suggerente Terra. Qualis dolus fuerit, ab Hesiodo non dicitur. Tradit Apollod. I. III. pr., Iovem adultum adiutricem sibi sociasse Metidem, Oceani filiam; ab hac datum Crono emeticum coëgisse eum ad evomendum primo lapidem, deinde liberos, quos in ventrem demiserat. Haec si antiqua et Hesiodo nota fuit fabula, potest ille statuisse de Terrae consilio sociam Iovem sibi adscivisse Metidem,

quam Rex factus etiam uxorem duxit. Conf. infra v. 886 seqq. Sane, cum suos liberos evomuisse dictus esset Cronus, facile eo deventum est, ut diceretur ad hoc coactus fuisse *φαρμακῷ*.

v. 492 et sequentes novem subdititios censuit Guyetus, uncinis inclusit Wolfius, cuius facti tamen eum postea poenituit. Facio equidem cum Heynio, abesse illos, si narrationis ordinem spectes, non posse arbitrato. In eodem autem hoc loco quaedam excidisse statuit post Wolfium Muetzell. p. 479 seqq. ob locos Platonis de Republ. p. 377 seq. Euthyphr. initio, Luciani Saturn. c. 5. Dionis Chrys. I. p. 443., memorantium, ab Hesiodo et Homero tradi vinctum a filio Cronum deiectumque in Tartarum fuisse. Mihi secus videtur. Respiciunt Auctores citati non hunc locum, sed infra v. 716 seqq., ubi vincti deiectique in Tartarum Titanes memorantur, versumque 850, ubi memorantur iidem *ὑποταρτάριοι*, *Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες*, et his congruos Homeri locos Il. O. 479 seq. Ξ. 207 seq. O. 225., ubi item diserta fit Croni in Tartarum deiecti sedentisque ibi mentio.

vv. 497—500. Prope templum Delphicum adscendentibus inde ostendebatur lapis non magnus, quem singulis diebus, maxime autem festis, oleo perungi lanaque velari moris erat. Narrans id Pausanias X. 24. addit, opinionem invaluisse, hunc esse lapidem, qui datus Crono fuerit pro filio, quemque ille rursum evomuerit. Lapidem hunc a Graecis appellatum fuisse *βαιτυλὸν*, tradunt Hesychius et Etym. M. in v. nec non Priscianus apud Putschium p. 647. extr. et 747. 14. Certe lapis fuisse videtur e genere *βαιτυλῶν*, ita quondam apud Delphos ex coelo lapsus, ut illi in Syria, quorum meminit Damascius apud Photium p. 1062. Hoc, ut priscae religioni Delphensium, ita locum dedisse fabulae

potest, cuius h. l. et apud Pausaniam facta mentio est, ut sic ad Cretensem mythum adaptarentur Delphicus lapis et religio.

v. 501 seqq. Suprema Iovis potestas fulmine praesertim censebatur, eoque maxime creditus est praevaluisse. Conf. vv. 458. 689 seqq. Itaque poëtae declarandum erat, unde ei fulmen, quod Cronus non habuerat. Scilicet opifices fulminis Cyclopas Cronus pravo consilio vinxerat. Hos Iupiter solvit. Itaque hi memores gratiam ei beneficii retulerunt, datis tonitru, fulmine, fulgure, quae prius cum ipsis sub terra latuerant. Conf. supra v. 141. Tradit Apollod. I. II. 1., vaticinio Terrae promissam fuisse Iovi victoriam, ἐὰν τοὺς καταταρταρώθεντας ἔχῃ συμμάχους: Iovem inde Cyclopes liberasse Tartaro. Conf. idem I. I. 5. Versu 502. πατὴρ idem est, qui in πατροκασιγνήτους intelligitur; itaque Iovis pater. Οὐρανίδας quin Cyclopes intellexerit poëta, Coelo Terraque prognatos, dubitari vix potest, collatis cum hoc loco versibus supra 139—141. De Centimanis item cogitasse hîc Hesiodum, ut Wolfio visum ob versus infra 617 seqq., haud equidem puto, cum adiuverint illi quidem Iovem, at non, ut hîc dicitur, δῶκέν οἱ βροντὴν κ. τ. λ.

Ceterum Wolfius haec (v. 501—506.) nimium quantum abrupta et sine dubio manca pronuntiavit: tum, de obscuritate loci questus, eam haud dubie e mutilatione ortam dixit. Sed obscuritatem hîc adesse haud sane comprobatur eo, quod vocabula Οὐρανίδας et πατὴρ male interpretati sunt nonnulli. Rectius illa acceperat iam Guyetus et ante eum Scholiasta. Neque, si quid ad planam fabulae explicationem deest, continuo hinc efficitur, locum esse mutilum. Denuo mihi monendum est, non continuam hîc Deorum historiam tradi, neque in tam antiquo carmine per-

fectam artis concinnitatem quaerere nos debere. Quod autem Goettlingius, non esse haec Hesiodea, declarari putat vocabulo Οὐρανίδας, quo de Cyclopibus uti poëta non potuerit, quippe ex eius sententia, versibus 139. et 147. enuntiata, genitis Tellure sola, nobis operose refutandum non videtur, cum eam esse Hesiodi in illis versibus sententiam, neminem facile concessurum arbitrer Goettlingio. De vinctis a Crono Cyclopibus, ab Iove solutis, consentanea Hesiodeis habet Schol. ad Aeschyli Prometh. v. 958., citatus a Muetzellio p. 481.

v. 507 seqq. enarratur Iapeti stirps, ipsa quoque, ut Cronus, praepotentem Iovis vim, praevalidumque consilium experta, quamobrem commode poëta hunc esse ei stirpi locum in Theogonia post superiora v. 492—506. voluit. Ab Iapeto genus suum Hellenes repetebant, populus ab Septentrione in Graeciam advena, sed Asiaticae originis, quod ipsae fabulae Hellenum arguunt, multa habentes primaevis Orientis traditionibus similia, ut, quam mox Hesiodus refert, de femina malorum omnium fonte hominibus. Conf. Ἔργ. 90 seqq. Omnino pertinuerunt hae fabulae ad primaevam humani generis historiam, quae sermone mythico Hellenum per allegoricas fere declarata fuit personas. Sic duo inducti fratres, alter prudentia, alter scaevitate insignis; translatisque in Graeciam Iapetidarum mythis nomina his fratribus ab re facta sunt Graeca, Prometheus et Epimetheus. Ab illo ignem inventum, aliaque bona hominibus orta perhibebant; ceterum, quominus hi plenum inde fructum perciperent, Epimethei, feminam recipientis, stultitia factum esse. Sed praeter Prometheum Hellenibus ob merita celebrabatur e mythica aetate alter, ab indefessa industria Graeco nomine Atlas dictus. Hic cum item inventis, praesertim, ut videtur, astronomia et navigandi arte clarus ex-

stitisse ferretur, hinc prisco sermone frater dici potuit Promethei; cumque Prometheus, Epimetheus, Atlas, antiquissimo tempore fuisse ferrentur, hinc, ut videtur, filii dicti sunt Iapetī, quem primum generis sui auctorem Hellenes praedicabant: quod, ut in tribus illis, ita etiam in quarto factum, quem superbum et contemtorem Deorum, ob id fulmine ictum, mortem, οἶτον, subiisse, vetus Hellenum fama obtinebat.

De uxore Iapeti cum nulla certa memoria exstaret, data ei ab aliis alia, ab Hesiodo (v. 507.) non inepte filia Oceani, Κλυμένη (*inclyta, magni nominis*), quocum faciunt Schol. ad Aeschyli Prom. v. 347. Hyginus in praef. Servius ad Aen. I. 745. Sed Iapeto coniux, Prometheo mater Asia tribuitur apud Apollod. I. II. 3. Lycophr. 1283. (ubi vid. Tzetz.) Schol. ad Apollon. Rhod. I. 444., quam Promethei coniugem esse statuit Herodotus IV. 45. Secundum Aeschylum autem Promethei mater Themis fuit; secundum alios, Proclo teste ad Ἔργα 99., Asope. Habita autem Clymene Promethei coniux a quibusdam. Vid. Schol. Ambros. ad Hom. Od. K. 2.; Solis uxor ab aliis. Vid. Ovid. I. Met. extr. Sed ex ea Coeloque genitum Prometheum tradunt Schol. ad Aratum v. 254. Similiter Atlantem, Coeli filium, Croni fratrem perhibent Atlantei mythi apud Diod. Sic. IV. 66. at Iapeti filium, sed ex Aethra Oceani filia Timaeus in Schol. ad Il. Z. 486., Libyae filium Plinius VII. 56., Aetheris et Diei filium Servius ad Aen. IV. 247. Sed, ut Hesiodus, Iapeti filium, idem, vel potius alius Grammaticus ad Aen. I. 741.

v. 511 seqq. de Epimetheo quae leguntur, Muetzellius p. 481. aut mendosa esse censet ac recens deturpata, aut a Criticis veteribus tolerari saltem non potuisse, cum uberiori fabulae traditioni, quae in Operibus circumfertur,

nequaquam conveniant. Videtur ille maxime offendisse ad πρῶτος (v. 513.), quod tamen, me iudice, commodam interpretationem recipit. Scilicet ἀνδράσιν ἀλφηστῆσιν, h. e. iis, qui arte et labore sibi victum quaerunt, ab initio noxae Epimetheus exstitit, quoniam ad eum primum perducta, ab eoque, ut traditur etiam Ἔργ. 84 seqq., recepta est mulier eius generis, quale natum ex ea deinceps fuit, quaesita a viris industriis bona absumens. Vide infra v. 590 seqq. Muetzellio autem παρθένον, quamquam nullum habens sententiae momentum, principio tamen versus collocatum ita, ut enuntiati simul faciat clausulam, et ipsum iustam movere suspicionem videtur: sed agnoscunt vocabulum omnes Codices, poëtamque in hac παρθένου mentione sibi placuisse, testantur Ἔργ. v. 63 et 71. infra v. 572.

vv. 514—516. Dicitur apud Apollodorum I. II. 3. et Schol. ad Aesch. Prom. v. 347. 397. Menoetium κεραυνώσας ἐν τῇ Τιτανομαχίᾳ Ζεὺς καταταρτάρωσαι, quod num item voluerit Hesiodus, incertum est. Equidem antiquissimam fabulam aliud spectasse arbitror. Incertum quoque, utrum a Titanum partibus stetisse Menoetium, alicubi invenerit Apollodorus, an vero id tantummodo collegerit ex Hesiodi verbis hoc loco. Nunc quidem Menoetium alibi memoratum vix invenias.

vv. 517—520. Poëta, Atlantem nobis exhibens capite ac manibus sustinentem coelum, haud dubie gigantis sibi illum informavit imagine, non montis. Similiter Homerus, apud quem Od. A. 52 seqq. dicitur Calypso Ἄτλαντος θυγάτηρ ὀλοόφρονος, ὅστε θαλάσσης Πάσης βένθεα οἶδεν· ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς Μακρὰς, αἳ γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι: quamquam ibi Atlas non tam coelum capite et manibus, quam columnas coelum fulcientes aliqua ratione tenens vel

sustinens inducitur. Apud Aeschylum in Prom. 349. dicitur idem κίον' οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς Ὤμοις ἐρείδων, quem poëtam si statuas κίον' οὐρανοῦ dixisse montem in Mauritania, sicut montem illum accolae dixere, teste Herodoto IV. 184., sicut etiam Pindarus Pyth. I. 36. Aetnam κίονα οὐρανίαν dixit, vel sic videbitur tamen Aeschylus quoque diversum a monte sibi Atlantem informasse, cuius quippe humeris columna illa coeli fulciretur. Atlantis χάλκεα νῶτα in hac re memorat Euripides Ion. princ. In Heracleis etiam similiter exhibitum fuisse Atlantem, indicat Apollod. II. IV. 11. Eum cum monte confuderunt demum recentiores (ut Virgilius IV. Aen. 246 seqq. splendido loco), cum invaluisset etiam traditio, quam retulit Ovidius IV. Met. 620 seqq. de Atlante in montem mutato, cum Perseus ei caput Gorgonis obiecisset. Quod autem Hesiodo coelum sustinere Atlas dicitur κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης (v. 517.), imposita hac ei sorte ab Iove (v. 520.), ex eo coniicias, statuisse poëtam, poenae datam hanc Atlanti sortem, cum aliqua re Iovem offendisset, quod utique statuisse videntur etiam Aeschylus l. c. et Pindarus Pyth. IV. 515. Atlanti, qui dux fuisset Titanum, coeli fornicem super humeros imposuisse Iovem, Hyginus fab. CL. tradit et huc referunt Grammatici epitheton ὀλοόφρονος apud Homerum l. c., aliis tamen exponentibus περὶ τῶν ὅλων φρονοῦντος, ἢ ὑγιεῖς τὰς φρένας ἔχοντος et hinc cum Cleanthe Stoico reponentibus ὁλοόφρονος vel ὁλόφρονος, quod scilicet adiecta ὅς τε θωλάσσης κ. τ. λ. Homerum laudare Atlantem voluisse arguant. Sane faciunt illa ad exactissimam in Atlante maris rerum cognitionem declarandam, quo nescio, an pertineat etiam, quod cum Homerus patrem fecit Calypsûs, in maris insula degentis Nymphae. Neque tamen eo minus aliqua de causa ὀλοόφρονα dicere Atlantem potuit. Apud Hesiodum infra 938. Ἔργ. 381. pater Atlas dicitur Pleïadum, quibus, ut

earum matri Plëionae (vid. Apollod. III. X. 1.), nomen haud dubie factum est a *πλεῖν navigare*. Itaque tam inde, quam ex Homero liquet, veterem de Atlante fabulam etiam hanc fuisse, qua illum siderum observationem et coelestium rerum cognitionem primum ad geographiam et rem nauticam adhibuisse perhibebant. Vid. Diod. Sic. III. 60. Virgil. I. Aen. 741 seqq. (ubi magister Atlas fuisse Iopae dicitur, non cantûs, sed coelestium rerum, de quibus Iopas canit) Plinius H. N. II. 8. VII. 56. Clem. Alex. Strom. I. p. 132. Serv. ad Virgil. l. c. Erat, Pausania teste IX. 20., apud Tanagram ad mare vicus, Poloson dictus, ubi consedisse olim Atlas ferebatur, rebus coelestibus ac subterraneis perscrutandis intentus, quae traditio arguere videtur, domesticum ei loco, nisi Atlantem, certe de Atlante mythum fuisse. Tanagraeus quidem ferebatur etiam Atlantis ex Alcyone nepos Vrieus et omnino fabulae de filiabus Atlantis earumque posteris, tractatae a Pherecyde in Atlantide (vid. Schol. ad Il. Σ. 486.), ita Graeciae vel finitimis regionibus Atlantem vindicant, ut certum videatur, antiquiores Graecos, Atlantem ex iis oris aliqua ratione in Africam delatum, non quod posteris placuit, origine Libyn habuisse. Vid. Clem. Al. Strom. I. p. 362. Hesiodus quidem eum durissimae sorti subiectum ab Iove facit in extremis terrae finibus, *πρόπαρ Ἑσπερίδων λιγυφώνων* (v. 318.), similiter Aeschylus et alii. Homerus autem, quamvis, quomodo Atlas eam sortem nactus sit, non dicat, tamen praedicando peritiam eius in marinis rebus, indicium praebet, unde colligas, eum per mare delatum illuc, ubi erant sustinendae illi Coeli columnae: ac puto equidem, omnem hanc fabulae de Atlante partem fundum habuisse in antiquiore quadam, cuius apud Graecos servata memoria fuerit, expeditione navali ad montem usque Atlantem perducta, cui tum Graecum illud nomen (aliter enim, teste Herodoto

IV. 184. dicebatur ab indigenis,) attributum fuerit in honorem sive eius, qui expeditionem duxerat, sive antiquioris Atlantis, cuius maxime inventis incrementa res navalis ceperat; hinc autem, cum mons ille coelum attingere videretur, quod montis esset, paullatim coeptum esse ei tribui, a quo mons dictus. Et vero, si tumulatum sub eo monte fuisse ducem expeditionis statuamus, potuit ille mythico sermone dici *κίονα οὐρανοῦ ἔχειν* et hinc, innixum quasi illi fulcro, coelum ipsum sustinere. Namque mihi quidem probabilior ea ratio explicandi fabulam videtur, quam si cum Veterum nonnullis statuamus, Atlantis divinam coelestium cognitionem earumque rerum in monte observationem paullatim ad eum errorem fabulae traductas. Vid. Cicero T. Q. V. 2. ibique Davis.

Versûs 517 principium citat Etym. M. p. 164. 27. Ex Procli in Timaeum Commentario p. 53. 29. fere colligas, versum 517 et sequentis principium etiam in Orphicis fuisse. Conf. Fr. Orph. XXXV.

v. 518. Dicuntur hîc, ut supra v. 275., Hesperides *λιγύφωνοι* (dictae eaedem ab Eurip. in Herc. Fur. v. 394. *ὑμνῳδοὶ* et Hipp. v. 743. *ἀοιδοὶ*) ut inducitur apud Homerum Circe canens Od. K. 221. Mire Goettlingius exortum e Ligyum nomine vocabulum statuit et Hesperides in Ligyum regione habitasse vult. Alia profecto suadent supra v. 274 seq.

v. 519 addititium censuit Guyetus, nescio, an offensus mentione manuum Atlantis, cum ipsi montis imago obversaretur, qualis descripta est a Virgilio IV. Aen. 247 seqq., in qua probabiliter memorari caput et humeri, non item manus poterant.

vv. 521—615. Narrati his versibus, mythi summa huc, ni fallor, redit. Disceptabant inter se Dii atque homines Meconae (v. 534 seq.). Disceptatum de sacrificiis fuisse ex ipso poëta nostro colligas (v. 535—556.). Ex Hygino autem P. A. II. 15. discas, fuisse disceptatum de eo, quaenam pars victimae Diis, quaenam hominibus cederet. Prometheus, arbiter, ut videtur, electus, sed clanculum hominibus favens, bovem mactatum sic divisit, ut in altera parte carnes et pinguia viscera, ventre bovino tecta, in pelle reconderet, in altera autem ossa bovis poneret, sed super ea multam arvinam (v. 535—540.), cumque Iupiter iniquam partium divisionem argueret (v. 541—544.) quod ea portio, in qua erant ossa sub arvina, longe alterâ maior videbatur, liberam ei Prometheus optionem dedit, quippe sperans fore, ut Iupiter, optione data, portionem eligeret specie maiorem ac meliorem et egregie sic falleretur, sub adipe nihil inventurus praeter ossa (v. 545—548.). Iupiter, tametsi dolum subesse non ignorabat, maiorem tamen portionem sibi sumsit, hoc agens, ut, Promethei fraude patefacta, causam nancisceretur et illum et homines, cum Diis disceptare ausos, puniendi (v. 549—551.). Ceterum, ut apparuerunt ossa, confestim dictis iram suam in Prometheum expromsit (v. 552—554. 557—560.). Porro, tametsi sortes, ut erant, reliquit, unde mos hominibus ossa Diis adolendi (v. 555 seq.), attamen ignem abscondendo fecit, ut nullum homines ex carnibus et extis, quae sortiti erant, capere vitae fructum possent (v. 561—563. Coll. Ἔργ. 50.). Prometheus autem ignem, ab Iove furatus, in cava ferula, hominibus reddidit (v. 564—566.). Iupiter vero hoc bonum statim iis novo malo compensavit. Namque, iubente eo, Vulcanus quidem ex terra et aqua formavit, Pallas autem porro adornavit virginem, ex qua, per Epimetheum inter homines recepta, muliebre genus existeret, multorum

iis malorum causa (v. 569—611.). At Prometheum ipsum Iupiter iratus, quod secum consilio et astutia contendisset, validissimis compedibus ad columnam alligavit, eique sic aquilam immisit, eius ad comedendum iecur, cuius immortali natura fiebat, ut quantum die depavisset aquila, tantum nocte recresceret (v. 612—615. 521—524.). Ab hac peste Prometheum liberavit demum Hercules Thebanus, permittente illud Iove in filii sui gratiam, quippe cuius gloria hoc facto augeretur (v. 526—533.).

Poenae, Prometheo inflictae, locus ab Hesiodo non indicatur; ab Aeschylo in Prometheo Vincto princ. designatur Scythia, sed ab eodem, ut ex Cicerone liquet T. Q. II. 10., in Prometheo Soluto, disertius indicatus fuit Caucasus, quam traditionem ferme amplexi sunt recentiores. Apud Hesiodum h. l. ad columnam ligatus fuisse traditur Prometheus, apud Aeschylum ad petram, sive saxum, et quidem *διατόροις πέδαις*, adacto per pectus eius cuneo, transverberatus (Prom. 65. 67. Conf. Cicero l. c.) quibus indicari videtur, Aeschylum verba Hesiodi (v. 522.) *μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας* accepisse *μέσον* (Prometheum) *διελάσας* (*ἐν*) *κίονι*. Conf. Apollod. I. VII. 1. Sed simplicius est, ut iungamus *μέσον κίονα διελάσας*, de quorum tamen sententia verborum dubitatio esse potest. Docet Scholiasta ad h. l. fuisse, qui acciperent de palo, ad medium in terram adacto, quominus scilicet convelli posset: sed habet idem aliam explicationem, fuisse ad mediam columnam vinctum Prometheum, quae non dubie verior in universum habenda est, tametsi ipsa quoque varie potest accipi. Mihi, quod in annot. ad h. l. censuit Heynius, fuisse vincula ipsa mediae columnae iniecta et circumducta, non satis referre videtur vim verbi *διελάσας*. Immo constringentia Promethei corpus vincula, quo firmius haererent, columnae impacta fuisse putem mediae, ut in ea pendens supplicium lueret Prometheus, quod

idem video postea placuisse Heynio, ad Il. O. 15. recte comparanti Ἡσιόδου ψυχὴν πρὸς κίονι χαλκέῳ δεδεμένην apud Diog. Laërt. VIII. 21. Vincula mediae columnae infixa intelligenda duxit etiam Hermannus in Censura Goettlingianae.

Prometheum *adfixum Caucaso* memorat Cicero T. Q. V. 3. hoc quoque ad divinam in eo coelestium cognitionem referens, quam scilicet, ut explicat Servius ad Virgil. Ecl. VI. 42. *in altissimo monte residens, nimia cura et sollicitudine deprehenderat.* Conf. Aeschyl. Prom. 457 seqq. Aquilam ad curas referunt etiam Schol. et Allegor. ad h. l. Sane, ut figurato sermone *cura edere*, seu *rodere cor, iecur, animum* dicitur, ita potuit mythico sermone in hac re pro cura memorari aquila, vel alia quaedam avis de rapacibus, quod in Tityo factum vult Lucretius III. 1005 seq. Fluvium Αἰετὸν dictum, Promethei Scytharum regis agros abrodentem, minus probabiliter commenti sunt Herodorus et Agroetas, veteres historici, teste Scholiasta Apollonii Rhodii ad II. 1248. cui sua debet Eudocia p. 346 seq. Ceterum omnes, qui fabulam interpretati sunt, Scythiam Prometheo patriam tribuerunt, quod, tametsi alienum haud dubie fuit a mente Aeschyli, apud quem Prometheus eo tanquam in exsilium deducitur, nec fortasse magis congruit cum mente Hesiodi, qui Prometheum induxit, ante poenam obversantem Meconae, nihilominus aliquam veri speciem habet, quatenus Iapetidarum antiquissima sedes fuit subiecta Caucaso ad meridiem regio, unde primum in Pontum ac Scythiam, hinc migrando deinceps in Thraciam, Macedoniam, Thessaliam venerint. Horum hominum in Graeciam advenarum traditiones necessario multa habuerunt, unde Scytho-Asiana ipsorum origo agnosceretur, ut proinde Caucasi et Scythiae mentio in rebus Promethei non magis mirationem facere debeat, quam pater ei tribu-

tus Iapetus et connexae cum ipsius mytho traditiones, vetustissimis Asianis similes, de fictis e luto hominibus, de muliere malorum fonte, de diluvio, quod sub Promethei filio Deucalione fuerit. Lapsu autem temporis factum, ut magis magisque Graecum habitum induerent hae fabulae et, tum Graeca acciperent personarum nomina, tum et rerum, tanquam in Graecia gestarum, pro vera substitutam mentionem. Itaque habitus ille prisci filius Iapeti dictus est Prometheus et certasse astutia cum Iove creditus Meconae; prima mulier Pandora audiit, eaque mater habita est Pyrrhae Deucalioni nuptae, qui, servati e diluvio, in Thessalia regnaverint. Sed etiam mythis veteribus lapsu temporis accesserunt multa. Sic de Aquila, Promethei iecur comedente, fabulam equidem antiquissimam fuisse puto, multo autem serius adiectam alteram super interfecta illa ab Hercule aquila, cum inter feras, ab Amphitryonis filio occisas, etiam aquila fuisset et hanc vulgi vel poëtarum fabula aquilam interpretata esset Promethei. Sane, quod ab Hesiodo dicitur (v. 529 seqq.) in Herculis gratiam permisisse Iupiter, ut peste illa Prometheus liberaretur, hoc aliis dictus est ob aliquod Promethei in se meritum fecisse. Vid. Lucianus D. D. I. extr. Neque cum Hesiodo prorsus consentit Apollod. II. V. 11. § 12., qui secutus recentiorem videtur Heracleam, ut antiquiorem Hesiodus. Liberati Promethei gloriam ad alium Herculem referebant Caucasi accolae, teste Philostrato V. A. II. 3.

v. 521 citant Etym. M. p. 71. 34. Draco Stratonic. 12. 4. et 64. 9. Choeroboscus apud Bekker. p. 1182. Lascaris Gr. Gr. l. III. A. II. f. v. Ed. Ald. Respicit hunc versum, item 523. et infra v. 614 seqq. Scholiasta Apollon. Rhod. II. 1249.

Iudice Muetzellio p. 484. Buttmannus Gr. Gr. T. II.

p. 398. Codicum, *δῆσε δ'* exhibentium, recte auctoritatem vituperat idcirco, quod cum v. 521. ad primariam narrationis continuitatem redeat oratio, intempestive illa ex eo enuntiato nexa est, quod secundarium tantum est et prope adventitium. Id equidem concedere non possum. Voluit poëta ostendere, omnes Iapeti filios gravem expertos in se vim Iovis, Epimetheum recepta ab eo muliere, multorum malorum effectrice, Menoetium, detrudente eum in Erebum fulmine, Atlantem, necessitate imposita coelum sustinendi, Prometheum vinculorum et aquilae supplicio. Itaque commode post v. 520. *ταύτην γάρ οἱ μοῖραν κ. τ. λ.* subiicitur *δῆσε δ' ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα π.*, neque fit ita reditus ad superiorem de muliere, ab Epimetheo recepta, narrationem, sed, post memorata huius Menoetiique et Atlantis fata, subiicitur de Prometheo narratio. — Ceterum male in Varr. Lectt. Buttmannum inter eos recensui, qui versus quosdam excidisse putarent. Statuit ille, admissa Draconis scriptura *Δῆσας ἀλυκτ.*, omnem dictionis molestiam tolli. Video etiam Goettlingium in altera Editione sententiam de versibus, qui exciderint, vel reponendo in v. 520. *σφίσι* pro *οἱ* in v. 521. *δῆσας ἀλ.* pro *δῆσε δ' ἀλ.* in priore Editione ab se proditam, haud repetendam duxisse, obsequentem sic Hermanno, prorsus improbanti Grammaticorum *δῆσας*.

v. 532. *ταῦτ' ἄρα ἀζόμενος τιμᾷ ἀριδείκετον υἱόν*) Omnes inde a Basileensi Interpretes *ταῦτ' ob id* reddiderunt, quasi positum sit pro *διὰ ταῦτα*. Recte autem Muetzellius p. 90. hanc fuisse non Epicorum ait, sed Atticorum consuetudinem. Videtur ipse *ταῦτα* iungendum censuisse cum *τιμᾷ*, ut *ἀζόμενος* deinde pariter atque illud ad *ἀριδείκετον υἱόν* pertineat. Reddit scilicet: *tantum gnato Iupiter tribuit honorem, plurimi illum aestimans*. Malim equidem: *pietate in*

illum ductus. Cum enim ἄζομαι proprie reverentiam ex pietate notet (vid. ex gr. Il. A. 21. Od. I. 200.), quidni possit etiam ad pietatem seu voluntatem in filium paternam revocari? Conf. citatus a Muetzellio locus Q. Smyrnaei Paralip. I. 189.

v. 534 seqq. Dicta Mecone antiquitus, quae postea Sicyon, testibus Strabone VIII. p. 382. Stephano Byz. v. Σικυών. Schol. Pindari ad Nem. III. 123. Cum autem haec inter antiquissimas fuerit urbes Graeciae, veterique tum regno, tum Deorum cultu prae ceteris inclyta (vid. Pausan. II. 5 seqq. Callim. in fr. apud Schol. Pind. l. c.), mirum haud potest videri, quod antiquae famae res, ad cultum Deorum pertinens, Sicyone gesta perhibetur. Quin et vero simile videri debet, reapse aliquando actum fuisse Sicyone de religione Graeciae constituenda, ut, cum antea Graecorum populi alios alii Deos coluissent, definiretur, qui Dii iam communiter ab omnibus Graecis colerentur, item, quo potissimum nomine singuli et quibus honoribus. Fuerit hic κλῆρος ὁ μυθευόμενος ἐν Σικυῶνι, quem dicit Heraclides Alleg. c. 41., unde sua hausit Schol. Ven. ad Il. Ω. 18. Nam potuerunt poëtarum sermone dici Dii sortiti esse honores, qui tunc iis certi ab hominibus, aliis alii, constituti sunt. Fuerunt inter hos haud dubie sacrificia, tum alia, tum in primis victimarum, qualia non semper in usu fuisse constat, et de quibus disceptatio esse potuit, num omnino, vel quatenus essent facienda Diis, cum quidam totas iis adolerent hostias, alii partes earum sibi ipsis reservarent. Praeferendum visum est posterius, ea partium distributione facta, ut nisi maior, certe melior pars cederet hominibus. Huius autem callidi commodique hominibus inventi gloria amplior visa est, quam ut homini tribueretur, cumque non posset de more tribui Minervae, quippe quae ipsa una esset

de Diis, quibus offerenda erant sacrificia, Titanis Promethei providae faventique hominibus solertiae ritum ita partiendi victimas acceptum referendum esse duxerunt. Scholiasta rem, quae hîc narratur, gestam dicit *μετὰ τὸν πόλεμον*, hoc est, post bellum, quo Iupiter Titanas vicerat, idque et ego putem ex Hesiodi narratione posse colligi, sicut etiam hoc, quod disertius traditur in Aeschyli Prom. v. 199 seqq., Prometheum, futuri eventus providum, Iovis potius, quam Titanum, sequi maluisse partes. Itaque causa intelligitur, cur in disceptatione Meconae Iupiter arbitrum esse voluerit Prometheum, in quem iram concepit demum ob dolosam victimae partitionem et magis deinde ob surreptum ignem. — Pro uno magno bove, quem Hesiodus v. 537. memorat, Hyginus P. A. II. 15. Prometheum duos immolantem facit, quorum cum iocinora primum in ara posuisset, reliquam carnem ex utroque tauro, in unum compositam, corio bubulo texerit, collocatis ab altera parte eorundem ossibus, reliqua pelle contectis. In uno bove acquiescit Schol. ad Aesch. Prom. v. 11., ceterum referens, id egisse Prometheum, ut Iovi ossa, ceteris Diis carnes cederent. Vult autem Lucianus in Prom. c. 3., illam carnium portionem Prometheum sibi ipsi destinasse.

v. 534 suppositicium censuit Guyetus, causa iudicii non reddita, quae neque idonea inveniri potest. Conf. Muetzell. p. 100.

Inter hunc versum et sequentem aliquando versum unum alterumve fuisse intersertos, quorum sententiam augurari liceat e verbis *θνητὸς ἐὼν* in Cod. Scholiorum Cantab. Ed. Bas. p. 258., vereor, ut recte colligat Muetzell. p. 485 seq. Mihi verba illa non videntur esse lemma; sed a Scholiasta, Christiano homine, scriptum fuisse: *καὶ γὰρ ἤριζεν ὁ ἄν-*

θρωπος ὅμοια ποιῆσαι τῷ θεῷ, θνητὸς ὤν, quibus accurate nexa sint θνητὸς γὰρ θεὸς ὁ ἄνθρωπος.

v. 535 cum principio sequentis citat Schol. ad Pind. Nem. IX. 123., unde etiam confirmatur ἐκρίνοντο, quod in mendo cubare temere suspicatus est Wolfius. Conf. Hyginus l. c.

Posteriorem versus partem, qua cum Diis disceptasse θνητοὶ ἄνθρωποι dicuntur, Heynius Comment. ad Hom. T. VII. p. 38. statuit interpolationi deberi, cum aliud praedicatum Deorum subiectum esset, ut antea v. 111. οἵ τ' ἐκ τῶν ἐγένοντο θεοὶ, δωτῆρες ἐάων· Ὡς τ' ἄφενος δάσσαντο καὶ ὡς τιμὰς διέλοντο et v. 882. ἐπεὶ μάκαρες θεοὶ — Τιτήνεσσι δὲ τιμάων κρίναντο βίηφι, quippe eo Scholia ad h. l. ducere et Schol. Pind. l. c. Sed, cum inter Deorum honores (τιμὰς) in primis sacrificia censeantur, eaque offerantur ab hominibus, recte utique memorantur hîc θνητοὶ ἄνθρωποι. Conf. infra v. 552. 556.

v. 536. Mecones mentionem in Theogonia factam ab Hesiodo testatur Eustathius ad Il. p. 191.

Πρόφρονι θυμῷ i. e. *animo in id intento, ut Iovem falleret.* Conf. Ἔργ. 665.

v. 537. ἐξαπαφίσκων accipe *fallere studens* ob versum infra 557.

v. 538. 540. τῷ μὲν — τῷ δ' i. e. *hic — illic*, ut est οὗ *eo loco, ubi.*

v. 539. diversa sunt ῥινὸς et γαστὴρ βοεῖα. In illo collecta, hoc adoperta erant pinguia viscera et carnes.

v. 540. *ὀστέα λευκὰ β. δ. ἐ. τ.* ex hoc versu et verba *ἀργέτι δημῷ* ex sequente citantur a Clem. Alex. Strom. VII. p. 716. C.

v. 541. *εὐθετίσας* i. e. tam scite dispositis omnibus, ut ossa penitus laterent sub arvina.

καλύψας ἀργέτι δημῷ ex h. l. citat Lucian. in Prom. c. 3. Respicit idem locum D. D. 1. de Merc. Cond. c. 26. et Ad eum, qui dixit: Prom. es in verb. c. 7. Conf. Proclus ad *Ἔργ.* v. 48.

v. 549. Liberam Iovi optionem permittendo voluit Prometheus etiam de se querendi facultatem ei praeripere, qui sane fraudem eam ultus non est, sed demum ob ignis furtum poenas de Prometheo sumsit.

v. 551. In *γνῶ ῥ', οὐδ' ἠγνοίησε δόλον* non otiosa est tautologia. Valet enim: novit, neque, ut Prometheus speraverat, ignoravit. At vero illud non pro divina cogitatione fecisse Iovem, sed se decipi passum a Prometheo, tradit Hyginus l. c.

vv. 556 seq. suspectos habuit Heynius, quod ossa victimarum in aris concremata usquam fuisse, legere se non meminisset. Invalidum hoc argumentum merito insectatus est I. H. Vossius Epp. Mythol. II. p. 308. Locum, ut Hesiodi, citat Clem. Alex. Strom. VII. p. 304., tum et ea ex Pherecrate, Menandro aliisque poëtis adfert, unde certo colligas, omnino Diis concremata fuisse ossa, quae *ἄσαρκα* adeo fuisse dicit incertus poëta apud Clem. d. l. Porphyr. de Abstin. II. § 58. Cyrill. adv. Iulianum IX. p. 306. Nec temere est, quod *μηρία* Grammatici *τὰ μηριαῖα ὀστᾶ*, vel *τὰ ἐκ τῶν μηρῶν ἐξαιρούμενα καὶ ἱεροθυτούμενα ὀστᾶ* in-

terpretati sunt. Vid. Apollon. in Lex. ad v. (ubi etiam huius loci memor fuit) Hesychius et Etym. M. in v. Paraphr. et Schol. ad Hom. Il. A. 460 et 464. Ed. Wassenb. Conf. et Pausanias I. 24. VIII. 38.

v. 562 seqq. Hyginus l. c. *Iupiter*, inquit, *cum factum rescisset*, *animo permoto*, *mortalibus eripuit ignem*, *ne Promethei gratia plus Deorum potestate valeret*, *neve carnis usus utilis hominibus videretur*, *cum coqui non posset.* Ipse Hesiodus Ἔργ. v. 52. dicit Iovem *κρύψαι πῦρ*, unde explicandum h. l. *οὐκ ἐδίδου*, *negavit iis usum*, *quem antea habuerant.* Certe probabilius sic fingitur, cum res acta dicatur Meconae, nisi contendas, hoc nomine significari non urbem, pridem ab hominibus conditam, sed locum, ubi postea urbs fuit. Alia res est in traditione apud Apollod. I. VII. pr., qua fertur Prometheus fictis ab se hominibus subductum coelo ignem dedisse. Sed ortus fabulae repetendus mihi non dubie videtur ab antiqua traditione de recepto igne, quam hostili invasione subito sedibus exturbati et hinc in deserta profugi, vel huiusmodi calamitate aliqua, prisci homines, Graecorum *πρόγονοι*, amiserant, quemque vel ipsorum aliquis solerti invento, vel advena ipsis restituit. Namque advena fuisse Phoroneus videtur, quem inventorem ignis Argivi, non Prometheum ferebant, teste Pausania II. 29., quamquam huic traditioni fons fuisse idem potest, atque Hesiodeae, ut significata res eadem, nec nisi in edendo inventoris nomine variatum sit. Attamen mihi vero similius videtur, diversos populos, sed pari fato, quondam a cultiore hominum vita segregatos, diverso tempore ac modo ignis usum recuperasse, reique huius memoriam servasse. Plinio teste VII. 56. ignem ex silice Pyrodes Cilix invenisse perhibebatur (conf. Virgil. I. G. 135.), eundem adservare in ferula Prometheus.

Est ferula (*νάρθηξ*) arbor ex earum genere, quae corticis loco lignum forinsecus habent, ligni autem loco fungosam intus medullam, ut sambuci. Vid. Plinius XIII. 22. S. 42. In hanc ferulae medullam (*ναρθήκος νεάτην νηδὺν* dixit Nicander Alex. 272.) exceptum ignem Prometheus in terras detulit, furatus *Διὸς παρὰ μητιόεντος*, ut diserte dicitur *Ἔργ.* v. 51. Hoc secutus, *ignem aetherea domo subductum* dixit Horat. I. Od. III. 29., *οὐράνιον καὶ αἰθεριὸν πῦρ* etiam Apollonius, Atheniensis Rhetor, apud Philostratum, Vit. Soph. II. XX. § 3. Sed fuere antiquitus, qui coelestis ignis genus accuratius etiam definirent, secundum quos Servius ad Virg. Ecl. VI. 42. Prometheum ignem furatum dicit, adhibita ferula ad rotam Solis; et hanc, ni fallor, traditionem respexit Heraclides Alleg. p. 488., speculis aheneis contra Solem positis ignem collegisse tradens Prometheum: qualem sane modum sacri ignis reparandi Peruanis frequentatum fuisse constat: nec potuit, nisi talis ignis vel de fulgurito accensus, Iovi surreptus dici. Reiicienda igitur ratio Diodori Siculi V. 67., Prometheum inventorem fuisse dicentis *τῶν πυρείων*, hoc est, instrumentorum e ligno, vel lapide, quorum attritu vel collisione ignis excitatur. Vid. Wessel. ad Diod. l. c. Promethei furtum Lemnium memorans, Cicero T. Q. II. 9. significare videtur, ignem ex officina Vulcani Lemnia subductum. Fortasse sic Aeschylus tradiderat in Prometheo vel Soluto, vel *Πυρφόρῳ*, seu *Πυρκαεῖ*. Platoni quidem in Protagora (T. I. p. 321. D. E.) dicitur Prometheus, ex intrata clam Minervae Vulcanique communi (sed coelesti, ut videtur) officina furatus *τὴν ἔμπυρον τέχνην* utriusque, hominibus tradidisse, qui locus collatus cum altero in Philebo (T. II. p. 16. C.) docet, qua maxime re Plato Promethei in homines beneficium censuerit. Praeiverat iam Aeschylus Prom. Vinct. 109 seqq. *Ναρθηκοπληρωτὸν δὲ θηρῶμαι πυρὸς*

Πήγην κλοπαίων, ἡ διδάσκαλος τέχνης Πάσης βρότοις πέφηνε καὶ μέγας πόρος. Postremum hoc magis, ni fallor, Hesiodus universe spectavit, quam eximie artes per ignem exercendas. Longius, ut a poëtae mente, sic a vero, quod fabulae subest, recedunt, qui Promethei ignem philosophiae lumen interpretantur, ut Theophrastus apud Schol. Apollon. Rhod. II. 1248. — Ferulam iactasse fertur Prometheus, *ne spiritus interclusus vaporis exstingueret in angustia lumen. Itaque in certatione ludorum cursoribus* (ad Promethei aram in Academia Athenis) *instituerunt; ex Promethei consuetudine, ut currerent, lampadem iactantes.* Vid. Hyginus l. c. coll. Pausania I. 30. Alia Promethei quasi monumenta ostendebantur a Panopensibus, teste Pausania X. 4. Exstare etiam apud se contendebant tum Opuntii, tum Argivi; sed hi quidem minus, quam illi, probabiliter, iudice eodem Pausania II. 19. Certe mythus de Prometheo Hellenicam habuit originem, non Argivam. Ceterum, cum tam celebris Promethei apud Graecos fama fuerit, mirum est, nullam eius mentionem apud Homerum fieri.

v. 565 seqq. lecti fuere a Cyrillo Alex. adv. Iulian. III. p. 75. C., exponente hinc narrationem de Promethei furto, deque formata a Vulcano, ornata a Pallade Pandora.

v. 570 seqq. Cum essent, recepto igne, homines magnum ad vitam adepti commodum, Iupiter illud statim iis compensare voluit damno, vitae hominum addita muliere. Itaque, iubente eo, de luto facta est prima mulier Pandora, quam recepit Epimetheus (supra v. 513. Ἔργ. 83 seqq.) cuiusque scaevitate factum est, ut mala et morbi super terram spargerentur (Ἔργ. 94 seqq.). Repetit Heynius ad Il. Σ. 419. Pandorae fabulam a prisco sermone,

in quo ea, in quibus ars motum corporis, incessum et actum expresserat, se movere, incedere, agere narrabantur. Itaque fabulae fundum posuit in simulacro pulcherrime ex argilla facto. Immo manifesta, ni fallor, hîc apparent servatarum ab Iapetidis Hellenibus Asianarum antiquioris aevi traditionum indicia. Notandum autem in iis propagandis narrationibus variatum inter illos fuisse. Namque alii de luto fictos homines a Prometheo dixerunt (Vid. Apollod. I. VII. pr. Pausan. X. 4.); ac nescio, an haec, vulgo magis recepta, etiam antiquior fuerit traditio, a qua discessum sit deinceps, postquam Iupiter *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε* coeptus est haberi: neque enim cum hac opinione congruebat, ut Prometheus homines formasse diceretur. Itaque nullius hominum generis auctor Prometheus editur in Hesiodeis Ἔργ. 108 seqq., sed aurei et argentei Cronus et Dii cum illo, aerei atque insecutorum Iupiter, quo iubente etiam ficta e luto perhibetur mulier, ita tamen, ut huius historia arcto nexu cum rebus Promethei coniuncta et mythi de illo pars sit.

v. 571 respicit Eustath. ad Il. p. 1151. 30. Memoratur ex h. v. Ἀμφιγυήεις a Cyrillo l. c. In *γαίης σύμπλασσε* (v. 571.) pendet genitivus ab intelligenda praepositione ἐκ, quam addit poëta Ἔργ. 70. Iusserat autem Iupiter Vulcanum *γαῖαν ὕδει φύρειν*, *terram aqua diluere*, *miscere*. Vid. ibid. 61.

vv. 573—577, teste Scholiasta Parisino ad h. l., *ἠθετοῦντο*, quod a Dea Pallade mulierem ornari indecorum videretur. Sed, Iove iubente, id factum a Minerva, et per se intelligitur, et manifestius indicatur Ἔργ. 63. Praeter cinctum autem ornatumque alia Pandorae dona Minervam tribuisse docent ibi vv. 64. 72. 76. Tum ibi quoque Veneris (v. 65

seq.), Mercurii (v. 67 seq. 77 seq.), Gratiarum, Suadae, Horarum (vv. 73—75.), collata in Pandoram dona memorantur, nomenque illud ei datum dicitur (v. 80 seqq.) quod omnes Dii dona in eam contulissent, cuius hîc nominis ac rei mentio non fit. Rursus hîc uberior est poëta in descriptione factae illi a Vulcano coronae (v. 578 seqq.).

v. 574 citat Etym. M. p. 137. 40.

v. 575 seq. uncinis inclusere Wolf. Gaisf. Dind., alterius recensionis esse censuit Hermannus. Non temere autem Goettlingius: »Poëta, Pandoram ut sponsam descripturus, addidit quaedam, quae nobis quidem nimia videri possint, non absunt tamen a moribus institutisque antiquitatis. Sic H. Hom. in Ven. altero v. 7. narratur: *κρατὶ δ' ἐπ' ἀθανάτῳ στεφάνην εὔτυκτον ἔθηκαν* et v. 18. eadem Venus dicitur *ἰοστέφανος*." Στεφάνην dici ornamentum ex aere vel auro, diversum a *στεφάνῳ*, serto e frondibus vel floribus, apparebit conferentibus Homerica Il. H. 12. K. 30. Λ. 96.

v. 582 citat. Etym. Gud. p. 331.

Κνώδαλα dicuntur quaevis belluae. Vid. Od. P. 317. ibique Scholia. Mihi *κνώδαλον* et *κινώπετον*, pro quo dicitur etiam *κνὼψ*, communem habere originem videntur in verbo *κινόω*, cui cognatum *κινέω moveo.*

v. 585 seqq. Iupiter ornatam, ut iusserat, Pandoram eduxit in conventum Deorum, atque hominum, talem scilicet, qualem et antea habuerant Meconae. Quod autem exceptam ab Epimetheo mulierem supra v. 513. missamque ad eum ab Iove Ἔργ. v. 83 seqq. poëta tradidit, arguere videtur, eas fuisse in illo conventu partes Epimethei, quae in priore fuerant Promethei, ita ut futura hominum con-

ditio similiter a consilio et optione penderet eius, qui quasi patronus vel proxeneta esset hominum. Itaque fecit ille recipiendo mulierem, ut hominibus posteà semper cum mulieribus vivendum esset.

καλὸν κακὸν ex h. l. repetiit Cyrillus l. c. Pindari Pyth. II. 73. *καλὸν πῆμα* hoc Hesiodeo illustratur ab eius Scholiasta.

vv. 590—612 uncinis inclusit Wolfius, sed priora duntaxat pro Hesiodeis agnovit Pausanias I. 24., scribens, Hesiodum et alios tradere, Pandoram primam feminam fuisse. Conf. et Cyrillus l. c. Statuebat Heynius, locum esse truncatum, aliis omissis, aliis insertis.

v. 590. Ἐκ *τῆς γὰρ γένος ἐστὶ γυναίκων θηλυτεράων*) Θεαὶ *θηλύτεραι*, ut Homero dicuntur Od. Θ. 324., item Nymphae complures, fuerunt ante Pandoram, sed *γυναίκων θηλυτεράων mulierum* prima, secundum Hesiodum, Pandora fuit. Itaque, si memorata Ἔργ. 145. in argentea aetate mater *γυνὴ* fuisse censeatur, statuendum erit, illa aetate antiquiorem fuisse Pandoram. Sed Apollod. I. VII. 2. aequalem hanc aeneo generi facit, firmarique haec traditio videtur eo, quod Pandorae nepos perhibetur Hellen (vid. Apollod. ibid. coll. fr. Hesiodi apud Schol. Apollon. Rhod. III. 1086.), qui sine dubio quartae sive heroicae adscribendus est aetati. Vid. Ἔργ. 156 seqq. ibique Schol. Itaque in aetate secunda sive argentea feminas fuisse statuas diversae a mulieribus et praestantioris naturae. Natum ἐκ *μελιάων* (Ἔργ. v. 145.) sive e Nymphis, sive e fraxinis, tertium sive aeneum hominum genus sine mulieribus ut exstare, ita propagari potuit, ac nescio an finem accepisse censendum sit, cum ex inducto in terras muliebri genere novum quoque nasci hominum genus coepisset. Secundum haec *ἄνθρωποι* v. 535. et 585. intelligendi erunt aenei ge-

neris homines. Certiora, ni fallor, super his teneremus, si *γυναίκων κατάλογοι* adhuc integri exstarent, in quorum primo de Pandorae posteris actum fuit.

vv. 591—593 citat Stobaeus LXXI. p. 433. Dicta ibi tanto cum affectu a poëta, candidi homine ingenii, credere utique nos cogunt, aetate eius haud bene vulgo moratas fuisse in Graecia mulieres, praesertim cum repetitae similes posterorum poëtarum querelae secutis Graeciae seculis eandem fuisse labem doceant. Scilicet ibi tenera puellarum aetate non id agebatur vulgo, ut formarentur utiles maritis vitae consortes, quae paupertatem cum iis tolerare, eamque opere et consilio levare possent, sed instituebantur fere ad ignaviam et luxum. Itaque nuptae postea erant *οὐλομένης πενίης οὐ σύμφοροι, ἀλλὰ κόροιο ad luxum facientes, non ad paupertatem comites.* Conf. Ἔργ. 302. 782.

vv. 594—599 comparantur ignavae et sumtuosae uxores cum fucis, apum depascentibus laborem, ut comparatur homo ignavus cum fucis Ἔργ. 303 seqq. — *Ξυνήονες ἔργων κακῶν, ἀργαλέων* v. 595. 601. sunt, qui, quae cum malis operibus versantur, eaque afferunt secum. A *ξύνειμι* est *ξυνέων*, Ion. *ξυνήων*, Dor. *ξυνάων*. Apud Pindar. Pyth. III. 84. *ἑλκέων ξυνάονες* sunt *habentes vulnera, pleni vulneribus.*

v. 594 citat Schol. Theocr. Id. I. 107.

v. 602 seqq. Hominibus *ἀντ' ἀγαθοῖο*, pro commodo redditi ipsis a Prometheo ignis, Iupiter inducto in terris novo hoc muliebri genere, unde iam liberi quaerendi sunt, non modo hoc rependit malum, quod ex mala atque sumtuosa uxore vir experitur, sed etiam alterum, quod patitur ille *ὅς κε γάμον φεύγων κ. τ. λ.* v. 603 seqq. *qui, nuptias mo-*

lestamque rem muliebrem fugiens, uxorem ducere noluerit et ad senectutem venerit miseram χήτει γηροκόμοιο, *quia neminem habet, qui, necessitudine ductus, ipsum curet foveatque senem.* Ὁ δ' οὐ βιότου ἐπιδευὴς κ. τ. λ. *Vivit autem ille coelebs haud indigens victûs*, quippe immunis a necessitate alendae coniugis, *sed moriens bona sua relinquit*, non liberis, quos nullos habet, sed χηρωσταῖς, *remotis cognatis*, hereditatem χηροῦ, *orbi*, nanciscentibus. Conf. Homerus Il. E. 153. ᾧ δ' αὖτε γάμου κ. τ. λ. *Cui vero coniugii sors obveneriţ, ei, si uxorem nactus est probam et modestam, vel sic tamen perpetuo malum cum bono certat* (v. 607 seqq.). *Ille autem, qui in uxorem inciderit de molestiori genere* (mulierum), *vivit perpetuum habens animo dolorem, estque eius insanabile hoc malum* (v. 610—612.).

v. 605. χήτει γηροκόμοιο male redditum in Graeviana *caret, quae senectutem foveat.* Melius Basil. Interpres, *in penuria eius, quae senectutem foveat*, tametsi γηροκόμος non ad uxorem, sed ad filium, ex ea natum, referendum erat, ut bene vidit L. Barlaeus, cui, secundum Apollon. Lex. in v., χήτει exponitur ἐνδείᾳ. Citat Boissonadius Heynium ad Il. Z. 463. Wyttenb. ad Plutarch. T. I. p. 435. Orpheum de Lapid. 76. Muetzellio autem p. 66., ut sententia recte procedat, requiri verbum videtur χητεῖ. Largior equidem Viro Doctissimo, non esse magni momenti, quod χητέω a nullo scriptore fuit usurpatum, cum, ne exstare potuerit, nulla analogia prohibeat: sed non necessariam duco correctionem; modo coelibis γῆρας a poëta dictum censeas ὀλοὸν χήτει γηροκόμοιο, hoc ipso, quod non habet illud γῆρας γηροκόμον. Neque sic causam esse video, cur alteram sequamur, a Muetzellio propositam, emendationis viam, ut videlicet statuamus post verba χήτει γηροκόμοιο nonnullorum versuum iacturam nos fecisse, quibus

sortem senum coelibum infelicem poëta ampliore descriptione illustraverit.

v. 609. *ἀπ' αἰῶνος perpetuo.* Conf. Wetsten. ad Luc. I. 70.

v. 611 seq. Ruhnkenius Ep. Crit. I. p. 55., offensus tautologia *στήθεσσιν, θυμῷ, κραδίῃ*, totum versum 612 a magistello prioribus adsutum censuit. Goettlingius in priori Editione servari posse versum statuit, si scribatur *καὶ κραδίῃ καὶ θυμῷ ἀνήκεστον κακόν ἐστι.* Hermannus in Censura Goettlingianae neque inducendum neque corrigendum versum ait, si modo *θυμῷ καὶ κραδίῃ* ut dativos accipias. Hinc Goettling. in altera Ed. verba illa cum *ἀλίαστον* coniungenda esse dicit. Mihi cum Muetzellio p. 116. videtur, potuisse auctorem eam sibi permittere tautologiam, quo vehementius animum, mentemque malo cruciari significaret, praesertim cum notio vocabulorum ab hac coniunctione minime abhorreat, sintque plura istiusmodi tautologiae etiam in Homero exempla. Vide citt. a Muetzellio Od. Δ. 548 seq. Hermann. ad H. in Cer. 361.

v. 613 seqq. Causae nihil est, cur cum Heynio Wolfioque putemus, ex superioribus excidisse nonnulla, quibus responderent haec, quasi pro epiphonemate subiecta. Exposito infelice Promethei doli, furtique, quod ad homines attinet, eventu, commode subiicit poëta: *ὡς οὐκ ἔστι Διὸς κ. τ. λ.* quod firmat sequentibus *οὐδὲ γὰρ κ. τ. λ.* Scilicet, cum Promethei benigna in homines consilia id spectassent, ut, decepto Iove, multa bona largiretur hominibus, neque decipere ille Iovem potuit et, humano generi tributa ab se bona multis ab Iove compensata vidit malis. Sed nec sibi ipsi quidquam in sua repperit solertia, quo

gravem Iovis iram, atque hinc iniecta sibi vincula effugeret. Pro *κλέψαι* et *παρελθεῖν* (v. 613.) *decipiendi* significatione (Conf. Il. A. 132. Ξ. 217. Od. N. 291.) in *Ἔργ.* v. 105. est *ἐξαλέασθαι*, ad quod propius accedit sequens *ὑπεξήλυξε*.

Dictus v. 614. Prometheus *ἀκάκητα* perpetuo epitheto, ut postea Mercurius, (vid. Hom. Il. Π. 185. Od. Ω. 10.) ob benignam eius in homines naturam. Prometheo in Graecorum religione quasi successit Mercurius, a cuius cognomine et cultu mons in Arcadia dictus *Ἀκακήσιος*. Cultum ibi Prometheum perperam tradit Schol. ad h. l. Perperam etiam Eratosthenes et alii ab eius montis et in illo oppidi, vel Aeaci, qui id condiderat, nomine *ἀκακήτην* dictum voluere Mercurium. Vid. Schol. ad Od. Ω. 10. Strabo VII. p. 299. Pausan. VIII. 3 et 36.

vv. 617—819. Priori carminis parte poëtam maxime quidem in recensendis Coeli Terraeque liberis eorumque nuptiis et posteris, seu Theogonia proprie sic dicta, sed subinde etiam in eorundem exponendis rebus fatisque versatum vidimus. Sic Iapeti Clymenesque et natae inde prolis mentio occasionem ei dedit longiorem adiiciendi narrationem de Prometheo, non alienam tamen a consilio, quod item maxime secutum videas Hesiodum, declarandi, quomodo Iupiter, superatis aemulis, regnum sibi Coeli stabiliverit. Iam, finita narratione ea, propositi tenax enarrat, quid memoratis ab se supra v. 147 seqq. Centimanis Vranidis factum sit, ut item exposuerat de Cyclopibus v. 501 seqq., cum in Centimanis pariter ac Cyclopibus maximum Iovi fuerit ad victoriam de Titanibus obtinendam adiumentum.

Centimanos vinxisse dicitur *pater* (v. 617.), qui vix alius hîc intelligi potest, quam Vranus (Conf. supra v. 155.).

Eos, Terrae suasu (v. 626.) solvit Iupiter, socios habiturus in bello contra Titanes. Itaque haec Centimanorum mentio sponte poëtam ducit ad enarrandam dehinc Titanomachiam, in quo argumento, ut praecipue ad poësin accommodato, diutius versatur, multos et ancipites pugnae casus referens, ad extremum tamen obrutos lapidibus a Centimanis detrusosque in Tartarum Titanes, unde, invitante materia, accuratius Tartarum et res Tartari locorumque adiacentium naturam describit, redeunte tamen subinde Centimanorum mentione, quippe custodum ab Iove Tartaro, Titanum carceri, adpositorum, qua mentione adeo concluditur locus.

Versûs 617 partem, sed corrupte, citat Schol. Victor. ad Il. A. 403. Versûs 619 tria priora verba, cum explicatione verbi *ἀγώμενος*, habet Etym. M. p. 15. 40. In eius versus postremis *ἠδὲ καὶ εἶδος* advertendum neglectum digamma. Fortasse antiquitus fuit *ἠδ' ἄρα εἶδος*.

v. 620. *ὑπὸ χθονὸς*, in Erebo. Vid. infra v. 669.

v. 626. *Γαίης φραδμοσύνῃσιν*) Apollod. I. II. 1. de Iove ac Titanibus, *μαχομένων δὲ αὐτῶν ἐνιαυτοὺς δέκα* (infra v. 636.) *ἡ Γῆ τῷ Διὶ ἔχρησε νίκην, τοὺς καταταρταρωθέντας ἂν ἔχῃ συμμάχους*, ubi tam Centimani intelligi, quam Cyclopes possunt, quamvis proxime sequatur tantum Cyclopum liberatorum mentio.

vv. 629 seqq. In coelo orta inter Titanes et Cronidas lis *περὶ τιμάων* (v. 882.) nonnisi diuturno bello diremta est. Cum Iove statim fecerant fratres ac sorores (v. 624 seq. 634.), quos impius in liberos Cronus pariter omnes ab se alienaverat. Studuit autem Iupiter etiam antiquiorum

Deorum quosdam ad suas partes pertrahere promissis, quorum mentio fit v. 392 seqq. diserteque v. 397 seqq. in eius partes transiisse narratur Styx cum liberis Ζήλῳ, Νίκῃ, Κράτει, Βίῃ (v. 383. 384.). Favisse quoque ei contra Cronum, ut antea Rheae Vranus atque Terra intelliguntur e versibus 470. 626. 884. 891. Idem probabiliter colligi potest de aliis quibusdam antiquioris ordinis Diis, tanquam Hecate, Metide, Themide, Oceano, Nereo, Prometheo. Attamen Titanum plerique, ut videtur, iuniorem Deum sequi detrectarunt. Itaque cum Crono steterunt hi contra Iovem, quorum tamen ab Hesiodo mentionem factam non videmus, ut ne ipse quidem Cronus hîc diserte commemoratur. Cum Crono Iapetum memorat Homerus Il. Θ. 479., alii alios, ut Coeum, Atlantem, Menoetium. Versu 632 seq. describitur scena pugnae. Olympum tanquam arcem tenent Cronidae, Othryn Titanes. Cum esset certis de causis factum, ut Olympus Coelestium sedes haberetur, facere eaedem causae debuerunt, ut de regno Coeli (v. 520.) pugna circa Olympum commissa videretur, inter quem montem ad septentrionem et Othryn ad meridiem media sita Thessalia (vid. Lucanus VI. 339 seqq.) et per se dignus videri campus potuit, in quo concurrisse ad pugnam crederentur Dii ac Titanes, et habebat forte, ut ab altera Olympi parte campi Phlegraei, multa, quae videri possent quasi monumenta esse ac vestigia olim ibi collisarum inter se maximarum coeli terraeque virium, sparsa hîc illic saxa immania, quondam terrae aliquo motu vel subterranei ignis vi de montibus deiecta ac devoluta, sed quibus mythica traditione usi pro telis Briareus aliique ferrentur (v. 650. 675. 715 seqq.).

v. 634 uncinis circumscripsit Wolfius, quod videri possit e v. 625 repetitus. Facio equidem cum Muetzellio p. 116.,

tales repetitiones ab horum poëtarum aetate et ingenio minime alienas censente.

vv. 635—637 manifesto respicit Schol. ad Aeschyli Prom. v. 349., ut item supra vv. 501—506., ubi de Cyclopibus, v. 624 seqq., ubi de Centimanis ab Iove in auxilium adsumtis agitur, et infra v. 638 seqq., ubi nectar iis praebitum, et secuta hinc Iovis eos ad pugnam hortantis oratio memoratur, denique locum v. 674 seqq., in quo pugnae *μετὰ κρότου* commissae versorumque in fugam et *καταταρταρωθέντων* Titanum mentio fit.

v. 636. *δέκα πλείους ἐνιαυτοὺς*) Itaque totidem ac pugnatum ad Troiam, cuius fortasse rei memoria poëtam induxit, ut hunc numerum annorum poneret.

v. 638. *Ἶσον δὲ τέλος τέτατο πτολέμοιο*) Apud Homerum Il. O. 413. simili sententia dicitur *ἐπὶ ἶσα μάχῃ τέτατο, πτόλεμός τε.* Nam *τέλος πολέμοιο* nihil aliud est, quam *πόλεμος*, bellum, quod agitur, peragitur.

v. 639 seqq. Iupiter, cum trahi bellum videret, Terram de eius eventu consuluit, quae victorem ipsum futurum esse dixit, si socios adsumsisset Briareum et fratres. Vid. supra v. 626 seqq. infra 646 seqq. Apollod. l. c. Itaque liberatos vinculis Centimanos Iupiter ut magis etiam benevolos sibi redderet, epulis liberaliter accepit, iisque *παρέσχεθεν ἅρμενα πάντα*, omnia accommodata usibus eorum, h. e. cibum et potum convenientem. Conf. Sc. 84.

v. 640. *τάπερ θεοὶ αὐτοὶ ἔδουσιν*) Hesiodus igitur nectar et ambrosiam pariter cibos habuit Deorum, unde etiam mox *ἐπάσαντο* dixit, et infra (v. 797.) eadem *βρῶσιν*. At

Homerus *νέκταρ*, ut potum, memorat Il. Δ. 3. et alibi, *ἀμβροσίαν* fere, ut cibum (Vid. Il. E. 777. Od. E. .93.), quamquam de hac dubitant VV. DD. ad Il. T. 347. 353.

v. 641 citat, ut Hesiodi, Chrysippus apud Galenum de Hippocr. et Plat. Dogm. III. 2. p. 300. K.. (in Ed. Basil. T. I. p. 166.).

v. 642 Guyeto et Heynio insititius visus est, Goettlingio in priore Ed., mutato *δ'* in *τ'*, inter versum 639 et 640 transponendus. Conf. Varr. Lectt. Putat Hermannus in Cens. Goettling., duas fuisse recensiones, in quarum una versum 640 continuo exceperit versus 643, itaque *παρέσχεθεν* in v. 639. haud dubie ad Iovem pertinuerit; in altera post v. 639., *παρέσχεθεν* ibi passiva significatione sumto, fuerint vv. 641. 642. et in hoc *νέκταρ τ' ἐπάσαντο*. Equidem, neque versu 641 lubens caream, cum, ut recte in altera Ed. animadvertit Goettlingius, ibi causa indicetur, cur nectar et ambrosiam dederit Iupiter, neque sequente versu, cum oratio Iovis haud dubie decentius ad Centimanos habeatur post sumtum ab iis cibum, quod disertius indicatur hoc versu. Fateor tamen, iis servatis versibus, durius *παρέσχεθεν* ad Iovem referri: sed, quod Goettlingius in altera Ed. pro eo repositum vult *παρέσχεθον*, ea sic lenis medicina est, ut nihil nos iuvet: nam durius etiam memorati in v. 626. Dii intelligantur. Aeque lenis, sed efficacior mihi videtur prius ab eo proposita medicina, ut *παρέσχεθεν* exponatur *παρεσχέθησαν* et in v. 640. legatur *ἀμβροσίη*.

v. 653 sine dubio e duabus glossis (ad v. 651. 652.) conflatum ait Wolfius. Dubitare de hoc mihi liceat. *Ἡμετέρας διὰ βουλὰς* omnino requiri videtur, ut appareat,

cuius *φιλότητι* factum sit, ut liberarentur Centimani a vinculis, quae perpessi erant *ὑπὸ ζόφου ἠερόεντος*.

v. 664 seqq. Habere nos hìc fragmentum e vetere Titanomachia statuit Heynius ad Il. Y. 64. et Φ. 395. Non repugno equidem, quominus fuerint de hoc argumento ante Hesiodum carmina, ex quibus proficere hic potuerit. Sed, quae hîc leguntur, ut Hesiodo potius, quam antiquiori poëtae tribuamus, facit ipse loci splendor atque cultus.

vv. 671—673 uncinis inclusit Wolfius, utpote e versibus 150 seqq. repetitos. Sed recte iudicavit Goettlingius, hîc non praetermittendam fuisse Centimanorum mentionem.

v. 674. *Τιτήνεσσι κατέσταθεν*, *stetere Titanibus oppositi ἐν δαὶ λυγρῇ*, quod posterioribus magis est *καθίστασθαι εἰς πόλεμον τινί*. Sic Euripides in Herc. Fur. 1168. (1171.) *ἐς πόλεμον ὑμῖν καὶ μάχην καθίσταται*.

v. 676 Goettlingio ab interpolatore additus videtur, ne Titanibus suus derogaretur honor. Hermannus in Goettlingianae Censura tres fuisse statuit recensiones; in una fuisse *Οἳ τότε Τιτήνεσσι κατεστάθεν ἐν δαὶ λυγρῇ, Πέτρας ἠλιβάτους στιβαρῇς ἐν χερσὶν ἔχοντες Προφρονέως· χειρῶν τε βίης θ' ἅμα ἔργον ἔφαινον Ἀμφότεροι* — quae recensio nec versum 668 habuerit; in altera fuisse versum 676 continuo post 664—667.; in tertia defuisse v. 676, ut post v. 666 continuo fuerit v. 668 et in hoc finem habuerit certantium nuncupatio. Causam equidem nullam video, cur non locum, ita ut se habet, a poëta profectum putem. Post *ἑτέρωθεν* utique commode sequitur *ἀμφότεροι* i. e. Cronidae et Titanes. Ceterum v. 677. post *προφρονέως* distinguendum et ego duxi cum Boissonadio.

v. 678. *περίαχε* per crasin dictum pro *περιΐαχε* docet Choeroboscus apud Etym. M. p. 92. 9. seqq., citatis ex h. v., sed sine auctoris nomine, tribus postremis verbis. Conf. Muetzell. p. 170.

v. 681. *ῥιπῇ ὑπ' ἀθανάτων*, *ab impetu Deorum*, ut sunt *ἀνέμων ῥιπαὶ ventorum impetus*. Mox iungendum *αἰπεῖα τ' ἰωὴ ἀσπέτου ἰωχμοῖο ποδῶν βολάων τε κρατεράων*.

vv. 687—712 Goettlingio seriem narrationis turbare et postea, ne Iupiter honore suo fraudaretur, illati esse videntur. Mihi quoque videtur eorum auctor honori Iovis consulere voluisse: at nihil esse causae puto, cur Hesiodo consilium illud abiudicemus. Conf. infra v. 820. Significat autem poëta v. 687., Iovem antea vim suam quasi cohibuisse, ut illam omnem exsereret in hac postrema bellum conficiente pugna.

v. 691. *ἴκταρ — ποτέοντο*) Fulmina ita volabant, ut pervenirent, quo missa erant. Est enim *ἴκταρ* ab *ἵκω*, sive *ἴκω*. Conf. Ruhnkenius ad Timaei Lex. in v.

v. 697. *Τιτῆνας χθονίους Terrae filios* interpretati sunt Guyetus, L. Barlaeus, Wolfius, I. H. Vossius, ut *χθονίους* Tragici saepe *τοὺς αὐτόχθονας* dixere. Sed *θεὸς χθόνιος*, infra v. 767., *Ζεὺς χθόνιος*, Ἔργ. 465., dictus Hesiodo non ab origine, sed ab habitationis loco, et fortasse poëta etiam hîc magis locum respexit, in quo tum Titanes versabantur, *de terra* adscensum in coelum et Olympum molientes, quamobrem, missis in hos de coelo atque Olympo fulminibus, ardere cum sylvis suis terra dicatur v. 689 seqq. 694 seqq.

ἠέρα δῖαν intellige nubes et caliginem procellae. Conf. Il. E. 864. P. 644.

v. 700. *καῦμα δὲ θεσπέσιον κάτεχεν Χάος*) Iaculatus est Iupiter fulmina tanta cum vi, ut pervenirent etiam ultra terrae limites. Itaque incendium corripuit etiam Chaos, hoc est, immensum illud inane, quod est infra terram, inter eam ac fundum Tartari, quodque poëta mox describit v. 724 seqq. v. 740 seqq. Hinc v. 814. Titanes in imo Tartaro vincti degere dicuntur *πέρην Χάεος ζοφεροῖο.*

vv. 700—705. *εἴσατο δ' ἄντα κ. τ. λ.*) *Adspectu et auditu res ita videbatur se habere, ac si coelum et terra inter se colliderentur. Talis enim maxime futurus esset fragor, huius quidem elisae, illius vero desuper elidentis.* Est *εἴσατο δ' ὡς ὅτε* similiter Od. E. 281. Verba *αὕτως, ὡς ὅτε κ. τ. λ.* minus bene Basileensis et plerique hinc Interpretes reddidere: *itidem, ut cum olim terra et coelum latum superne appropinquabat.* Poëtam enim de re non facta, sed quae fieri possit, locutum esse, arguunt sequentia *τοῖος γάρ κε μέγιστος δοῦπος ὀρώρει*, non *excitabatur*, ut male vulgo versum est, sed *excitaretur, ὀρώρει ἄν.* Itaque *ὡς ὅτε* recte Schmidius, Heynius (in Ep. ad Wolf.), I. H. Vossius, Goettling. in pr. Ed. dictum censuerunt pro *ὡς εἰ*, ut sit *itidem, ac si terra et coelum latum superne appropinquarent.* Neque magis hîc offendere debet *ὡς ὅτε — πίλνατο*, quam Od. Φ. 406. *ὡς ὅτ' ἀνὴρ — ἐτάνυσσε, itidem, ut vir citharae et canendi peritus facile chordam super paxillo tenderet* vel *tendat*, non *tendebat.* Hermannus in Censura Goettlingianae duas fuisse recensiones statuit, quarum altera habuerit *αὕτως ὡς εἰ γαῖα κ. τ. λ.*, demto versu 705, altera *αὕτως ὡς ὅτε γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν Ἀλλήλοις πίλναιντο, μέγας δ' ὑπὸ δοῦπος ὀρώροι· Τῆς μεν κ. τ. λ.*, quibus reiectis Goettlingius in altera Ed. mire satis *εἴσατο* ad *Χάος* retulit hac sententia: *Ipsum Chaos divinum arbitrabatur, iterum se amplexari Terram et Coelum* (cf. 133.); *nam, si*

vel corruerent coelum et tellus, non potuisset maior fragor excitari, quam tum excitatus est, quum Dii et Titanes inter se pugnabant. E loco Aristidis T. I. p. 549. Iebb. ὥςπερ δὲ Ἡσίοδος ἔφη, τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς συμπεσόντων, μέγιστον ἂν γένεσθαι κτύπον liquet, eum quoque verba ὡς ὅτε κ. τ. λ. sic accepisse, ut acceperunt Schmidius ceterique supra laudati VV. DD.

v. 705 prorsus ex superioribus confictum censuit Heynius; uncinis incluserunt Gaisf. et Dind. Monet ille, exstare versum apud Homerum Il. Υ. 66. Sed ibi est τόσσος ἄρα κτύπος ὦρτο θεῶν ἔριδι ξυνιόντων. Retinendum equidem versum cum Goettlingio censeam. Hermannus in aliqua recensione sic variatum eum fuisse putat: τόσσος ἄρ' ἔπλετο δοῦπος ἀϋτή τε ξυνιόντων.

v. 706. Venti quoque ἐσφαράγιζον, sonantes ciebant ἔνοσιν, agitationem rerum, puta nubium, sylvarum, palcae (conf. infra v. 880.) simulque pulverem movebant; ipsa quoque Iovis tela, fulmina atque tonitru maiore cum vehementia advehebant; denique in medium advehebant utrorumque pugnantium fremitum ac fragorem.

vv. 711—720. Cum prius aliquamdiu ἐμμενέως, *sine remissione*, pugnassent Dii et Titanes, ἀλλήλοις ἐπέχοντες, *adversus se mutuo tendentes* (conf. Od. X. 75.), tandem inclinata est pugna per virtutem maxime Centimanorum, qui per tot ipsorum manus missis frequentibus in Titanas saxis, sic denique, lapidibus obrutos, sub terram detruserunt, victosque duris in Tartaro compedibus ligarunt loco, qui a coelo esset remotissimus, quod poëta significat docendo, tantum a terra, subditum ei, Tartarum distare, quantum ipsa distet a coelo.

v. 715 seq. vertit pene Elias Cretensis ad Gregor. T. II. p. 382. *qui Titanas lapidibus obruerunt trecentis petris a robustis eorum manibus missis.* Memoratae ab ipso Gregorio Or. III. p. 104. A. *νῆσοι*, insulae, *βέλη ὅμου καὶ τάφοι τοῖς ἀπαντήσασι* sunt confundentis cum Hesiodeis aliorum traditiones poëtarum, ferentes, conditos sub insulis Gigantes. Gregorio adhaesit Nonnus f. 73. p. 517. C.

v. 720 seqq. Apud Homerum Il. Θ. 16. dicitur Tartarus esse *τόσσον ἔνερθ' ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης*, quo vastius fit spatium sub terra, nisi dicas, Homerum Haden s. inferos partem terrae habuisse. Minorem etiam a terra coeli distantiam, quam hîc Hesiodus (v. 722 seq.), indicare Homerus videtur Il. A. 591. Scilicet in his suum quisque poëta sequi potuit ingenium. Itaque etiam Virgilius Aen. VI. 577 seqq. ita hoc de Tartaro variavit, ut diceret, ab ore eius, quantum ab coelo esset, bis tantum ad inferos patere. Conf. ibi Servius. Versu 722—725. accuratius Hesiodo definitur coeli a terra, huius a Tartaro distantia. Aerea incus, res gravissima (nihil enim obstat, quominus *ἄκμων* de incude proprie sic dicta accipiatur), si de coelo demittatur in terram, decimo demum die illuc pervenerit: totidemque diebus opus fuerit, ut eadem incus e terra (per vastum, quod infra est, inane) descendat in Tartarum.

Versum 721 stolidi Grammatici emblema censuit Ruhnkenius Ep. Crit. I. p. 98., cui suffragatus post Heynium Wolfius versum uncinis inclusit. Hunc secuti Gaisf. et Dind. Visus etiam Goettlingio versus inanis esse et languere incredibiliter. At recte tuitus illum est Muetzellius p. 183 seq. tum, quod manifesto respicitur ab Io. Diacono p. 589. 16 seqq. tum, quod necessarius est ad absolvendum narrationis ambitum. Videlicet dixerat poëta, Titanas de-

trusos esse *ὑπὸ χθόνος εὐρυοδείης Τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.* Qualis vero his verbis descriptus esset locus, nisi hoc versu addito, constare vix poterat.

v. 723 et tres sequentes citat Leontius de Sphaera Arati p. 265. Ed. Buhlii.

Versibus 726—819 continetur descriptio Tartari et locorum supra iuxtaque Tartarum. Circa eum, Titanum carcerem, erat ductum ex aere septum (v. 726.): a quo, non dicitur. Itaque fuisse videtur *αὐτοφυές*. Conf. infra v. 813. Sic facta erat tanquam immensa turris (Conf. Virgil. Aen. VI. 554.), circa cuius ad terrae marisque radices (v. 728.) elatum verticem (*δειρὴν* poëta dixit, ut est *δειρὰς* montis vertex, ut dicitur *collum* lagenae) nox circumfusa erat triplici ordine (v. 727.), itaque densissima. *Triplicem* Tartari *murum* maluit Virgilius VI. Aen. 549. *Ἔνθα*, *ibi*, in Tartaro (v. 729.) sub illa nocte, ultra Chaos s. tenebras Tartari inanes (infra v. 814.), conditi erant Titanes, in imo Tartari fundo vincti (supra v. 717 seqq.), unde *ὑποταρτάριοι* dicuntur infra v. 851. Conf. Virgil. ibid. 581 seq. Iis exitus inde non patebat, cum et faucibus Tartari portas aeneas obdidisset Neptunus (v. 732 seq.). Nam fuisse portas ad fauces s. ad *δειρὴν*, ubi initium *χάσματος*, tum versus infra docent 740 seq., tum quod iis adpositi custodes habitare dicuntur ad terrae, Tartari, ponti, coelique *πηγὰς καὶ πείρατα*, *fontes* s. initia *et fines* (v. 734 seqq. 807 seqq.). Itaque poëta sibi informavit quasi cavernae in summo monte obditas ostio fores, sive stantes, sive inclinatas. Hoc quidem e versu 733 constat, sic adpositas fuisse, ut cohaerentem secum murum, seu parietem haberent. Adposuisse illas probabiliter dicitur Neptunus, magnarum vi-

rium Deus, quique, in maris fundo habitans, facilem accessum haberet ad *Ὠκεανοῖο θέμεθλα*, quae fuisse a latere Tartarei septi intelliguntur, quod (v. 728.) supra septum illud et Tartarum fuisse dicuntur *γῆς ῥίζαι καὶ θαλάσσης*, maris interioris, at non Oceani. Sic igitur in Oceani fundamento stans, Neptunius ostio fores obdidit, quibus foribus obversa Centimani *δώματα* habebant *ἐπ' Ὠκεανοῖο θεμέθλοις* (v. 815.).

Versum 728 et infra vv. 738 seqq. respiciunt Aristoteles Meteorol. II. 1. pr. et ad eum Alexand. Aphrodis. p. 91. Olympiodorus p. 28. b., hi cum diserta mentione Hesiodi.

A versu inde 729 quae ad v. 745 sequuntur, Heynio iudice, passim a serioribus rhapsodis amplificata esse, suspicari licet, cum cohaereant tantum illa, quod *Tartarus muro cinctus est, eiusque pinnacula tenebrae obsident, supra eum vero terrae et mari fundamenta seu termini sunt* (v. 728.) *eodemque in loco Noctis domus* v. 744. 745., nec nisi mera repetitio ex superioribus sit in vv. 729—733. 736—744. Dindorfius diversa carmina diversorum auctorum agnoscere sibi visus est. Primum carmen ab Hesiodo profectum, in quo versus fuerint 720—735, excepto versu 731, item versus 820. 821; alterum, in quo versum 725 exceperint 740—745; tertium, in quo post eundem versum fuerint vv. 736—739. (807—810.); quartum, quod eodem loco interpolatos habuerit vv. 758—766; quintum, quod ibidem vv. 767—774; sextum, in quo de Styge locus, versibus 775—806; septimum, in quo versus fuerint 811—819; octavum, quod post v. 733 versus habuerit 746—757. Hermannus in Censura Goettlingianae, descriptionem Tartari non ab uno poëta profectam esse, tam liquere, ait, quam Theogoniae prooemium ex pluribus prooemiis constare. Idem autem Dindorfii conatus diversas in ea descriptione

recensiones definiendi non usque quaque censet probandos, quippe quibus obiici possit inter alia, quod nulla in iis ratio habita versus 731; quod versu 743. *δεινὸν δὲ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι τοῦτο τέρας* nullo modo ad *θύελλαι* referri potest; quod v. 746. Atlas haud satis congrue ante Tartari portas, praecedente v. 732, positus est. Ceterum Hermannus cum Dindorfio antiquissimum carmen habet vv. 720—735. Aliis autem posse ait videri post v. 719 collocandam descriptionem alteram vv. 736—742.; tertiam vv. 758—766.; quartam vv. 767—773.; quintam vv. 807—819. Videntur autem ipsi in loco de Styge fuisse vv. 775. 743—745. 731. 746—757., ubi tamen vv. 755—757 ab alio poëta positi fuerint pro versibus 752—754. Largior equidem, in hac Theogoniae parte multa inesse, quae interpolata videri possint, praesertim cum facilis ad interpolandum via fuerit per repetitum *ἔνθα*. Sed cum Goettlingio vel iis, quibus de facta interpolatione persuasum sit, difficile esse puto, certis rationibus definire, ubi sit interpolatum; necdum mihi in locis, ad quos Viri Docti offenderunt, de facta interpolatione satis constat. Certe repetitiones eorundem et per eas transitiones ad alia de iisdem narranda (ut v. 736 seqq.) nescio an non alienae censendae sint ab antiquioris saeculi et nondum excultae satis artis poëta. Tum, aut egregie fallor, aut in hac parte, ut nunc se habet, carminis alia aliis, diverso loco positis, ita lucem adfundunt, ut omnia ab eiusdem poëtae ingenio profecta videri possint. Quod autem Muetzellius p. 493. pleniorem ac rotundiorem a poëtae ore prodiisse locorum inferorum descriptionem coniicit, diversum eius arguere videtur a supra memoratis Viris Doctis iudicium, sed de arte poëtae paullo benignius, quam ut me consentientem habeat.

v. 736 seqq. *Ἔνθα* (v. 736.) quomodo accipiendum sit,

sequente ἑξείης (v. 737.) declaratur. Erant Ταρτάρου πείρατα, supremus Tartari ambitus, δειρὴ (v. 727.) proxime ad Centimanorum habitationem iis obversam. Erant ὕπερθε, super δειρὴν (Conf. v. 727. 728.), γῆς, ibi δνοφερῆς, *tenebricosae*, et πόντου sive θαλάσσης, maris interioris seu mediterranei, πηγαὶ καὶ πείρατα, ab inferiori parte fines, sive, ut dicuntur v. 728., ῥίζαι *radices;* deinde terrae ad occasum versus noctem erant οὐρανοῦ πείρατα, coelo ibi initium ducente. Namque alterum coeli ἡμισφαίριον ὑπὸ γῆν sibi informasse Hesiodum, ut vult Leontius de Sphaera Arati, neque e verbis poëtae colligi potest, neque vero simile videtur. Memorata autem v. 738. πείρατα poëta, sequente versu dicens ἀργαλέ', εὐρώεντα, τάτε στυγέουσι θεοί περ, eximie Tartari fines, sive a superiori parte initium ac fauces, cogitabat. Itaque per appositionem subiecit χάσμα μέγ', indicans, finem illum, sive initium Tartari, esse magnum hiatum; tum illa addidit, quibus simul χάσμα illud profundissimum (βάθιστον βέρεθρον similiter dixit Homerus Il. Θ. 14.) et pene invium declararet, dicens, ne integri quidem anni spatio posse aliquem, si primum portas ingressus fuerit, ad eius hiatus fundum pervenire, impedientibus passim descendentis iter procellis, quibus huc illuc abripiatur: itaque horrendum illud esse vel immortalibus Diis prodigium.

Ceterum haec et infra vv. 808 seqq. respexit Aristides T. I. p. 201. Ed. Iebb. (T. I. p. 327. Dind.) ἀτεχνῶς δὲ, ὅπερ Ἡσίοδος ἔφη, περὶ τῶν τοῦ Ὠκεανοῦ περάτων εἶναι τόπον, οὗ συντετρῆσθαι πάντα εἰς μίαν ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν κ. τ. λ.

v. 739 legitur etiam Ἔργ. 153. et apud Hom. Od. Υ. 65., unde huc temere illatum censent Heynius et Wolfius. Poterat utique commode hinc abesse. Sed agnoscunt eum omnes Scripti.

v. 740, ut Hesiodi, citat Ioannes Philoponus in Aristot. Meteor. p. 92. A. ed. Aldin. a. 1551.

χάσμα Guyeto recte idem habitum *χάος*, quamquam *χάσμα* hic proprie dicitur, qua *χάος* infernum parte superiore hiat. Potest *χάσμα* Tartari ex h. l. recordatus videri Plato in Phaedone T. I. p. 111. C. 112. A. Ed. Serran.

v. 742. *Φέροι πρὸ* i. e. *προφέροι*: *procella eum procellae traderet una post aliam huc illuc abreptum.* Conf. Il. Z. 346. Od. Υ. 63.

v. 744 seq. *καὶ Νυκτὸς ἐρεμνῆς οἰκία δεινὰ Ἔστηκεν* iungendum cum superiore *ἔνθα* v. 736., *atque ibi* (iuxta locum, ubi sunt Centimani) *terribilia sunt tenebricosae Noctis domicilia, nebulis tecta nigris.* Sic autem, cum e mente Hesiodi Noctis domus haud dubie fuerit ad Occidentem *γῆς καὶ πόντου πειράτων*, simul declaratur, poëtam quoque Tartari portas (v. 732. 741.) ad Occidentem spectantes sibi informasse, unde clarius etiam Centimanorum statio intelligitur.

vv. 743—745, iudice Goettlingio, mire languent; ineptissimum etiam *καὶ Νυκτὸς ἐρεμνῆς οἰκία δεινὰ*, quod prorsus non cohaeret cum sequentibus v. 746 seq. Itaque seclusit, utpote non profectos ab Hesiodo. Guyetus iungebat *Ἀργαλέη, ὅθι Νύξ τε καὶ Ἡμέρη ἆσσον ἰοῦσαι*, reiectis mediis omnibus, ut suppositiis. Nobis dissentire ab his liceat cum Muetzellio p. 101. Atlas in ultima terrae parte stans, idem recte ponitur in Noctis aedium confinio: *ὅθι* autem prorsus non potest iis iungi, quae versibus 743 et sequente continentur. Hermannus in Censura Goettlingianae verba *δεινόν τε καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι τοῦτο τέρας*, ut

commodum sensum habeant, referenda ad Styga putat. Itaque versus 743—745, 731 subiiciendos censet versui 775. Equidem non video, cur *χάσμα* illud procellosum, quod memoratur v. 740 seqq., minus recte dici *τέρας* possit, quam apud Pindar. Pyth. I. 49. prorumpentes ab Aetna flammae et in eiusdem Pindari fr. apud Philon. de Corrupt. Mundi T. II. p. 511. Ed. Mang. enata subito e mari Delos et omnino quaevis res mira atque horrenda.

v. 746 seqq. *Ante* haec Noctis domicilia (*πείρασιν ἐν γαίης, πρόπαρ Ἑσπερίδων λιγυφώνων* v. 518. itaque *ἐσχατίῃ πρὸς νυκτὸς* v. 275.) *coelum capite et manibus sustinet Iapeti filius*, Atlas, quem poëta quasi testem facit alternantium vices Noctis et Diei. Scilicet illa aedibus suis exit, terram obitura, quo tempore haec aedes illas intratura est, sole occidente terras relinquens. Itaque se mutuo compellare solent, *προσέειπον* (v. 749.), more excubias agentium, obviae sibi factae in ipso limine Noctis aedium. Conf. Od. K. 82. *Οὐδὸς* ille *χάλκεος* (v. 750.) aereae firmitatis, ut omnia illic (v. 732. 810.). *Ἔσω καταβαίνειν* Dies dicitur, quod sunt Noctis aedes sub terra. Omnia autem hîc dicta ad occasum et vespertinum tempus pertinent. Neque enim censendus est poëta statuisse, iisdem foribus rursum exire mane Diem, sed existimandus potius, late sub terra patentium Noctis aedium etiam ad ortum fores cogitasse, per quas mane Nox intrarit, Die rursus exeunte, quamvis de eo nihil dicat, satis habens dixisse, numquam ambas simul in ea domo versari, sed certis semper vicibus fieri, ut altera intus sit in aedibus, altera super terram, ita ut suum utraque servet tempus (v. 751—754.). Describuntur porro Dies et Nox, adferentes super terram hominibus, Dies quidem *Φάος πολυδερκὲς*, manibus tenens tanquam facem (Conf. Od. Δ. 300.), Nox autem Somnum *μετὰ*

χερσὶν (ἔχουσα), sive ita gestans, ut mater parvulum (Conf. Pausan. V. 18.), sive apprehensum manu comitem secum adducens. — Collatis in Ἔργ. v. 628. ὡραῖον μίμνειν πλόον, ἐισόκεν ἔλθοι, erit, ut v. 754. μίμνει τὴν αὐτῆς ὥρην ὁδοῦ, ἐστ' ἂν ἵκηται dicta videantur pro μίμνει, ἐς τ' ἂν ἵκηται ἡ ὥρα τῆς ὁδοῦ αὐτῆς, ut proinde non iungendum sit cum quibusdam ἐστ' ἂν ἵκηται, ἡ μὲν κ. τ. λ. *donec veniat in terras, illa quidem* cet. sed potius ἡ μὲν construendum cum antecedente μίμνει. Stant paratae haec cum face, illa cum Somno, suam utraque manentes horam. Vt Hesiodus Ὕπνον κασίγνητον Θανάτοιο dixit v. 755., ita Homerus Il. Ξ. 231. Ὕπνον καὶ Θάνατοι διδυμάονε. Conf. Il. Π. 672. 682. Pausan. III. 18. V. 18.

Ad v. 746. Scholiasta, secundum Veteres Criticos, ut videtur, quaestionem hîc movet, quomodo, si novem diebus opus sit, ut de coelo lapsus ἄκμων in terram veniat, Atlas in terra stans coelum ferre possit. Nullam autem ipse λύσιν apponit. Dicendum est, coeli convexa respicientem poëtam, propiorem terrae ad Occidentem, ubi stabat Atlas, sibi informasse οὐρανόν, lapsum autem de supremo coeli vertice ἄκμονα.

vv. 755—757 uncinis inclusit Wolfius ad Heynii sententiam, quod minus bene cohaereant cum prioribus, nec satis recte respondeant sequentibus, simillimique sint versus glossemati, quod quis ad personas accuratius designandas adscripserit. Versus 757 Wolfio magis etiam reliquis claudicare visus. Wolfium secuti sunt Gaisf. et Dindorf., at non Goettlingius, quem eo nomine reprehendit Hermannus, ipse positos statuens hos versus ab alio poëta pro vv. 752—754. Nos ab uncinis abstinendum etiam hîc duximus. Nam versus quidem 755 et 756 satis bene cohaerere nobis videntur cum prioribus, neque esse Hesiodo indigni. Ver-

sum autem 757 tametsi ipse quoque languidum esse fateor et existimationi poëtae consuli, si subiectus ab alia manu dicatur, quod non nego potuisse fieri, tamen illum non esse Hesiodeum haud satis e languore isto notataque ab Wolfio claudicatione mihi constat. Potest facta mentio Θανάτου poëtam induxisse, ut mentionem Νυκτὸς ὀλοῆς et tenebrarum eius subiiciendam putaret, atque harum quidem eo magis, quod Diei mentio, Φάος πολυδερκὲς habentis, praecesserat. Quod autem Wolfius dixit, versus 755—757 non satis respondere sequentibus, animadvertere mihi liceat, vel remotis illis, non nimis arctum apparere nexum inter ea, quae praecedunt et vv. 758 seqq. tum vero, posse etiam, collatis inter se versibus 745 et 757 facile intelligi, sequens ἔνθα ex poëtae mente esse *eodem in loco*, sc. ubi sunt Noctis domus et tenebrae.

v. 758 seqq. Ἔνθα *ibi* (proxime ad Noctis aedes) habitant eius filii (v. 212.) Ὕπνος καὶ Θάνατος. Congrua haec fictio moribus Veterum. Similiter enim in Iliade Z. 242 seqq. memorantur aedibus Priami coniuncta liberorum domicilia: et est sane probabilior hic mythus, quam quo Somnus habitasse fingitur Lemni, ut quidem habitasse ibi colligitur ex Hom. Il. Ξ. 230 seqq. Nam dubito equidem, an sic recte colligatur, cum eo loco tantum dicatur Iuno Lemni offendisse Somnum, qui veniendi illuc varias habere causas potuit, tum, quas memorant Eustath. et Schol. ad eum locum, tum, quam ego fuisse coniicio, quod Lemni cultus fuit Somnus.

Quod v. 759. dicitur Sol toto diurno suo cursu nunquam illos Noctis filios intueri, id in Somno quidem difficultatem non habet, quippe qui tum in suis illis infra terram aedibus degat, nec nisi per Noctem obeat terras. At Θάνατος tam die, quam nocte terras infestat obiens. Quo-

modo igitur Sol eum numquam videt? Dicendum vel *οὐ δέ ποτ' αὐτοὺς κ. τ. λ.* referendum esse ad eorum sub terra habitationem, vel poëtam *Θάνατον*, ut Noctis filium, ipsum quoque sibi informasse *ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένον*, qui proinde vel de die versari in terris possit, ita ut tamen a nemine, ne a Sole quidem conspiciatur.

v. 759 extr. 760 seq. Clericus imitationem esse censuit versuum Homeri de Cimmeriis Od. Λ. 15 seqq. Equidem potius credam e communi fonte, antiquiore quodam carmine, poëtam utrumque profecisse.

v. 767 seqq. *Ibi* i. e. iuxta aedes Noctis, Somni *Θανάτου*, domicilia stant Dei inferi *Ἄϊδεω* et Proserpinae. *Πρόσθεν* (v. 767.) quo sensu dictum sit, docent v. 744 et 746; neque dubium est, quin ex Hesiodi sententia subter *γῆς πείρατα*, in quibus stabat Atlas et omnino sub terra, superque Tartarum, *δόμους ἠχήεντας sonoras* i. e. alte concameratas, magnas (Conf. Od. Δ. 72.) habuerit Hades, *θεὸς* inde *χθόνιος* dictus h. l., ut *Ζεὺς χθόνιος* Ἔργ. 463., idemque *ἐνέροισιν in terra conditis* imperans (infra v. 850.). Consentit Homerus Il. Θ. 13 seqq., quamvis difficilius cum ea notione concilietur Vlyssis in Odyssea trans Oceanum ad inferos navigatio.

In *δόμοι ἠχήεντες* scrupulum obiicit neglectum digamma, quamquam *ἠχέω*, *ἠχὴ*, *Ἠχὼ* fuisse possunt in iis, quae digamma modo habuerint, modo non. Certe, ut exempla sunt observati supra v. 42. Ἔργ. 582. Sc. 279. 346. 438., ita neglecti infra v. 835. Sc. 393. Latinorumque fuit *Eccho*.

Versu 769 memoratus Canis, infernarum aedium custos, haud dubie idem est, versu 311 nominatus Cerberus, ne-

que obstat, quod ibi πεντηκοντακέφαλλος dicitur, hîc autem v. 771. eius binae aures memorantur; nam possunt binae intelligi cuiusque capitis.

Expressit hunc de cane inferorum locum, non sine *poëtae*, i. e. Hesiodi, mentione, Elias Cretensis ad Gregor. T. II. p. 383. B. Conf. idem p. 353. D. Nonnus ad Gregor. f. 49. p. 511. D. f. 73. p. 517. C. Ed. Montac. p. 144. Similia iis, quae hîc referuntur, nescio an ex Hesiodo deprompta, habent Lucianus de Luctu c. 4. Eudocia p. 255.

v. 775 seqq. *Ibi*, iuxta inferos (Conf. Il. Θ. 369. Od. K. 514.), in Noctis regione (infra 788. 806.), filia natu maxima vel maxime veneranda (supra v. 361.) Oceani, a fluxu et refluxu dicti ἀψορρόου (Conf. Il. Σ. 399. Od. Y. 65.), Styx habitat, Dea immortalibus invisa, utpote μέγα πῆμα θεοῖσι (infra v. 792.). Habitat illa procul a Diis sc. Coelestibus (v. 777.) nec nisi raro fit, ut eorum nuncia Iris eo perveniat, ubi Styx habitat: quod tum demum accidit, cum, contentione inter Deos orta, ad dirimendam litem opus est iureiurando per Stygem (v. 780 seqq.). Inhabitat autem Styx κλυτὰ δώματα, aedes inclytae magnificentiae, ut sunt Neptuni, Il. N. 21., κλυτὰ δώματα βένθεσι λίμνης. Describuntur aedes Stygis (v. 778 seq.) ad coelum, i. e. maximam altitudinem, eductae et concameratae ingentibus saxis, sive rupibus (Conf. v. 786. 792.) fultae undique columnis argenteis. Est similiter Il. Σ. 50. Nerei σπέος ἀργύφεον splendidi candoris. Iter Iridis ab Olympo, sede Iovis, ad Stygem et inde retro (πωλεῖται v. 781. est *it*, *redit*) peragitur super lata dorsa maris (mediterranei), ob naturam Iridis, de qua dictum ad v. 266. et quod iter est Occidentem versus ad Ὠκεανοῖο κέρας. Venit Iris nuncia mandati Iovis, iubentis adferri Stygis aquam, super quam contentione inter Deos orta litigantes iurent. Scilicet Iu-

piter, simulac mendacium versari videt inter Coelites, statim etiam (Respondent sibi invicem ὄπποτ' ἔρις· — καί ῥ' ὅστις ψεύδ. et Ζεὺς δέ τε (v. 782. 3. 4.) Irin *mittere solet* (ἔπεμψε v. 784.), ut in aureo gutturnio adferat magnum Deorum iusiurandum, celebratissimam Stygis aquam. Conf. supra v. 400. infra v. 805. Hom. Od. E. 185. H. in Cer. 260. Apollon. Rhod. II. 291. Aqua illa destillat e rupe (τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ dixit Homerus l. c.). Itaque frigida est. Fluit autem multa sub terram (v. 787.) διὰ Νύκτα μέλαιναν (v. 788.) per loca tenebricosa, ut sunt infera. Ipsa est Ὠκεανοῖο κέρας (v. 789.) id, quod Latini dicunt *brachium*. Apollonius Rhod. IV. 1282. similiter Istrum vocat ὑπατὸν κέρας Ὠκεανοῖο, ubi Scholiastes notat, omnes fluvios dici κέρατα Ὠκεανοῦ, quippe ortum ab eo ducentes. Cur ex eo multum fluat (v. 787.) hoc brachium, explicat poëta v. 789 seqq. (τοῦτῳ τῷ κέρατι) δεκάτη μοῖρα ἐπιδέδασται (τοῦ Ὠκεανείου ὕδατος) *pars attributa est decima aquarum Oceani*. Quippe (κατ') ἐννέα μὲν (μοίρας) εἰλιγμένος (ὁ Ὠκεανὸς) δίνῃς ἀργ. περὶ γ. τ. κ. εὐρ. ν. θαλάσσης (v. 790 seq.) *novem quidem suis partibus circa terram et mare* (mediterraneum) *volutus argenteis verticibus* (*Oceanus*) εἰς ἅλα, in idem illud mare, πίπτει, *incidit*, ἡ δὲ μίη κ. τ. λ. (v. 792.) *sed una* (de decem partibus aqua Stygis) *ex saxo fluit* (versus inferos) *magnum illa Diis damnum creans*.

Oceani filia Styx ἱερὰ πήγη κατὰ τὸν Ἡσίοδον ex hoc loco memoratur in Schol. AD. ad Il. O. 37. Quae leguntur autem in Etym. M. p. 731. 33. et Schol. A. ad Il. Θ. 369. ex Villois. Ed. ἡ Στὺξ μία ἐστὶ τῶν Ὠκεανοῦ θυγατέρων, ἣν ὁ Ζεὺς φρικωδέστατον ὅρκον τῶν θεῶν ἐποίησε, τιμήσας αὐτήν, ὥς φησιν Ἡσίοδος ἐν Θεογονίᾳ. ἐστὶ δὲ χρήνη ἐν ᾅδου: ea tum ad hunc locum pertinent, tum ad versus supra 361. 400.

Versu 781. receptum a nobis e maiori parte Codicum *ἀγγελίη* Buttmannus l. c. ita verum videri posse censet, si in locis Homeri, ubi exstant *ἀγγελίης*, *ἀγγελίην*, hi casus cum quibusdam Grammaticis flexi censeantur a nominativo *ὁ ἀγγελίης nuncius*, cuius fuerit femininum *ἀγγελίη nuncia*, ut est *τοῦ ταμίης* femininum *ταμίη*. Conf. Hesychius v. *ἀγγελίης*, Schol. D. ad Il. Γ. 206., cui Grammatico nominativus mascul. generis *ἀγγελίης* dicitur esse *τῆς Ἰάδος διαλέκτου*, ubi incertum, utrum esse voluerit Ionicum vocabulum pro *ἄγγελος*, an Ionicam formam pro *ἀγγελίας*. Fateor autem, mihi illud *ὁ ἀγγελίης* commentum videri seriorum Grammaticorum, cum apud antiquiores notatum invenissent *ἀγγελίης*, *ἀγγελίην* esse *ἀντὶ τοῦ ἄγγελος*, *σημαίνειν τὸν ἄγγελον*. Vid. Apollonius in Lex. p. 26. Etym. M. p. 30. 34. Schol. ad Il. Λ. 140. N. 252. O. 639. 640. Quos equidem cum Heynio Comm. ad Il. Γ. 206. voluisse opinor, *ἀγγελίαν* pro eo dici, qui nunciet, abstractum pro concreto, non vero, ut sit *ὁ ἀγγελίας*, potiorque mihi videtur habenda auctoritas Zenodoti, qui, teste Apollonio l. c. masculinum illud ignoravit. Impugnantem idem Tollium Excursu ad Apollonium p. 737. laudat hoc nomine Hermannus Opusc. T. I. p. 190. Est igitur, ut iure etiam de facto inde substantivo feminino dubitetur. In Odyssea quidem semper citra controversiam est *ἀγγελίη* pro *re nunciata*, vel *nuncianda*, ut ex. gr. Π. 334., ubi addita est praepositio *ἕνεκα*, quam in aliis Homeri locis et lectione Codicum nonnullorum atque Edd. omnium in hoc Hesiodi loco *ἀγγελίης* intelligendam statuit cum aliis Wolfius. Factum autem Hermanni praesertim disputatione, ut minus iam prompti sinnus ad ellipses huismodi admittendas. Itaque *ἀγγελίης πωλεῖσθαι* Goettlingius ita dictum vult, ut *πρήσσειν ὁδοῦ*, *θεῖν πεδίου*, nuncio, qui perferendus est, cum via confuso, qua perfertur. Mihi praeferenda hîc visa est

plurium Codicum lectio *ἀγγελίη*, non, ut sit femininum ab *ὁ ἀγγελίης*, sed ut accipiatur ea ratione, qua accipiendum censuit Heynius ad Il. Γ. 206. confusa re denunciando cum nunciante.

v. 783 spurium censuit Guyetus, nescio an constructione offensus, sed hanc bene expedivit Goettlingius: *καὶ ὁπότε τις ψεύδηται, ὅστις ποτ' ἐστίν, et, si quis mentiatur Deorum, quisquis ille fuerit.* Tum requiri versum ad universum narrationis ambitum, recte dicit Muetzellius p. 100.

v. 784. Tentabat Guyetus: *Ζεὺς δ' ὅτε Ἶριν ἔπεμψε*, non videns, esse hìc *δέ τε* in apodosi; ut supra v. 609. Similiter est *δέ τε* post *ὅτε* Il. K. 360. 362. *τε* post *ὅστις*. Od. M. 41. 43.

vv. 786—792 damnavit, ut spurios Guyetus, ratione iudicii non reddita. Versum quidem 786 respicere videtur Philoxenus apud Orion. Etym. p. 45. 6. et apud Etym. M. p. 731. 20. coll. Gud. p. 513. 55.; eundem et sequentem versum Apollod. I. II. 5.; versum 789 seqq. Proclus in Timaeum V. p. 294. med. Sed Guyeto suspectum habendi locum causa fuisse potest obscurior et impeditior vv. 790—792. constructio. Qui Graeca hîc verterunt Latine, verbum de verbo, male etiam *εἱλιγμένος intortus* vel *intortum* reddentes, nihil expediverunt. Eorum autem, qui poëtam adnotatione illustrarunt, plerique locum silentio transmiserunt. Nihil ad eum a Graevio notatum invenias, nihil ab Heynio vel Wolfio. L. Barlaeus ad *ἐννέα* adnotavit »sc. *μοιρᾶῖς*". Matthiaeo Gr. Gr. § 302. 1. *ἐννέα μοῖραι* dici videntur ipse Oceanus, quare subiectum ab Hesiodo sit *εἱλιγμένος*. Goettlingio non sine causa minus id placuit, qui, si sanus habeatur locus, construendum ait: *ὁ Ὠκεα-*

νός ἐννέα μοίρας διναῖς ἀργυρέαις εἱλιγμένος (activi sensus) εἰς ἅλα πίπτει. Equidem dubito, an possit εἱλιγμένος ea significatione accipi: sed acquiescendum mihi in illa constructione videtur, si εἱλιγμένος passivo sensu accipiatur et ἐννέα μοίρας accusativus adverbialis habeatur.

v. 793 seqq. Quisquis Coelitum, τὴν i. e. ταύτην τῶν Ὠκεανείων ὑδάτων μοῖραν (sive ταύτην τὴν Στυγὰ) ἀπολείψας, *delibata hac Stygis aqua*, peieraverit, is primum per annum integrum inanimis ac sine voce iacet, deinde novem annos a Deorum consiliis, epulis, coetibus exsulat. Solebant homines iurantes ἀπολείβειν, sive, ut dicitur Od. Ξ. 331. T. 288. ἀποσπένδειν. Hinc in Deorum iuramentis idem usu venire crediderunt: saltem, si Iove arbitro ad litem dirimendam iurarent, qui mos respicitur H. in Merc. 521. ubi Apollo dicit: ὄμοσσαι ἐπὶ Στυγὸς ὄβριμον ὕδωρ, ut hîc est v. 793. ἐπόμοσση. Sed crediti quoque Coelites saepe per Styga iurasse, cum ad manum aqua illa non esset. Exempla vide apud Homerum Il. Ξ. 271. O. 37. Od. E. 185. H. in Ap. 85. Apollon. Rhod. II. 291. ubi λοιβὴ Στυγὸς idem est, quod Il. O. 37. τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ. Conf. Nonnus XLII. 527. Adhibita autem Stygis aqua Dii iurantes ac libantes Stygi ipsi libasse censeantur. Sed quaeri potest, num iurantes Deos etiam bibisse Stygis aquam Graeci veteres putarint, sicut homo ἀποσπένδων idem quoque vinum bibebat. Fuerunt recentius, qui sic statuerent, atque ea, quae narrat poëta v. 759 seqq., repetenda ab noxia Stygiae aquae natura ducerent, ut adeo Clericus illa conferret, quae leguntur Numer. V. de muliere adulterii suspecta. Sane Pausanias VIII. 18. aquam ad Arcadiae Nonacrin, Stygis dictam, hominibus pariter atque animalibus vim letiferam habere prodidit. Sed incertum est, utrum ex adspectu illius ad Nonacrin aquae, de prae-

rupta rupe stillantis, suam sibi poëtae Stygem informaverint, ut Homerum censet Pausanias l. c. an vero Nonacrinam aquam Styga Graeci dixerint, quod, ut poëtarum fluvius, stillaret ab excelsa petra, quemadmodum similes ob causas apud Taenarum aquam Stygis dixerunt, teste Plutarcho de Primo Frigido p. 954. D. Certe diversam ab his aquam Stygis cogitarunt Homerus atque Hesiodus, ὑπὸ χθονὸς apud inferos fluentem. Itaque in Peneum, Thessaliae fluvium, aquam suam immittens Titaresius Homero dictus est Στυγὸς ὕδατος ἀπορρῶξ, qui de terra quasi ab inferis prorumperet. Vid. Il. B. 751 seqq., quem locum rectius cepisse mihi videtur Lucanus VI. 375 seq., quam Plinius VII. 8. Letalem autem aquae Stygiae naturam diserte neque Homerus memorat, neque, ut, arbitror, Hesiodus. Nam, quod quidam eo traxerunt v. 786. ψυχρὸν, non habet necessario vim eam. Morbum autem, qui peierantes Deos afflixisse traditur v. 795 seqq., immittere potuit alia vis maior. Certe iurantes per Styga periurii poenam metuebant, quamvis non adesset aqua, ut constat ex Homeri Il. cc. Inhaerentem autem aquae vim noxiam, haustâ bibendo illâ, vel non peierans sensisset.

Esse in v. 793. ἀπολείψας ab ἀπολείβω, recte docuerunt Graevius, Boissonadius, Goettlingius. Ab ἀπολείπω ducentes, ineptissime Bas. Interpres reddidit *relictis*, aliquanto probabilius Mombritius *deprenso crimine*. D. Heinsius qua ratione *lubens* verterit, non adsequor. Quod Wolfius ait, exponi posse *deserta fide*, recte verum esse negat Goettlingius.

v. 804 Guyeto delendus, ut spurius, visus est. Cur ita visus ei sit, non dixit. Mentio quidem sedis ἀθανάτων in Olympo hîc non magis otiosa, aut supervacua haberi debet, quam supra v. 794. Namque in re hîc memorata tum

ἀθάνατοι maxime Olympii sive Coelites spectantur, tum totius negotii scena est Olympus, unde ab Iove mittitur Iris, eo reversura, et erant in Olympo Deorum βουλὴ, δαῖτες, εἶραι.

v. 805. ἔθεντο θεοὶ) supra v. 400. idem Iovi tribuitur. Sed facere id Iupiter potuit, consentientibus Diis.

vv. 806—816. Defluit Stygis aqua per locum asperum (v. 806.), scilicet illum, in quo sunt terrae, Tartari, ponti, coeli, deinceps omnium fontes s. initia et fines (vv. 807—810.); in quo item sunt μαρμάρεαι πύλαι, ex splendente aeris materia portae (a Neptuno impositae v. 732.) limenque a natura factum aereum, immotum, altissime fundatum (vv. 811—813.). Πρόσθεν autem, non *ante*, sed *ultra* illud limen (quippe ab Oceano ac fonte Stygis orsus poëta cogitatione fluentum eius sequitur sub terram supra Tartari χάσμα. Conf. v. 740. 787 seq.) habitant Titanes longe a ceteris omnibus Diis, πέρην χάεος ζοφεροῖο, trans χάσμα, descriptum supra v. 740 seqq., itaque in imo Tartaro (v. 813 seq.). Sed in fundamentis Oceani, ad Tartari limen et portas (conf. supra v. 732 seqq.) domicilia habent Centimani. Itaque de his poëta v. 617. suam orsus narrationem, quae simul Titanomachiam exponeret, cum inde in longiorem de Tartaro digressionem incidisset, denique eo redit, unde orsus erat, usus opportunitate, quam praebebat mentio Stygis, ad inferos iuxta illa defluentis loca, ubi erant Centimani.

Ὠγύγιον (v. 806.) male Graevius cum ὅρκον iunxit, exposuitque *magnum*, citans Hesychii ὠγυγίου· παλαιοῦ, ἀρχαίου, μεγάλου πάνυ. Rectius alii cum ὕδωρ iunxerant, quibus adsensus Wolfius apte contulit παλαιότατον ὕδωρ apud Callim. H. in Iov. 40.

vv. 805—819 non ab Hesiodo profectos putat Goettlingius, sed quae adfert *νοθείας* testimonia mihi parum idonea videntur. Singula expendam suo loco. De versibus quidem 807—819 durum exstat etiam aliorum iudicium, at non de versibus 805 et sequente, quos cur poëtae abiudicaverit Goettlingius, declarare neglexit. Vv. 807—810, quod sint repetiti e superioribus (vv. 736 seqq.), suspectos Guyetus, spurios habuit Wolfius, cui similem ob causam suspecta fuere etiam sequentium haud pauca. Itaque totum locum a v. 807—819. uncinis includendum duxit, quamquam ipse fassus, id se in postremis, ubi de Cymopolea traditur, non fuisse facturum, si minus arcte cum reliquis iuncti fuissent. Mihi in his antiqui et simplicioris aevi reliquiis vix unquam *νοθείας* indicium esse repetitio videtur; tum puto, fuisse hîc etiam poëtae causam repetendi mentionem locorum, iuxta quae positi erant Titanum custodes Centimani, scilicet, ut pararet sibi aditum ad novum quid de Briareo narrandum, quae narratio quidem ipsa, ut sensit etiam Wolfius, auctoris Theogoniae plane convenit ingenio. Maluit Heynius rhapsodis consilium tribuere, quod ego tribui posse poëtae ipsi censeo. Wolfium in apponendis uncinis secuti sunt Gaisf. et Dind.

v. 811. ad *μαρμάρεαι τε πύλαι* offendit Goettlingius ob memoratas supra v. 732 seq. *χαλκείας*. Sed *μαρμάρεος* apud Epicos non tam *marmoreum*, quam aliqua de causa *splendentem* notat. Vide (ut nihil dicam de locis Homeri Il. Γ. 126. X. 441., ubi nunc *πορφυρέην* legitur pro antiquo ac fortasse veriore *μαρμαρέην*) Il. Ξ. 273. P. 594. Σ. 480. quo postremo loco *μαρμαρέην* (*ἄντυγα*) vix aliter explices, quam *aeream*. Itaque possunt hìc etiam esse memoratae supra v. 733. *χάλκεαι*.

Versûs 812 postrema quod vix verbo mutato apud Homerum Il. M. 134. exstant, item in causis fuere Wolfio, cur suspectum haberet locum. Sed primum verba Homeri *ῥίζῃσιν μεγαλῇσι διηνεκέεσσ' ἀραρυῖαι* non sunt tam similia, quam Wolfius voluit, Hesiodeis et sunt apud Homerum *ῥίζαι*, proprie sic dictae, *radices* arborum, hoc autem loco translate *fundamenta* liminis, ut supra v. 728. *γῆς ῥίζαι* fundamenta terrae. Similiter apud Apollon. Rhod. II. 320. de Cyaneis dicitur *οὐ — ῥίζῃσιν ἐνήρεινται νεάτῃσιν.*

Versu 814. pugnare censet Goettlingius *αὐτοφυής* cum v. 732. Sed potest Neptunus imposuisse fores, ut tamen *οὐδὸς* fuerit *αὐτοφυής*. Offendit mox Goettlingius ad *πρόσθεν* et in v. 814. ad *πέρην χάεος ζοφεροῖο*, de quibus, quomodo accipienda videantur, supra dixi.

Versu 815. notandum visum etiam *ἐρισμαράγοιο* Goettlingio, quod utique non est inter solemnia Iovis epitheta, neque tamen non est ei conveniens. H. Hom. in Merc. v. 187. mentio fit *ἐρισμαράγοιο Γαιήοχου.*

vv. 817—819. Supra v. 734 seqq. dixit poëta, tres Centimanos coniunctim habitasse forium Tartari custodes, nec fortasse hîc aliud cogitavit, quamvis idem diserte de Cotto tantum et Gyge prodens, de Briareo peculiare quid referens, eum, a Neptuno generum allectum, uxorem accepisse filiam eius Cymopoleam. Nihil sane obstat, quominus eam Briareus domum duxisse censeatur. Sed certe saepe apud Veteres memoratur Briareus extra stationem illam suam occupatus. Sic Il. A. 403. traditur evocatus in Olympum a Thetide, ut auxilium ferret Iovi contra Iunonem, Neptunum, Palladem, quod, teste Schol. Apollon. Rhod. I. 1165. traditum similiter ab Ione in dithyrambo, ubi

Θαλάσσης filius dicitur Briareus. Referebant Corinthii, inter Solem et Neptunum, de regione eorum contendentes, arbitrum Briareum fuisse. Vid. Pausan. II. I. 4. Quae postea dictae fuerint Herculis, prius dictas fuisse Briarei columnas, ex Aristotele refert Aelianus V. H. V. 3. Ex iis, quae notavit Eustathius ad Homerum l. c. colligitur Briareus habitus fuisse Deus marinus circa Euboeam et Aegaei maris insulas, quo facit etiam, quod apud Homerum d. l. alterum ei nomen fuisse traditur Aegaeon. Eum a Neptuno superatum alia traditio ferebat, quam ex Cononе refert Schol. Apollon. Rh. l. c.; aliis eundem Neptunum atque Aegaeonem perhibentibus, teste Hesychio in Αἰγαίων. Videri potest in Aegaeonis locum et honores successisse Neptunus, ut in Croni locum Iupiter. Ex eodem Scholiasta Apollonii discimus, Eumelum in Titanomachia prodidisse Aegaeonem, Terrae ac Ponti filium (Conf. Serv. ad Aen. VI. 257.), in mari habitantem, a Titanum partibus stetisse. Memorat Briareum Callimachus H. in Del. 143. sub Aetna conditum, in eiusdem, ni fallor, societatis poenam. Hostem Iovi inducunt ferme etiam Latini poëtae, Virgil. Aen. X. 565 seqq. Hor. Od. III. IV. 69. Ovid. III. F. 805. Seneca Herc. Oet. 167. Lucan. IV. 569. Statius II. Theb. 596. ubi vid. Lactantius. Mihi quidem ex collatis Veterum locis liquere videtur, antiquitus Briarei persona declaratam fuisse portentosam vim aestuantis maris, praesertim Aegaei: quo admisso videbitur non inepte hîc fingi Neptuni gener Briareus, quem sic ille magis etiam fidum habiturus esset constitutis ab se Tartari foribus custodem. Versu 819. Κυμοπόλειαν Goettlingius item refert inter indicia, quibus locus hic νοθείας arguatur. Causa ei sic statuendi fuisse mythi insolentia videtur, de qua Wolfius iam egerat, quem tamen ob hunc ipsum mythum pene veritum videas locum uncinis includere:

v. 820 seqq. Post expulsos coelo Titanes Terra ex Tartaro Typhoeum peperit, cuius audacia ac viribus prope factum est, ut Iovi regnum eriperetur. In id filio favisse Terram, Hesiodus non dicit, contra semper faventem Iovi Terram inducens. Conf. supra vv. 471. 626. infra 882. 894. Tradit autem secundum seriores poëtas Apollodorus I. VI. 1 seqq. Titanum cladem indignatam, Terram primum peperisse ex Coelo Gigantes, atque hos Cronidis opposuisse; deinde, cum et hos Cronidae vicissent, magis iratam Terram ex Tartaro suscepisse, quem illis opponeret, Typhonem. At Hymno Hom. in Apoll. v. 306 seqq. dicitur Iuno, irata marito ob Minervam ex eius capite prognatam, a Terra Coeloque et Titanibus precando impetrasse, ut ipsa quoque seorsim ab Iove susciperet filium, nihil ei viribus cedentem; itaque peperisse Typhaonem, dracaenaeque ad Parnassum educandum dedisse. Secutus id Stesichorus, teste Etym. M. p. 772. 50.

Typhaonem *δεινόν θ' ὑβριστήν τ' ἄνεμον* Hesiodus dixit supra v. 307.; infra autem v. 869. noxiorum eum Ventorum patrem facit. Ipsius autem vim noxiam praecipue repetit ab ardore. Namque, bellantibus ipso et Iove, *καῦμα* excitabatur *ἀπ' ἀμφοτέρων*, Iovis fulmine, Typhoei ignea vi *πρηστήρων τ' ἀνέμων τε* (v. 843 seqq.). Colligitur hinc mythica Typhaonis s. Typhoei persona declaratum a poëta fuisse igneae naturae ventum, ad quam naturam indicandam pertinet etiam, quod ei v. 826 seqq. flammantes oculi tribuuntur. Id Aeschylus sic accepit, ut in Prometh. v. 356. (364. Blomf.) diceret, Typhonem *ἐξ ὀμμάτων ἀστράπτειν*. Ceterum neque dubitavit idem v. 371. (379. Blomf.) ei, iam sub Aetna tumulato, *βέλεα πυρπνόου ζάλης* tribuere. Ab aliis autem inductus Typhon, *ἡμμένας βάλλων πέτρας ἐπ' αὐτὸν τὸν οὐρανόν*. Vid. Apollod. I. VI. 3. § 5. Quod vero hinc fortasse quis colligat, fuisse Ty-

phonis imagine et mytho declaratos quoque ignes subterraneos, e montibus coelum versus editos, id nescio, an ex Hesiodeis non tam liquido sequatur. Congruit quidem cum ea notione, quod v. 820 seqq. Terrae et Tartari filius dicitur Typhoeus. Sed sic *μυθικῶς* denotari quoque potuerunt *repentini flatus exhalante terra coorti*, (verba sunt Plinii, quem vide H. N. II. 49.) vel ex terrae cavernis cum mugitu prorumpentes venti. Vide v. 829 seqq. coll. Plinio II. 44. Πῦρ autem, cuius mentio fit v. 845., nihil impedit, quominus cum Scholiasta accipiamus *πρηστήρων τ' ἀνέμων τε*, vel *τὰς ἐκ τῶν ἀνέμων ἀναδόσεις ἐξημμένας*, qualis ardor etiam in alto sentiatur (v. 844. coll. Lucretio VI. 422 seqq.). Et vero montium incendia equidem in Hesiodeo de Typhaone mytho non tam ipsius declarata imagine, quam indicata iis puto, quae ad debellandum Typhoeum facere Iupiter narratur v. 855 seqq. maxime v. 859 seqq. Potuit utique, nondum satis bene cognitis subterranei ignis, ex aliquo monte exundantis, natura atque causis, tribui ignis ille iactis in eum montem fulminibus, quasi ita compescente Iove exserentem se in iis locis malefici numinis Typhonis vim, quam cum damno suo homines experirentur aëris aestu, igneis ventis ac turbinibus, importuno terrae marisque motu. Notum enim saepe mala haec concurrere. Aetnam montem ab Iove Typhoni iniectum ex serioribus poëtis tradens, Apollodorus I. VI. 3. § 12. perhiberi addit, in eo *μέχρι δεῦρο ἀπὸ τῶν βληθέντων κεραυνῶν γίνεσθαι πυρὸς ἀναφυσήματα.*

v. 824 seqq. Erant virili Typhoei formae centum imposita capita anguina. Ἑκατογκάρανον vel *ἑκατονταχάρανον* vocant etiam Aesch. Prom. 353. (361. Blomf.) Pindar. Pyth. I. 31. Magis monstrosam ex serioribus poëtis Typhonis imaginem exhibet Apollod. I. VI. 3. additis alis et

anguinis caudis, ad capita etiam barba et capillis. Causam attributorum Typhoni centum capitum satis indicant vv. 829 seqq., quibus mythico sermone varii declarantur Typhonis procellae soni.

Schol. Aeschyli l. c. ἑκατογκέφαλον Τυφῶνα dicit, ἀπάντων θηρίων ἀγρίων ἔχοντα κεφαλὰς, ibi memor magis eorum, quae sequuntur vv. 831—834, quam huius loci.

Versûs 826 fine scribendum Hermannus in Goettlingianae censura putat ἐν δέ οἱ ὄσσων, ut sit ἐν δὲ κεφαλῇσιν: alterum autem ἐκ δὲ ex alia remansisse recensione, in qua pro versu seq. fuerit ἐκ δέ οἱ ὄσσων Πασέων ἐκ κεφαλέων πῦρ καίετο δερκομένοιο.

v. 827. ὑπ' ὄφρυσι πῦρ ἀμάρυσσε, ut Hesiodi, citat Etym. M. p. 77. 28. Conf. Guarinus p. 136. 50 seq.

v. 828 spurium censuit Ruhnkenius, cui suffragatus est Wolfius; uncinis inclusere Gaisf. Dind. Goettling. Muetzellio quoque p. 117. visus est nihil continere, quod proximis verbis non fuerit plenius et elegantius enunciatum, quare iudicium ille laudat Mombritii, qui vertere neglexerit, atque ipse fere, ut Goettlingius et Hermannus, hîc de alia cogitandum recensione putat. Neque ego vehementius repugno, tametsi πασέων hîc videri possit maiorem prius dictis emphasin addere, ut voluerit poëta, quoties adspiceret Typhon, ex omnium simul capitum eius oculis ignem erupisse.

v. 830 seqq. ἄλλοτε δ' αὖτε κ. τ. λ. *Interdum ita sonum edebant* (haec capita), *ut Diis* (liceret) *intelligere.* Itaque Deorum sermone utebantur. *Alias rursus* (sonitum edebant) *tauri valde mugientis; alias leonis omnia audentis; alias ca-*

tulis similia (sonabant); *alias serpentum more stridebant.* Apollodorus I. VI. 3. § 5. de Typhone: *μετὰ συριγμῶν ὁμοῦ καὶ βοῆς ἐφέρετο.* Conf. Aeschyl. Prom. v. 355. (366. Blomf.).

v. 831 Guyetus, ut spurium, damnavit. Mihi ad concinnitatem sententiae necessarium certe videtur, quod est in versûs principio *φθέγγονθ'*. At sane difficultatem habet *ὥστε θεοῖσι συνίεμεν*, cum dictum esse nequeat pro *ὥστε θεοὺς συνίεναι* (sive, ut Scholia exponunt, *ὥστε γνωρίζεσθαι θεοὺς*), neque probari possit, quae Goettlingio placuit, constructio *φθέγγονται θεοῖσι, ὥστε συνίεναι αὐτούς.* Quod supplendum Heynius ait, *ἐξεῖναι*, iam pridem cogitaverant Interpretes, reddentes: ut *Diis intelligere liceret*, ellipsin per uncinos indicante Schmidio. Conf. Schaefer in Ell. Bos. ad *ἐξεῖναι*. Neque ego melius quid video. Codices nihil variant. Male Wolfius interpretatus est: *modo tam immanis erat contentio vocis, ut vel Di in Olympo eam audire, percipere possent.* Rectius I. H. Vossius: *Lautete jezt für die Götter verständliches.*

v. 832. *ὅσσαν ἀγαύρου* ex hoc, ut videtur, loco citat Etym. Sorbon. MS. a Gaisfordio laudatus ad Schol. h. l.

v. 836 seqq. *Καί νύ κεν ἔπλετο ἔργον κ. τ. λ. ac sane die illo*, quo se tali habitu, tantisque viribus in Olympum et Iovem ferens Typhoeus, monte conscenso (vid. infra v. 860.) viam sibi in Olympum et coelum moliebatur (*ἐπ' οὐρανὸν ὁρμωμένον* dicit Apollod. l. c. § 6.) *res evenisset, nullo postea remedio sananda, regnumque iste* (Typhoeus) *hominum ac Deorum obtinuisset, nisi* (*molimina eius*) *confestim intellexisset Iupiter*, suaque in portentum illud iaculatus esset fulmina, primum de sede sua, statim ab re animadversa (v. 839.),

mox autem iusurgens (v. 842 seqq.) sumtisque armis ab Olympo in Typhoeum irruens v. 855. Locus est praeclare a poëta tractatus.

v. 844 seqq. Ardor ab utrisque, Iove et Typhoeo, bellantibus excitatus in pontum usque pervasit; quare, sicut terra omnis et coelum, ita mare, correptum eo, fervere coepit, aestuantibus iuxta ac circum litora vastis fluctibus.

In versibus 845. 846 simplicissimum videtur, ut posterior habeatur explicatio prioris, ita ut per (*καῦμα*) *πρηστήρων τ' ἀνέμων τε* clarius significetur proxime ante memoratum *καῦμα πυρὸς ἀπὸ τοῖο πελώρου ignis a portento illo* (Typhoeo excitatus); per *καῦμα* autem *κεραυνοῦ· Φλεγέθοντος* efficacius declaretur ardor *βροντῆς τε στεροπῆς τε.* Quod si construere malis *πυρός τ' ἀπὸ πρηστήρων τ' ἀνέμων τε τ. πελ.*, hac quoque ratione, tametsi verborum ordo suadere videbitur, ut sequentia *κεραυνοῦ τε Φλεγέθοντος* item ad Typhonem referantur, non repugnante etiam Typhonis procellae natura (Vid. Plin. H. N. II. 49. 50.) tamen erit, ut ex perpetua poëtae consuetudine ad Iovem potius referenda videantur. Hermanno in Cens. Goettlingianae prioris statuenti, versum 846 esse alius recensionis pro v. 845 adsentitur in altera Ed. Goettlingius, quod miror, cum idem mox propositae a Muetzellio traiectioni versuum (Conf. Varr. Lectt.) longe praestare dicat vividam antiqui textus reciprocationem, in quo quidem me prorsus consentientem habet, cum adiectum equidem versum 846 a poëta putem ad magis declarandum naturam *καύματος*, quamobrem etiam *κεραυνὸν Φλεγέθοντα* ultimo loco posuerit.

v. 849 seqq. Pugnantium tantus, tamque continuus erat fragor, ut eo contremiscerent cum inferis Pluto (v. 850.),

ipsique in imo Tartaro Cronus et circa eum Titanes (v. 851.).

v. 851 spurium habuit Wolfius, quod obiter iniicitur mentio Κρόνου et similis versus est Il. Ξ. 274. Equidem versu carere nolim. Scilicet post memoratos supra Titanes (i. e. Κρόνον, quondam Coeli regem, et socios eius) in Tartarum deiectos (vv. 717 seqq.) commode hîc memorantur iidem Titanes ὑποταρτάριοι, Κρόνον ἀμφὶς ἐόντες.

In v. 852 genitivos Hermannus in Cens. Goettl. habere negat, unde pendeant. Itaque vel quaedam excidisse putat ante hunc versum, vel locum ei post v. 844 fuisse in alia recensione, quae neque v. 845, neque v. 846 habuerit. Sed quidni possit hîc, ut infra v. 882. Ἔργ. 329., intelligi aliquid, unde genitivi pendeant, si non ἕνεκα cum plerisque interpretibus, attamen aliquid; vel admitti, genitivos esse absolutos, et intelligi participium verbi absoluti? Goettlingio autem non ante, sed post hunc versum quaedam excidisse videntur, supplenda ex Apollodoro I. VI. 3. § 10. Verba enim (v. 853.) Ζεὺς δ' ἐπεὶ οὖν κόρθυνεν ἑὸν μένος respondere Apollodori verbis: Ζεὺς δὲ τὴν ἰδίαν ἀνακομισάμενος ἰσχὺν κ. τ. λ., itaque iis novum videri certamen indicari, ut apud Apollodorum. Mihi aliter videtur, dissentiente etiam Hermanno, recteque monente, Apollodorum in ceteris magis alios, quam Hesiodum expressisse.

v. 853 seqq. Iupiter, collectis suis evectisque ad summum viribus, sumtis armis ab Olympo in Typhoeum insiluit, eumque crebro fulminis quasi verbere (πληγῇσιν ἰμάσσας v. 857.) sic feriit, ut omnia monstri capita combureret. Typhoei mutilati casu terra ingemuit allisa (conf. supra v. 843.). Flamma autem, qua fulmine percussus ille ἄναξ

(solemni Deorum appellatione sic dictus Typhon) ardebat, late dissipata omnes montis, in quo ceciderat, saltus corripuit (v. 859 seqq.). Quaeras cuius montis? Aetnam intelligere quosdam, non mireris, praeeuntibus iam Pindaro Ol. IV. 12. Pyth. I. 29 seqq. Aeschylo Prom. 365. (373. Blomf.) mentionemque Aetnae alicubi ab Hesiodo factam docet Eratosthenes apud Strab. I. p. 23. (42. Almelov.). Attamen nihil hic quidem locus habet, quod de Aetna cogitare nos iubeat. Homerus autem Il. B. 782 seq. Typhoeum verbere Iovis percussum dicit εἰν Ἀρίμοις, ibique esse Τυφωέος εὐνὰς et vero Hesiodus, Echidnam Typhaoni nuptam pariter εἰν Ἀρίμοισι degere, tradit supra v. 304 seq. Itaque secundum haec probabilius cogites de monte in Arimis. Sed Arimorum, sive Aramaeorum nomen latissime patuit (Vid. Strabo XIII. p. 626 seq. (p. 929 seq. Almelov.), cumque Syros etiam eo designatos fuisse constet, non citra aliquam veri speciem Clericus aliique recentiores, memorati ab Heynio in Comm. ad Il. l. c. montis Moabitidos et lacûs Asphaltitis incendia in hoc mytho respici crediderunt. Attamen equidem potius cum Veteribus, Pindaro Pyth. I. 32. Aeschylo Prom. 351. (Blomf. 359.) Apollod. I. VI. 3. § 1. et 8. ab Homero designari putem Arimos Ciliciae. Verum enim vero, quamvis facile mihi persuaderi patiar, eam fuisse patriam Typhaonis, sive ibi natum esse de eo mythum, non item facile admittam, in hoc Hesiodi loco de Ciliciae monte agi, cum si, missis aliis, quae aliunde tenemus, simpliciter ad locum, ut est, attendamus, vix quidquam nobis in mentem venire possit, nisi hoc, montem a poëta indicari Olympo subiectum, vel ei certe vicinum. Et fuit sane haud longissime ab Olympo mons, Typhaonius dictus, cuius fit mentio in Scuto v. 32., quemque respicit Scholiasta Pindari Ol. IV. 12. P. I. 32., Typhoni superiectum montem Boeotiae, quosdam tradere signi-

ficans. Quamobrem allati in Graeciam ex Oriente mythi (sunt enim in Oriente maxime noxii *presteres*, *amburentes contactu pariter et proterentes*, pestemque navigantibus *typhones* primi experti sunt Phoenices) eius igitur a Phoenicibus in Graeciam allati mythi scenam apud se Cadmei transtulisse mihi videntur, montemque illum, sive veteris incendii vestigia servantem, sive maxime fulminis ictibus obnoxium, Typhaonium dixisse, quasi illum quondam ad oppugnandum Olympum, velut ὁρμητήριον, Typhoeus insedisset, ut prius Othryn Titanes; fuitque sane, ut Ascraeus poëta Boeotorum potissimum traditiones sequeretur.

v. 853. Ad κόρθυνεν Gl. Par. ὤπλισεν, ὤξυνεν. Rectius L. Barlaeus: »τὸ κορθύνειν est *colligere et quasi in cumulum* »*congerere; κόρθυς* enim *cumulus*, acervus." Apud Homerum Il. I. 7. exstat κορθύεται, quod abunde illustrant Grammatici. Cognata sunt κάρα, κόρση, κόρυς, κορυφὴ, κόρθυς, κορθύω, κορθύνω.

v. 861 seqq. Quod terra ignibus liquefacta esse dicitur ad plumbi candidi, vel ferri morem, sane eiusmodi est, ut exundantes e monte aliquo ardentis materiae rivos declarare videatur. Ceterum his versibus duo diversos metalla liquefaciendi seu fundendi modos indicat poëta. Fundebatur κασσίτερος, *plumbum candidum*, in catino, seu vase fusorio, congruum illi rei os, seu foramen, habente. Accedebat τέχνη αἰζηῶν, praesertim, ut videtur, in adhibendis tractandisque follibus conspicua. Conf. Hom. Il. Σ. 470 seqq. ibique Heyn. Ferri vena excoquebatur, ita ut aquae modo liquaretur ferrum. Conf. Plinius XXXIV. c. 14. s. 41. Fiebat hoc in vallibus sylvosis, ubi plurima esset ligni materia. Definite poëta ad ornatum Vulcani fabricam memorat; neque tamen inde cum nonnullis ἐν χθονὶ

δίῃ (v. 866.) trahendum est ad Lemnum, vel Liparam. Fluebat liquefactum ferrum in terrae sulcum, ut fieret massa. Conf. II. Paralip. IV. 17. Δίῃ est epitheton simpliciter ornans.

v. 865 seq. Hermannus in Censura Goettlingianae variationem esse putat alterius recensionis pro versibus 863 seq.

v. 868. Victum confectumque plagis Typhoeum Iupiter ἀκάχων, *iratus* (vid. Varr. Lectt.), in Tartarum coniecit. Spurium versum censet Goettlingius, nescio an ex praeiudicata opinione, qua statuit, iam Hesiodum de Aetna, conditoque sub eo monte Typhoeo cogitasse. Sed traditionem de monte ei superiecto ignorasse Hesiodus videtur, ut neque Homerus eam diserte memorat. Itaque debetur haec serioribus, ut alia, quae vide apud Apollod. l. c., ubi conf. Heynius.

v. 869 seqq. Typhoeus ex se (solo, ut videtur, sine Echidna. Conf. supra v. 306 seq.) genus Ventorum edidit, longe diversum ab iis, quibus coelestis origo ex Astraeo atque Aurora (supra v. 378 seqq.). Quippe his, ut certis, confidere mortales et ex his utilitatem capere ad certos labores possunt (v. 870 seqq.); sed a Typhoeo Venti editi sunt incerti, vagi, μαψαῦραι (v. 872. 875.), iidemque procellosi (v. 869. 874.), ac proinde noxii, tum navigantibus (v. 873.), tum agricolis (v. 873 seq.): nam Ventorum istorum turbine attolluntur et quaquaversum σύρονται, raptantur, κόλα, ligna arida, sarmenta, virgulta, paleae, quibus excitatoque simul pulvere arva aliaque hominum opera implentur.

Hominum epitheton χαμαιγενέων (v. 879.) exstat etiam H. in Ven. 108., nusquam vero in Iliade vel Odyssea.

v. 881 seqq. Vt recensus Terrae filiorum Iovisque de regno adipiscendo laborum absolveretur, post Titanes memorandus erat Typhoeus. Ab huius autem mentione redit iam poëta ad Cronidarum historiam. Hi, labore exantlato, diremtaque viribus contentione, quam habuerant cum Titanibus, (ἕνεκα vel περὶ) τιμάων, utri divinos honores obtinerent (conf. supra v. 112. 203. 413. 421 seqq.), regem sibi praeesse voluerunt Iovem, qui mox honores iis scite distribuit. Dicit poëta (v. 884.), fecisse id Cronidas de Terrae consilio. Scilicet, ut apud homines in Graecia, quamvis recepto Iovis et huius ordinis Deorum cultu, tamen Telluris Deae mansit religio (conf. supra dd. ad v. 132 seqq.), ita quoque eius apud ipsos illos recentiores Deos praecipua secundum poëtas veneratio et auctoritas fuit. Conf. Hom. Il. Γ. 278. O. 36. T. 259. Od. E. 184. Hymn. in Terram omnium matrem.

v. 886 seqq. Iupiter, Deorum rex factus, primam uxorem sibi iunxit Μῆτιν, Oceani filiam (Th. 358.), consilio supra omnes Deos atque homines pollentem. Mox autem eam, ex se praegnantem, intra alvum suam recondidit, tum, ut, quam paritura primum erat, Deorum fortissimam ac prudentissimam Minervam, ea non a Metide, sed ipsius ederetur ex capite (v. 895 seq. 925 seq.), utque non posset altero partu Metis parere filium, quem Terra atque Vranus praedixerant, si in lucem ederetur, pro Iove regnaturum (v. 891 seqq. 897 seqq.): tum, ut indita ipsi Metis semper eum moneret, quid faciendum, quidque fugiendum esset (v. 900.). Mytho, quamvis agrestius enunciato, subest notio de supremo Deo non absurda. Quod Hesiodus v. 890. 899. dixit ἐὴν ἐγκάτθετο νηδύν, Apollodorus I. III. 6. dixit καταπίνει, quam vim habere etiam Hesiodea censeas ex collatis supra vv. 467. 485. 497. E verbis autem my-

thi, iam non allegorica, sed propria significatione acceptis, fluxit, quod deglutiisse Metin Iupiter v. 889 seq. dicitur, *δόλῳ Φρένας ἐξαπατήσας αἰμυλίοισι λόγοισιν.* Traditum autem fuit, ut ex Apollodoro et Scholiis ad h. l. discimus, potuisse Metin varias formas induere, quod de Metide utique haud incommode finxerunt. Iam coniicere nobis licet, insuper fuisse traditum, Iovem per blanditias et lusus persuasisse Metidi, ut in eam se verteret formam, qua nullo ipse negotio deglutire eam posset. Vaticinium, quod a Terra ac Coelo editum poëta dicit v. 891 seqq., Apollodorus uni Terrae tribuit. Antiquissima apud Graecos oracula memorabantur Terrae, cui proinde non incommode vaticinantis partes etiam in hoc mytho tribuuntur.

vv. 886—890, ut exstantes *ἐν τῇ Θεογονίᾳ*, subiecto cum aliqua variatione v. 900. ac deinde vv. 924—926., citat Galenus de Dogm. Hippocr. et Platonis L. III. c. 8. p. 349. Ed. Kuehn„ de quo loco plenius dicendum erit infra ad v. 928. *Πρῶτον* (sic) *ἄλοχον θέτο Μῆτιν* e v. 886 citat Schol. Vict. ad Il. Γ. 191.

Versibus 887 seq. de Metide prodita aut non attendit, aut nimia subtilitate elusit Schol. AD. ad Il. Θ. 31., negans memoratam ab Hesiodo Minervae matrem.

v. 900 uncinis inclusit Wolfius, obsecutus Heynio ad Apollod. I. III. 6. Sed firmatur versus citatione Galeni, quamvis ponentis eum post v. 890. Ceterum *Φράσσαιτο* in illo versu Wolfio videbatur posse accipi pro *ἐΦράσατο*, usu optativi pro indicativo, Atticis familiari. Itaque hunc versui sensum tribuebat: *Vt ei Dea* (Terra) *quid faciendum, quid cavendum esset, consuluerat.* Perperam omnino, si quid video.

v. 901 seqq. Venusto mytho Iupiter alteram coniugem duxisse Themin, filiasque ex ea suscepisse traditur Horas, Eunomian, Dicen, Irenen. De Themide supra dictum ad v. 135. Eam hîc poëta *λιπαρὴν* vocat, ut mox *Εἰρήνην τεθαλυῖαν*. Matrem Horarum Themin habuerunt etiam Pindarus in fragm. apud Clem. Alex. Strom. VI. p. 731 seq. Ed. Pott. Apollod. I. III. 1. Pausan. V. 17. (ubi hic propinqua sibi invicem in Eleo Iunonis templo Themidis et Horarum signa memorat). Eunomia, Dice, Irene (bonae leges, Iustitia, Pax) hominibus *ἔργα* (ea, de quibus Hesiodi carmen est) *ὡρεύουσι*, custodiunt ac tuentur, faciuntque, ut sui quisque laboris fructum percipiat. Hinc dictae Horae. Vid. Cornutus de N. D. c. 29. Has tres Horas agnoscit etiam Pindarus Ol. XIII. 6 seqq. Apud Homerum autem Il. E. 749 seqq. Θ. 393 seqq. 433 seqq. Coeli forium custodes memorantur Horae sine illarum numeri ac singularum nominis mentione. In summo Elei Iovis solio super Dei caput Phidias, Hesiodo consentiens, tres Horas fecerat, teste Pausania V. 11. Sed vetere Atheniensium religione duae tantum Horae colebantur, Carpo et Thallo dictae. Vid. idem Pausanias II. 20. In hoc quidem consenserunt omnes, felicem annuum proventum *ἔργων* his praecipue Deabus acceptum esse referendum, sed ipsas Horas alii aliter interpretati sunt, cum utique hominibus ad percipiendum optatum e labore suo fructum haud minus adesse deberent faventium anni tempestatum, quam bonarum legum iustitiaeque et pacis commoda. Itaque etiam nomina sunt Horis alia ab aliis imposita ac similiter in earum numero variatum est. Tempestatum anni Deae sine dubio sunt *Διὸς Ὧραι* apud Homerum Od. Ω. 344. ac tales eas ferme sibi informarunt seriores. Vid. Theocr. Id. XV. 102 seqq. Pausan. I. 40. Ceterum Horas, sive tales, seu secundum Hesiodum tibi informes, facile apparebit, cur illae saepe

apud poëtas coniunctim cum Gratiis memorentur, ut iam in Hom. H. in Ap. v. 94., tum etiam, cur ab iis ornatum accepisse dicantur Pandora apud Hesiodum Ἔργ. v. 74 seqq., Venus H. Hom. altero in Ven. v. 5 et 12.

vv. 901—903 exstant apud Stobaeum IX. p. 101., sed additi, ut videtur, a Gesnero. Versum 901 et sequentem citat Schol. Pindari ad Ol. XIII. 6. Respiciunt locum Eratosthenes Catast. 9. Hyginus P. A. 25. Schol. ad Germanic. 95.

vv. 904—906. Ex Iove, supremo Deo, et Themide natae quoque Μοῖραι, hominibus bona et mala (secundum iustitiam) distribuentes, apte utique finguntur. Abiudicandos tamen hos versus ab Hesiodo censuerunt Thom. Galeus ad Apollod. p. 6. Clericus ad h. l. Ruhnken. Ep. Crit. p. 91. ob traditam supra v. 217 seqq. aliam Parcarum genealogiam: at certum est, traditae hoc loco favere Apollodorum I. III. 2., cuius auctoritati Wolfius opponere non debebat illam Tzetzae ad Lycophr. v. 144., priores tantum versus genuinos habentis. Ceterum potius Wolfium sequar, statuentem, alterutrum interpolatum esse locum, quam Virum Doctum in Misc. Obss. Vol. III. p. 80. et Robinsonum ad hos vv., qui, ut hos cum vv. 217 seqq. in concordiam redigerent, accusativum Μοίρας (v. 904.) regi vóluerunt non a τέκεν (v. 901.), sed a proxime praecedente verbo ὠρεύουσι. Conf. supra dicta ad v. 217 seqq.

v. 907 seqq. Eurynome, Dea *latipasca*, opibus abundans, Iovi tres peperit Gratias, quarum nomina, sicut ipsum nomen Χάριτες, manifesto pertinent ad declarandum munificentiae bona, praesertim laute exceptis hospitibus vel convivis. Vide Od. I. 5 seqq. coll. Plutarcho: an Philosoph.

cum Principe p. 778. C. Tales etiam sibi Gratias informabat, qui Olympiae communem Bacchi et Gratiarum aram consecravit. Vid. Pausan. V. 14. extr.

Oceani filia Eurynome dicitur v. 908., ut supra v. 358. et apud Homerum Il. Σ. 399., ubi illa cum Thetide excepisse et occuluisse traditur eiectum coelo Vulcanum. Oceanine habita eadem etiam in illis Theogoniis, quae nuptam eam Ophioni cumque hoc ante Cronum et Titanas in Coelo regnasse perhibebant. Vid. Apollon. Rhod. I. 503 seqq. Lycophr. v. 1191. ibique Scholia. Habuit Eurynome templum apud Phigalenses, quamquam haec diversa fuisse Dea potest, ipsis Phigalensibus cognomen illud Dianae interpretantibus, hoc quidem nescio, an minus recte, si, quod perhibetur, simulacrum ibi Deae fuit, feminea forma usque ad summa femora, cetera piscis figura. Vid. Pausan. VIII. 41.

Gratiarum religio antiquissima fuit Orchomeni, ab Eteocle, Andrei vel Cephissi filio, constituta, qui tres consecraverat. Vid. Pausan. IX. 35. 38. Schol. ad Pindar. Ol. XIV. init. Schol. ad Theocr. Id. XVI. 104 seqq., quam religionem cum poëta noverit, teste Scholiasta ad Pind. l. c., mutuatus inde Gratiarum numerum videri potest: at non item nomina, quae, Pausania teste, nulla ab Eteocle indita Orchomenii noverant. Itaque nomina iis imposuisse Hesiodus videri potest, ut sane visus est Senecae de Benef. I. 3. Onomacriti de Gratiis traditionem Hesiodeae, tum in nominibus, tum in aliis consentaneam refert Pausanias d. l. Conf. H. Orph. LIX. 3. Gratia, Vulcani uxor, secundum Hesiodum (infra v. 945.) Aglaïa, ab Homero Il. Σ. 382. non addito nomine memoratur. *Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων Πασιθέην* Il. Ξ. 275 seq. uxorem sibi ab Iunone paciscitur Somnus, unde quibusdam visus est Homerus alias etiam novisse *πρεσβυτέρας*. Lacedaemone duae ab anti-

quissimo tempore colebantur Gratiae, Cleta et Phaënno, Athenis item antiqua religione duae Auxo et Hegemone, quamquam vetus etiam trium ibi cultus fuit. Haec et varias insuper poëtarum traditiones habet d. l. Pausanias. Conf. Cornutus de N. D. c. 15. aliique laudati a Schradero ad Musaeum Animadv. c. 9. — Versibus 910 seq. Gratiarum amabilis adspectus declaratur. Veneris filias quidam finxerunt, Veneris comites alii. Vid. Serv. ad Aen. I. 724.

vv. 907—910 respiciens Pausanias IX. 35. 5. Ἡσίοδος, inquit, ἐν Θεογονίᾳ τὰς Χάριτάς φησιν εἶναι Διός τε καὶ Εὐρυνόμης, καί σφισιν ὀνόματα Εὐφροσύνην τε καὶ Ἀγλαΐαν εἶναι καὶ Θάλειαν. Seneca etiam de Benef. I. 3. *Hesiodus Gratiis nomina, quae voluit, imposuit. Aglaïam maximam natu appellavit, mediam Euphrosynen, tertiam Thaliam*, ubi Aglaïam *maximam natu* dixit, quod prima in v. 909. ponitur, nec recordatus est, illam infra v. 946. dici ὁπλοτάτην Χαρίτων. Tres Charites earumque trium nomina memorari ab Hesiodo testatur etiam Schol. Pindari ad Ol. XIV. 21. Ignota Homero τὰ παρ' Ἡσιόδῳ ὀνόματα τῶν Χαρίτων dicit Schol. BLV. ad Il. Ξ. 276. Memorat etiam Aristaenetus I. 10. tres Charites καθ' Ἡσίοδον. Conf. Eustath. ad Il. p. 533.

vv. 907—911 corrupte leguntur in Papiae Elementario, subiecta interpretatione Latina versibus hexametris.

vv. 912—914. In referendis Iovis ac Cereris nuptiis, nata hinc Proserpina, raptaque hac ab Aïdoneo, secutus est Hesiodus communem fere omnium Graecorum mythum et religionem, ut liquet ex Hom. H. in Cer., Pausania (maxime I. 38 seq. II. 35. VIII. 14 seq. 42.) aliisque laudatis ab Heynio ad Apollod. I. V. 1. Cuius mythi quamquam

haud sane absurda interpretatio est, a Cicerone de N. D. II. 26. aliisque prodita, qua Cererem eandem ac terram frugiferam, Coeli imbribus fecundatam, filiam autem Cereris, a Dite raptam, frugum semen esse volunt sub terra absconditum (Conf. Ἔργ. v. 465. H. Hom. in Cer. v. 400.), faventibus huic interpretationi Latinis Dearum nominibus: attamen Hesiodo certe Δημήτηρ diversum habitum est a Terra numen, videturque haec Dea potius ab inventis frugibus ostensove earum usu dicta esse Δηὼ, contracte Δῆ (unde Siculorum iusiurandum οὐ δᾶν) item Δημήτηρ, quam sic nominata esse pro Γῆ μήτηρ, casu immutata prima litera. Dicta autem μήτηρ respectu κόρης, filiae, quae Iove ac Cerere natae prior denominatio fuit. Coniugi factae Inferorum regis convenire demum altera potuit Περσεφόνης, quam, si Pausaniam audias VIII. 37., ante Homerum (et Hesiodum) ei Pamphus tribuit.

Versum 912 cum principio versûs 914, ut Hesiodi in Theogonia, citat Etym. M. p. 41. 51. Esse secundum Hesiodum Iovis ac Cereris filiam Proserpinam, scribit Servius ad Aen. IV. 511.

vv. 915—917. Ex Iove et Mnemosyne novem Musae. Conf. supra dicta ad v. 54 seqq.

Musae χρυσάμπυκες, *aurea vitta redimitae*, ut hîc in v. 916., dicuntur etiam a Pindaro Pyth. III. 158. Isthm. II. 2.

vv. 918—920. Iove et Latona genitos Apollinem et Artemin poëta convenienter receptae sua aetate religioni tradidit. Conf. Hom. Il. A. 9. Φ. 499. 506. Od. Z. 106. Eam religionem a septentrione in Graeciam venisse colligas ex Herod. IV. 33. Callim. H. in Del. 291 seqq. Cic. de N. D. III. 23. Pausan. X. V. 4. Quae vero numina illi, apud quos

orta haec religio, praedictis nominibus significaverint, hodie minus liquet. Veterum quidem multi Apollinem eundem ac Solem habuerunt. Vid. Plato in Cratylo p. 405. Cic. de N. D. II. 27. III. 20. Cornutus de N. D. c. 32. Pausan. VII. 23. et sic in mysteriis fuisse traditum, diserte ait Heraclides p. 416., possuntque ad hanc opinionem firmandam etiam ex antiquioribus poëtis argumenta peti, primo, quod mater Apollini datur *Λητὼ κυανοπέπλος*, quâ vero simile videtur Noctem designari, ex qua Sol ortus dicatur, ut e Nocte Dies (supra v. 124. Conf. dicta ad v. 406.); deinde, quod Apollo passim *Φοῖβος* appellatur, item *Ἑκατὸς* a telis longe missis, quibus telis mythico sermone radios significari, probabile utique fit e notissimo Homeri loco Il. A. 10. 48. 52., nec minus e Niobes liberorum historia, quos peste absumtos ait Pausanias IX. IV. 5., ita ut Sol *Ἀπόλλων* dictus videatur ab ardentis vi pestifera, praesertim caniculae diebus. Conf. Il. X. 31. Quid, quod et luciferum Apollinis telum memoratur in Argonauticis? Vid. Apollod. I. IX. 26. § 2. 3. Apollon. Rhod. IV. 1716. Potest denique ad beneficam Solis vim referri, quod Apollinem cum Nymphis Oceaninis et fluviis *ἄνδρας κουρίζειν* crediderunt (supra v. 346 seqq.). Quod si Apollo antiquitus idem ac Sol fuit, consequens est, ut etiam soror eius *Ἄρτεμις* eadem fuisse ac Luna censeatur, quod statuunt item Cicero et Cornutus ll. cc., favetque huic sententiae nomen ipsum, cum *τὸ ἀρτεμὲς* maxime in Luna observetur, vices suas exactissime servante. Favet item, quod *φωσφόρος* et *σελασφόρος* colebatur et effingebatur haec Dea (Vid. Pausanias I. 31. VI. 31. VIII. 36 seq.), quodque, ut Apollo *Ἑκατὸς* dictus est, sic inter *Ἄρτεμιν* et *Ἑκάτην* credita est necessitudo intercedere (Vid. Cornutus c. 32. et 34. Pausan. I. 43.), ut item inter *Ἄρτεμιν* et *Ἑκαέργην* (Vid. Branchus Milesius apud Clem. Alex. Strom. V. p.

570.); porro, quod ut telis Apollinis marium, ita sagittis Ἀρτέμιδος mulierum mortes subitae imputabantur (Vid. Il. T. 59. Ω. 606. Od. Λ. 171 seq. O. 409. 477.), et in primis parturientibus metuenda haec Dea credebatur (Vid. Callim. H. in Dian. v. 126 seq.); denique quod, ut Apollo κουρίζων, sic παιδοτρόφος et κουροτρόφος dicta est Ἄρτεμις. (Vid. Diod. Sic. V. 73. Pausan. IV. 34.). Sed quamvis haec vestigia censeantur exstare antiquissimae religionis, quâ culti priscis Hellenibus Sol et Luna sub Apollinis et Ἀρτέμιδος nominibus, certum est, iam Hesiodi et Homeri aetate religionem hanc eas apud Graecos mutationes subiisse, ut diversa numina viderentur Sol et Luna, Apollo et Ἄρτεμις, sicut certe diversa illa Homerus atque Hesiodus habuerunt. Vid. Od. Θ. 271. 323. supra v. 371. infra 956. Et vero Hesiodus, qui Latonae liberos ἱμερόεντα γόνον περὶ πάντων Οὐρανιώνων vocet (v. 919.), certe non Apollinis e nomine pestiferum sibi numen, vel Dianam ad mulierum perniciem ἰοχέαιραν, sed potius e vulgari sui temporis religione Ἄρτεμιν κυνηγέτιν, Apollinem μαντικὸν, musicum, medicum et omnino beneficum, χάρμα βρότοισιν (ut dicitur H. in Ap. 25.) informasse credendus est.

Memoratur Iovi nupta Latona ante Iunonem, quam uxorem λοισθοτάτην duxit Iupiter (mox v. 921.). Itaque Iunonis iram in pellicem Latonaeque hinc errores ac miserias ignoravit Hesiodus.

Locum hunc respiciens, Servius ad Aen. IV. 511. *secundum Hesiodum*, inquit, *Diana* (*filia*) *Iovis et Latonae.*

vv. 921—923. Ex Iovis et Iunonis matrimonio orti traduntur Hebe, Mars, Ilithuia. De Marte consentit Homerus Il. E. 892 seqq., qui similiter Heben Iovis et Iunonis filiam tradit, si modo ab ipso profectus sit versus Od. Λ. 604. Memorat eandem, sed sine parentum mentione Il. Δ.

2. 3. E. 905. Teste autem Pausania II. 13., Olen Lycius Hymno in Iunonem ortos quidem hac tradiderat Martem atque Heben, non vero Ilithuiam, quam suo in eam Hymno vel Crono antiquiorem et Amoris matrem fecerat, teste item Pausania VIII. 21. IX. 27., quem vide etiam I. 18., ex quo loco colligas, Hesiodum hîc Cretensium secutum esse traditionem. Apud Homerum Il. I. 118 seqq. item H. in Ap. 197 seqq. duntaxat obnoxia Iunoni Ilithuia significatur. Sed memorat idem plures Ilithuias Il. Λ. 270. seq. et sic colebantur Megaris. Vid. Pausan. I. 44. Hebes praecipua religio fuit Phliunte. Vid. Pausan. II. 12. Ilithuiae frequens per omnem Graeciam cultus. Vid. idem II. 22. 35. VI. 20. VII. 22. VIII. 48. Quod physici veteres, quos sequuntur Schol. ad h. l. et Eudocia p. 206., matrem Hebes, Martis, Ilithuiae, Iunonem i. e. aërem interpretati sunt, in Deabus aliquam veri speciem habet, cum utique ab aëris apta temperie procedant partuum felicitas et natorum vigor. Sed in Marte nullam probabilem rationem habet. Imo fuisse mythus hic videtur bellicosi populi, qui, summos Deos Iovem ac Iunonem agnoscens, hos crediderit bello populos committere, hos in bello virtutem ac successum dare, hos etiam ad bellum populi vires alere promovendo partuum felicitatem, floremque et vigorem iuventutis. Conf. Ἔργ. 235. 242. Romani, bellicosus in primis populus, cum Marte item Iuventutem Deam et Iunonem Lucinam coluerunt.

v. 922 citat Scholiasta Pindari ad Nem. VII. 1., ubi, secundum Hesiodum, poëta Hebes et Ilithuiae, ut sororum, meminit.

vv. 924—926. Ex ipsius supremi Dei capite nata Dea sapientiae, praesertim bellicae (v. 925 seq. Conf. Sc. 197

seqq. 325 seqq.). Dicta illa poëtae hîc et supra v. 895., item Sc. v. 197. Τριτογένεια, sive a Boeotico vocabulo Τριτὼ, caput significante (vid. Tzetz. ad Lycophr. v. 519. auctoresque citati a VV. DD. ad Hesychium v. Τριτὼ) sive a Tritone, fluvio Boeotiae. Nam de Libyae lacu vix est, ut cogitaverit Hesiodus.

v. 924. αὐτὸς i. e. μόνος. Sic apud Homerum Il. E. 880. αὐτὸς ἐγείνατο παῖδ' ἀΐδηλον. Conf. et Iunonis oratio in Hom. H. in Ap. v. 310 seqq. maxime v. 314 et 324., ubi tamen nata ex Iovis capite Minerva non dicitur. — Schol. Ven. ad Il. E. 880. Homeri verba occasionem Hesiodo dedisse ait hanc fingendi fabulam, cum αὐτὸς temere interpretatus esset μόνος. Quod si Schol. ad Il. Θ. 13. audias, hinc orta fabula, quod passim apud Homerum Iovis, tanquam patris Minervae, numquam matris mentio fit.

vv. 927—929. Quod poëta tradit, ex Iunone sola genitum Vulcanum, vulgo receptus Graecorum opinione mythus fuit, a quo dissensisse Apollodorus I. III. 5. Homerum notat, secundum quem Iovis et Iunonis filius fuit Vulcanus (Il. A. 572. 578. Od. Θ. 312.). Homerum sequitur Plato in Critia p. 109., Hesiodum plerique Veterum. Τὸν Ἥφαιστον ἄνευ Χαρίτων (citra concubitum) ἐκ τῆς Ἥρας γένεσθαι, dixit Pindarus apud Plutarchum T. II. p. 751. D. Ἥρης υἷα κλυτὸν vocat etiam Apollon. Rhod. I. 859. Consentit Hyginus p. 12. De femore Iunonis natum ait Servius ad Aen. VIII. 454. Apud Eustathium autem p. 987. alius refertur mythus, gravidam ex clandestino Iovis ante nuptias concubitu Iunonem, cum post nuptias Vulcanum pareret, conceptum ex se simulasse δίχα μίξεως, ex quo tamen perinde atque ex aliis, ibi relatis, Samiorum, ut videtur, mythis, nec minus ex Homericis locis Il. A. 590

seqq. Σ. 395 seqq. et fabula apud Pausan. I. 20. liquere existimo, fuisse antiquitus Vulcani religionem arctiore nexu cum Iunonis religione coniunctam, cuius rei nescio an haec causa fuerit, quod in Lemno aliisque maris Aegaei insulis, in quibus metalli fodinae ac fabrilia opera fervebant, praeter Vulcanum praecipua religione colebatur Dea Coeli regina, sive illa Phoenicia fuit, sive Pelasgica. Nam pariter Phoenices et Pelasgos illas insulas habitatoribus frequentasse constat, unde apparet etiam, cur Athenis non minus, quam Lemni, in honore fuerit Vulcani religio, cum Pelasgi Lemnii prodantur iidem fuisse, qui Athenas olim tenuerant. Vid. Il. A. 593 seqq. Od. Θ. 293 seqq. Herod. V. 26. VI. 47. Thucyd. IV. 109. VII. 57. Eustath. p. 284. 36. Natum autem ex Iove et Iunone, vel ex Iunone sola Vulcanum, probabiliter iam antiquitus ad coelestem ignis originem retulerunt, praesertim accedentibus fabulis, quae praecipitatum coelo Vulcanum ferrent. Vid. Cornutus c. 19. Heraclides p. 445. Porphyrius apud Euseb. Praep. Euang. III. 11. p. 112. A. Eustath. p. 151. 24 seqq. Serv. ad Aen. VIII. 414. Sed Hesiodus hîc in Vulcano non tam ignis Deum spectavit, quam prae ceteris Coelestibus *τεχνῆσι κεκασμένον* (v. 929.), quem aemulatione ducta Iuno opponere voluerit Iovis filiae *ἐργανῇ*, qualem Hesiodus Minervam item noverat. Vid. *Ἔργ.* 63. 428.

Versum 928 temere Wintertonus sequenti postponendum duxit, quem egregie refutavit Muetzellius p. 87., citatis similis vocabulorum collocationis exemplis Il. A. 150—153. Ω. 71 seq. Od. I. 25—27. supra 582—584. Est eo versu *ζαμένησε* inter *ἅπαξ λεγόμενα*.

Post versum 928 (non, ut dixi in Varr. Lectt. post v. 929.) dandus, sicubi forte, locus iis, quae apud Galenum

l. c. exstant ex Chrysippi de Anima libris servata, quae proinde iam integra hîc apponam. Φασὶ δ' οἱ μὲν οὕτως ἁπλῶς ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς αὐτὴν (τὴν Ἀθηνᾶν) γενέσθαι, οὐδὲ προσιστοροῦντες τὸ πῶς ἢ κατὰ τίνα λόγον· ὁ δὲ Ἡσίοδος ἐπὶ πλέον λέγει ἐν ταῖς Θεογονίαις, τίνων μὲν ἐν τῇ Θεογονίᾳ γραφόντων τὴν γένεσιν αὐτῆς, πρῶτον μὲν Μήτιδι συγγενομένου τοῦ Διὸς, δεύτερον δὲ Θέμιδι, τίνων δὲ ἐν ἑτέροις ἄλλως γραφόντων τὴν γένεσιν αὐτῆς, ὡς ἄρα γενομένης ἔριδος τῷ Διὶ καὶ τῇ Ἥρᾳ γεννήσειεν ἡ μὲν Ἥρα δι' ἑαυτῆς τὸν Ἥφαιστον, ὁ δὲ Ζεὺς τὴν Ἀθηνᾶν ἐκ τῆς Μητίδος καταποθείσης ὑπ' αὐτοῦ· ἡ μὲν γὰρ εἰς αὐτὸν κατάποσις τῆς Μητίδος καὶ ἔνδον τοῦ Διὸς τῆς Ἀθηνᾶς γένεσις κατ' ἀμφοτέρους τοὺς λόγους ἐστίν· διαφέρουσι δ' ἐν τῷ, πῶς ταῦτα συνετελέσθη — λέγεται δ' ἐν μὲν τῇ Θεογονίᾳ οὕτω· (sequuntur versus 886—890. et 900.) εἶτα προελθών φησιν οὕτως· (sequuntur versus 924—926.) στήθεσι γὰρ αὐτοῖς ἔνδον εὔδηλον ὅτι ἀπέθετο τὴν Μῆτιν καὶ οὕτως φησὶν αὐτὴν γεννῆσαι κατὰ τὴν κεφαλήν· ἐν δὲ τοῖς μετὰ ταῦτα πλείω διεληλυθότος αὐτοῦ, τοιαῦτ' ἐστὶ τὰ λεγόμενα·

Ἐκ ταύτης ἔριδος ἡ μὲν τέκε Φαίδιμον υἱὸν,
Ἥφαιστον, τέχνῃσιν, ἄνευ Διὸς αἰγιόχοιο,
Ἐκ πάντων παλάμῃσι κεκλήμενος Οὐρανιώνων.
Αὐτὰρ ὅγ' Ὠκεανοῦ καὶ Τήθυος ἠϋκόμοιο
Κούρην νοσφ' Ἥρας παρεδέξατο καλλιπαρήου,
Ἐξαπατῶν Μῆτιν καί περ πολὺ δινεύουσαν.
Συμμάρψας δ' ὅγε χερσὶν ἑὴν ἐγκάτθετο νηδὺν,
Δείσας, μὴ τέξῃ κρατερώτερον ἄλλο κεραυνοῦ.
Τουνεκά μιν Κρονίδης ὑψίζυγος, αἰθέρι ναίων,
Κάππιεν ἐξαπίνης· ἡ δ' αὐτίκα Παλλάδ' Ἀθήνην
Κύσατο, τὴν μὲν ἔτικτε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
Πὰρ κορυφὴν, Τρίτωνος ἐπ' ὄχθῃσι ποταμοῖο.

Μῆτις δ' αὖτε Ζηνὸς ὑπὸ σπλάγχνοις λελαθυῖα
Ἧστο, Ἀθηναίη μήτηρ τέκτηνα δικαίων,
Πλεῖστα θεῶν εἰδυῖα, καταθνητῶν τ' ἀνθρώπων.
Ἔνθα θεὰ παρέλεκτο Θέμις παλάμαις περὶ πάντων
Ἀθανάτων ἐκέκαστο Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσιν,
Αἰγίδα ποιήσασα Φοβέστρατον ἐντὸς Ἀθήνη,
Σὺν τῇ ἐγείνατό μιν πολεμήϊα τεύχε' ἔχουσαν.

De his Ruhnkenius in Ep. Crit. »nusquam, inquit, *in-*»*terpolatorum* manus licentius grassata est, quam in narra-»tione de Metide. Vide enim, quid *in suo Theogoniae ex-*»*emplo legerit Chrysippus* apud Galenum." Tum, citatis versibus Ἐκ ταύτης ἔριδος κ. τ. λ. subiicit: »Haec, tametsi »*adulterina*, tamen *ob vetustatem* digna sunt, quae emenda-»tius legantur." Hinc versus bene multis in locis corrigit. Wolfius autem in annot. ad versum Th. 927. »si quis ad-»huc dubitet, inquit, *maxime diversas* olim *inter se fuisse* »*Editiones carminis Hesiodi*, videat, quaeso, quanto longio-»rem hanc ῥῆσιν (de contentione inter Iovem et Iunonem) »ex libro quodam Chrysippi exhibeat Galenus. — Vt in-»genium exerceant iuvenes, *stribliginem*, sicut vulgo edunt, »adscribam: ἐκ ταύτης ἔριδος κ. τ. λ." Neque postea alia prolata est a Wolfio sententia, cum in Prolegomenis ad Homerum p. CCXXXVI. *locum in Theogonia* (de Metide) 18 (19) *versibus auctum ex libro Chrysippi* dixit; neque verba haec cum Goettlingio sic accipienda, quasi voluerit Wolfius, temere versus illos affinxisse Hesiodo Chrysippum: qua damnata opinione Goettlingius *ex alio poëta* prolatos a Chrysippo versus statuit. Muetzellius autem p. 367. »duplicem, inquit, Chrysippus memorat de ortu Minervae »narrationem, alteram ἐν τῇ Θεογονίᾳ, alteram ἐν ἑτέροις »positam: iam illustrat illam versibus 886—890. 900. 924 »—926.; deinde pergit ad alteram fabulam recitandam his

»verbis ἐν δὲ τοῖς μετὰ ταῦτα πλείω διεληλυθότος αὐτοῦ· »*nempe posita haec narratio ab Criticis erat in carmine ali-*»*quo, quod in universa Hesiodeorum collectione post Theogo-*»*niam fuerat collocatum.*" Conf. idem p. 498 seq. Mihi verior videtur Wolfii sententia, maxime diversas olim inter se fuisse editiones carminis Hesiodei, mihique indicari id videtur verbis Chrysippi τίνων μὲν ἐν τῇ Θεογονίᾳ γραφόντων — τίνων δ' ἐν ἑτέροις ἄλλως γραφόντων. Tum ad illas tam diversas inter se τῶν γραφόντων editiones vel recensiones referenda puto Chrysippi verba: ὁ δὲ Ἡσίοδος ἐπὶ πλέον λέγει ἐν ταῖς Θεογονίαις, ex quibus ille Theogoniis unam prae ceteris τὴν Θεογονίαν dixerit, quippe quam eximie Critici ut Hesiodeam probassent. Verbis autem ἐν ἑτέροις quominus cum Goettlingio (si tamen hoc voluit) *alium poëtam* indicari putem, obstare mihi videtur praecedens apud Chrysippum ὁ Ἡσίοδος, quodque sequitur ἐν δὲ ταῖς μετὰ ταῦτα πλείω διεληλυθότος αὐτοῦ: quominus autem cum Muetzellio ἐν ἑτέροις ad *aliud* referam in universa Hesiodeorum collectione *carmen*, obstare, quod praecedit, ἐν ταῖς Θεογονίαις. Neque facile inter omnia, quae feruntur, Hesiodea aliud tibi carmen informes, ubi commodam sedem habuerit haec de Metide narratio, quae profecto commodam magis sedem vix inveniat, quam quo loco positam illam fuisse arbitrati sunt Ruhnkenius, Wolfius, Goettlingius: neque est, ut verba Chrysippi μετὰ ταῦτα potius cum Muetzellio explices *post Theogoniam in alio carmine*, quam simpliciter *post illa, quae locum de nata Minerva* (vv. 924—926.) *excipiebant.* Sunt autem haec: Ἥρη δ' Ἡφαιστον κλυτὸν, οὐ φιλότητι μιγεῖσα, Γείνατο, καὶ ζαμένησε καὶ ἤρισεν ᾧ παρακοίτῃ, in quibus, si recte video, illud ἤρισεν inepto poëtae occasionem praebuit, reiecto versu 929, subiiciendi ἐκ ταύτης ἔριδος κ. τ. λ. Ceterum esse haec, quae Chrysippus in suo quodam Hesiodi carmi-

num exemplo legit, seu post versum illa Th. 928., sive alibi sedem habuerint, *adulterina*, negaturum recte neminem opinor; *vetusta*, esse equidem sic statuam cum Ruhnkenio, quatenus certe antiquiora sunt Chrysippo: sed idem longe recentiora putem haud iis modo, quae citra controversiam ab omni antiquitate habita sunt Hesiodi, verum etiam Scuto et Catalogis, aliisque huiusmodi aetatis Epicae carminibus, de quibus, an essent Hesiodi, dubitasse videas Veterum nonnullos. Nam, me quidem iudice, Chrysippea ista colorem magis eius habent seculi, quo nata sunt pleraque Orpheo afficta. Sic, quod Μῆτις v. 14. dicitur *τέκτηνα δικαίων*, plane Orphicum poëtam sapit. Hominem eiusmodi, qui sua post Th. v. 929. interpolaverit, si Goettlingius *alium poëtam* dixit, non est, quod ei refragemur. Adposuit autem Goettlingius Chrysippea emendatius edita partim ex Ruhnkenii sententia. Maluimus nos cum Wolfio prius locum, ut est apud Galenum depravatus, adponere, iamque hîc deinceps dicere de medela, quam corruptis adhibendam censuere VV. DD.

Verissime correxit Ruhnkenius v. 3. *κεκασμένον*, v. 5. *Κούρῃ, νόσΦ' Ἥρης, παρελέξατο καλλιπαρήῳ*. Nam, quod Goettlingius cetera, ut sunt apud Galenum, relinquens, satis habuit *καλλιπάρῃον* pro *καλλιπαρήου* scribere, vereor, ut probari possit, cum *κούρην παρεδέξατο* non habeat significationem, quae requiritur, coniugii et concubitus. Rectius idem Goettlingius v. 6. reliquit *καίπερ πολὺ δινεύουσαν*, pro quo Ruhnkenius legendum censuerat *καίπερ πολυΐδρην ἐοῦσαν*. Namque et audacior haec emendatio est, et fortasse non indiget emendatione locus, quamvis quid auctor verbo *δινεύουσαν* indicare voluerit, haud satis constet. Heynius quidem Obss. ad Apollod. I. III. 6. explicat *repugnantem et elabi volentem*. Fortasse, quod Geelio meo in mentem venit, transponendi sunt versus 6 et 7, ut *ἐξαπατῶν*

non ad παρελέξατο pertineat, sed ad aliam traditionem, cuius, quamquam obiter et obscurius, mentio facta ab Hesiodo v. 889 seq. Minime quidem admittam, quod pro δινεύουσαν Orellius scriptum voluit ἀννεύουσαν. — Versus 9, notante Ruhnkenio, est ex Hom. Il. Δ. 166. vel ex Hes. Ἔργ. 18. In v. 14 correxit idem Ἀθηναίης μήτηρ. Lenior et elegantior est Goettlingii correctio Ἀθηναίη. Cur autem ille pro τέκτηνα Galeni τέκταινα scripserit, haud adsequor. Versum 15 sumtum animadvertit Ruhnkenius ex Hesiodi v. 889; in v. 16. legendum censuit ἐκέκαστ' (ἐκέκασθ' Goettl.) οἱ Ὀλ. δ. ἔχουσιν· v. 18. scribendum Ἀθήνῃ in dativo »ut sensus sit, inquit, *Metis aegidem Minervae in Iovis corpore* (ἐντὸς) *fecit.*" Reliqua (corrupta in v. 16.) quomodo corrigeret, nescire se fassus est. Welckerus autem in Trilog. Aeschyl. p. 278. in nota, versum 13 et seqq. in Chrysippeis divellendos putat a superioribus, utpote tertiam exhibentes de Metide narrationem, qua dicta haec fuerit τέκτηνα δικαίων eademque Orphico sermone Θέμις, post quam vocem distinguendum, contra post versum antepenultimum tollenda distinctio sit: attamen fatetur asyndeton suspectum de corruptela v. 14 facere. Equidem corruptum haud dubie versum illum censeam, vel si ceterum probabilis habeatur Welckeri de tertia narratione, seriore illa atque Orphici generis, opinio. Corruptum versum censuere etiam Ruhnkenius, Goettlingius, Hermannus. Sed Ruhnkenio nihil, quo corruptelae mederetur, in mentem venit. Goettlingius in pr. Ed. scripsit Ἔνθα θεὰ παρέλεχθ', ἣ μὲν παλάμαις περὶ πάντων Ἀθανάτων ἐκέκασθ', οἱ Ὀλ. δ. ἔχουσιν (in Ed. alt. ἐκέκαστο Ὀλ. δ. ἐχόντων). Sed μὲν eo loco stare nequit, et παρέλεχθ' explicatione duntaxat indigebat. Hermannus in Goettlingianae censura legendum statuit: Ἔνθα θεὰ παρέδεκτο (sc. τὰ δίκαια), ὅθεν παλάμαις περὶ πάντων Ἀθανάτων ἐκέκαστο Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντας, ubi cur in postremis a Ruhnkenii et Goettlingii lectione re-

cesserit, haud capere me fateor. Prior autem a Viro summo propositae correctionis pars hoc laborat incommodo, quod τέκτηνα δικαίων Metis vix dici potest illa ἔνθα (*ibi* in Iovis corpore) demum accepisse. Alia res fuerit, si θεὰ intelligi possit Minerva, ibi a matre Metide τὰ δίκαια accipiens. Sed quominus sic intelligas, vetat sequens ποιήσασα. Ceterum, vel admissa Hermanni locum emendandi ratione, malim equidem ὅθεν εὖ παλάμαις π. π., tametsi idem suspicor, Hermannum de industria παρέδεκτο ὅθεν, ἐκέκαστο Ὀλύμπια, vix dignos antiquis Epicis hiatus, probasse, quod totam ῥῆσιν serioris poëtae foetum haberet. Memorandae quoque hîc duntaxat Orellii super hoc loco coniecturae τέκταινα τε δηνέων (vel τευχέων) v. 14. et θεᾷ παρέλεκτο θέμις v. 16. Relictum expositumque a Ruhnkenio ἐντὸς Goettlingius correxit ἔντος, ipse notans rarissimum hunc usum nominativi singularis in eo vocabulo, citans tamen similiter in Archilochi fragm. LVIII. p. 150. Ed. Liebel. dictum ἔντος ἀμώμητον. Geelius coniicit, poëtam istum, cum animadvertisset, se nimia narrandi festinatione prius de nata Minerva dixisse, quam retulisset ea, quae partum proxime praecesserant, digna tamen, quae item referrentur, hinc post vv. 11. 12, relecto narrationis filo, subiecisse: Μῆτις δ' αὖτε κ. τ. λ. Tum versus 16 seqq. ita constituendos proponit Vir Cl. Ἔνθα θεὰ παρέδεκτο, ἔμεν παλάμαις περὶ πάντων Ἀνδρῶν τ' Ἀθανάτων θ', οἱ Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσιν, Αἰγίδα ποιητὴν τὸ φοβέστρατον ἔντος, Ἀθήνη, Συν τῇ κ. τ. λ. *Ibi in corpore Iovis Dea Minerva accepit* (*a matre*) *aegidem fabrefactam, terribile illud scutum, ut omnes homines et Deos superaret fortitudine.* Ex Iovis capite σὺν ὅπλοις prosiluisse Minervam primum a Stesichoro traditum observat Schol. ad Apollon. Rhod. IV. 1310 seqq.: quod si verum sit, esse Hymnum Homer. in Minervam (XXVI.) Stesichoro iuniorem, animadvertit Heynius ad Apollod. l. c. Itaque Stesichoro

iuniores etiam, quos Chrysippus habet; versus, quorum postremum confer cum praedicti Hymni vv. 4 et 5.

vv. 930—933. Ex Amphitrite et Neptuno natus Triton, Hesiodo magnus, validus, tremendus Deus, Homero prorsus silentio transmissus, sed cui locus fuit in Argonauticis. Vid. Herod. IV. 179. Pindarus Pyth. IV. 49 seqq. Apollon. Rhod. IV. 1588 seqq. Lycophr. 886 seqq. et ad hos poëtas Scholia: quam expeditionem cum item attigerit Hesiodus, ut ex Scholiis ad Apollon. Rh. IV. 259. 284. liquet, est, ut credat quis, eum ibi quoque Tritonem, atque insuper formam huius *διφυῆ*, necnon buccinam seu concham, memorasse. Vetus Tanagraeorum mythus initiatas illic sacris Bacchi matronas a Tritonis e mari invadentis saevitia Bacchi ope defensas ferebat, teste Pausania IX. 20.; quo lecto de bellua marina cogites, aut certe Tritonem eiusdem ferme generis Deum censeas, cuius fuerunt Phorcus, Ceto, alii. Sed tamen potius est, ut per Tritonis personam declarata fuisse videatur ingens vis maris, cum sonitu fluctus suos et simul gravissima quaeque attollentis, perque litoris anfractus et cavernas mugientis. Namque huc ducit et ipsius et matris nomen, et quod vulgo ut buccinator inducitur. Vid. Virgil. X. Aen. 209. Ovid. I. Met. 333 seqq. *Εὐρυβίην Τρίτωνα* inter maris numina invocant Argonautae apud Orph. Argon. 337. (al. 339.). Eum vim suam exserentem ad detrudendas scopulo naves Aeneae inducit Virg. I. Aen. 144 seqq. Fuit Triton inter praecipua Macedonum numina. Certe coram Neptuno, Tritone et Marte factum inter Philippum Macedonem et Hannibalem foedus, quod refert Polybius VII. 9. Nerei filium Tritonem facit Lycophron l. c., Neptuni et Celaenûs Acesander apud Tzetzen ibid. et Schol. ad Pind. P. IV. 57. Hesiodum sequitur Apollod. I. IV. 6., sororem tamen Tritoni adiungens

Rhoden. Ignorat hanc, nostro consentiens, Hyginus p. 11. Ed. Stav. Tritonis mater Salacia apud Serv. ad Aen. I. 148. eadem est Amphitrite. Vid. Muncker. ad Hygin. d. l.

Neptuni apud Aegas *κλυτὰ δώματα βένθεσι λίμνης χρύσεα*, qualia hîc, etiam Il. N. 21 seqq. memorantur.

v. 933. *χρύσεα δῶ*) Gregorii Corinth. Codex Vat. de D. D. § 119. *αἱ ἀποκοπαὶ ἴδιαι αὐτῶν εἰσί· γίνονται δὲ κατὰ τέλος, Ποσειδῶνα, Ποσειδῶ, δῶμα, δῶ· ὡς καὶ Ἡσίοδος· χρύσεα δῶ.* Sed potius dicendum, tales apocopas proprias fuisse sermoni minus culto. Conf. Valcken. ad Herod. p. 307. Koen. ad Gregor. l. c.

vv. 933—937. E Marte et Venere Terror, Pavor, Harmonia. De Terrore et Pavore, Martis filiis dictis, expedita res est. *Φόβον* Martis filium perhibet etiam Homerus Il. N. 299. Harmoniam Iovis et Electrae filiam Samothraces ferebant, testibus Diodoro Sic. V. 48. et Schol. Apollon. Rh. I. 926. Sed ex Venere et Marte genitam cum Hesiodo Veterum plerique tradiderunt. Vid. Hygin. fab. 6. et ibi VV. DD. Fabulam physice interpretati sunt Heraclides p. 494. Plutarch. de Is. et Osir. c. 48. T. II. p. 370. D. A compositis per bellum rebus, ut *Ἄρην*, ita filiam eius Harmoniam dictam coniecit Cornutus de N. D. c. 21. Nugantur more suo Schol. et Io. Diaconus h. l. Fuit Harmoniae proprius locus in Thebanis fabulis, de quibus videndi Apollod. III. IV. 2. Pausan. IX. 12. Plutarchus in Pelop. c. 19. Itaque suspicari liceat, mythum de Harmonia ex Marte et Venere nata ortum duxisse ex composito per nuptias bello, nescio an illo, quod Phoenici advenae, fabularum Cadmo, fuit cum indigenis (Vid. Pausan. ibid. c. 5. Dercyllus apud Schol. ad Eurip. Phoen. v. 7. Palaephatus c. 7.), unde Harmonia dicta uxor Cadmi (v. 937. infra

v. 975 seqq.). Sic in mythos recepto Martis et Veneris coniugio, consequens fuit, ut Martis filii dicti, Terror et Pavor, iidem Veneris quoque filii haberentur. Illi, sicut hîc cum Marte (v. 935 seq.), ita Il. Δ. 440. cum Marte et Minerva pugnam ciere dicuntur. In Scuto v. 195. Marti pugnam cienti iuxta currum adstant; v. 463. equos ei ad currum iungunt, quod faciunt etiam Il. O. 119. Per Martem, Enyo *καὶ Φιλαίματον Φόβον* iurant Septem contra Thebas apud Aeschylum v. 45.

vv. 938—944. Memoratae supra (vv. 886—992.) Deae, unde liberos Iupiter suscepit, vel eius deinceps fuerant iustae coniuges (v. 886. 901. 921.), vel certe haud furto cognitae. Memorantur iam Iunonis pellices, nataque inde Iovi proles, e Maia, Atlantide nympha, Mercurius (v. 938 seq.); e mortali Semele, Cadmi filia, Dionysus (v. 940—942.); ex Alcmena, item mortali, Hercules (v. 943 seq.). Fuit igitur, secundum Hesiodum, ex iunioribus Diis, ut Dionysus, ita Mercurius, quem et Hom. H. in eum v. 3 seqq. natum refert e furto Iovis, sopitam Iunonem fallentis. Et sane vix est, ut huius Dei religio per Graeciam invaluerit ante invecta in eandem initia cultioris vitae multarumque artium, quibus praeesse creditus Mercurius. Memorat hîc quidem Hesiodus non nisi unum praecipuum eius munus, quod erat Deorum praeco (v. 939. Conf. et Ἔργ. 84.). Sed tamen eundem etiam novit *ἐριούνιον* (supra v. 444.) callidumque et facundum (Ἔργ. 67. 76.).

Quod v. 940. dicitur *Σεμέλη τέκε φαίδιμον υἱὸν*, arguit, ignorasse Hesiodum Semelen fulmine combustam et insutum Iovis femori Dionysum, de quo ceterum secutus est Veteres Thebanorum fabulas, Deum illum Thebis natum et Cadmeum genere ferentes, mytho, ut videtur, hinc orto,

quod apud primos Graecorum Thebanos peregre invecta, ibique per Cadmeos propagata esset Bacchi religio, qua in re praecipuae fuisse possunt partes Semeles, ut fuerunt Agaves, item Cadmeae, aliarumque mulierum. Dionysi matrem ex Iove Semelen agnoscit etiam Homerus Il. Ξ. 323. 325.; super eius quoque partu consentiens. Conf. et H. in Dionys. I. 57 seqq.

vv. 938—941, ut Hesiodi, citat Clemens Alex. Strom. T. I. p. 382., hinc Eusebius Euang. Praep. X. p. 293.

v. 942. *νῦν δ' ἀμφότεροι θεοί εἰσιν*) Apollod. III. IV. 3. *ὁ δὲ (Διόνυσος) ἀναγαγὼν ἐξ ᾅδου τὴν μητέρα καὶ προσαγορεύσας Θυώνην, μετ' αὐτῆς εἰς οὐρανὸν ἀνῆλθεν.* Conf. Diod. Sic. IV. 25. ibique Wessel.

Ad v. 943 Scholiasta: *σημειωτέον, ὅτι δύο συλλαβῶν ἀποκοπαί εἰσιν. Ἀθετοῦνται ἑφεξῆς στίχοι ἐννέα· τοὺς γὰρ ἐξ ἀμφοτέρων θεῶν γενεαλογεῖν αὐτῷ προκεῖται.* Cum autem in hodierna carminis forma nusquam compareant illic novem versus continui, in quos Scholiastae reprehensio cadat ex omni parte, Muetzellius p. 502. manca hic nos habere exemplaria statuit, quodque, ut prodita ab Hesiodo, referat Manilius II. 16. 17. *sub fratre viri nomen, sine fratre parentis, Atque iterum patrio nascentem corpore Bacchum*, excidisse hinc uberiorem de Bacchi natalibus expositionem coniicit. Mihi autem non apparet, quomodo hoc de Baccho iterum nato commode sequi potuerit post versus 940—942. Goettlingius ad h. l. »nisi fallor, inquit, Scholiasta »notavit versus 938—944. Illud enim *σημειωτέον, ὅτι δύο »συλλάβων ἀποκοπαί εἰσι κ. τ. λ.* quum magis pertineat »ad versum 938. propter *δ' ἄρ'*, quam ad versum 943., »legendum videtur *ἀθετοῦνται ἑφεξῆς στίχοι ἑπτά.*" At-

tamen, cum omnino requireretur in hoc carmine mentio, unde nati Mercurius, Bacchus, Hercules, mireris, quemquam remotos voluisse versus, quibus solis illa mentio contineretur. Accedit, quod natus Mercurius matre non mortali, sed Atlantis filia, Hom. Hymno in Merc. v. 4. 20. 230. Νύμφη, ἀθάνατος et ἀμβροσίη dicta. Itaque duntaxat versus 938 seq. reiicere ob causam ab Scholiasta indicatam haud facile quisquam potuit. Tum mihi non tam certum, ac Goettlingio, videtur, Scholiastam in priore annotationis parte ad δ' ἄρ' in v. 938. respexisse. Putem equidem potius cum Geelio, dicta ibi pertinere ad δῶ in v. 933. cum ibi revera sint δύω συλλαβῶν ἀποκοπαί. Sic autem sequens annotationis pars alio pertinere censenda est, cum ad illa, quae versûs 933 fine ac deinceps exstant, pertinere nequeat. Quorsum autem pertineat, ignorare nos, fatendum est.

v. 945 seq. Vulcani uxorem Homerus Il. Σ. 382. memorat Gratiam, Od. Θ. 267 seqq. Venerem. Itaque venustus mythus duplici ratione enunciatus fuit. Conf. Cornutus de N. D. c. 19. Hesiodus autem, cum ex Thebanis fabulis Venerem Martis coniugem agnovisset, hinc Vulcano uxorem non Venerem dedit, sed Gratiam, ac definite quidem minimam natu de Gratiis Aglaïam.

vv. 947—949. Memoratur hîc breviter Ariadnae cum Dionyso coniugium, sed fortasse in Catalogo plenius fuit ea res narrata post factam ibi perfidiae in Ariadnam Thesei, novo Panopeïdos Aegles amore capti, mentionem, de qua constat ex Plutarcho in Thes. c. 20. Athen. XIII. p. 557. Certe dissensit Hesiodus ab Homero, quem si audias Od. Λ. 320., Ariadnam Theseus ex Creta Athenas ἦγε μὲν, οὐδ' ἀπόνητο· πάρος δέ μιν Ἄρτεμις ἔσχε Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ, Διονύσου μαρτυρίῃσι, ubi ex Scholiis ad v. 325. discas, fuisse, qui traderent, Dionysum Ariadnam impietatis ac-

cusasse, quod in eius templo rem illa cum Theseo habuisset. Itaque ἔσχε, *detinuit*, illam Diana, scilicet mortem inferendo: detinuit autem sic in Bacchi gratiam, ac fortasse ibi quaerendus fons mythi, quo retenta illic ferebatur, ut Bacchi coniux esset. Conf. Sabinus Ep. II. 51 seq. Apud Homerum quidem d. l. non, ut coniux Dionysi, sed inter demortuas prodit heroinas. Facit etiam Aratus v. 72. eius, ut mortuae, mentionem, fueruntque omnino multae ac variae de morbo ac morte eius traditiones, quibusdam adeo mortuam eam post coniugium cum Baccho ferentibus (Vid. Plutarch. l. c. Pausan. II. 23. ex Pherecyde. Schol. ad Od. Λ. 320. et Eustath. p. 1688. 48.), quamvis vulgo magis Hesiodeam v. 949. traditionem secuti sint de facta in Bacchi gratiam immortali Ariadna. Vid. Ovid. III. F. 510 seqq. Propert. III. XV. 7. ibique Broukh. Hygin. f. 224. ibique VV. DD. Videtur autem Hesiodus ita tradidisse, quod iam tum celebrarentur in honorem Ariadnae festa, quale celebratum apud Oenionas Locrenses fuisse, quo die fluctibus ad eos delatum Hesiodi cadaver, Auctor perhibet Certaminis Homeri et Hesiodi. Sed sacris cultam etiam a Cypriis et Naxiis Ariadnam ex Plutarcho l. c. discas; illaque, seu corona eius, quod in coelo luceret, dicta, ut videtur, Ἀρίδηλα Cretensibus, quae glossa est Hesychii. — Bacchi et Ariadnae filios, quos memorant Schol. Apollonii Rh. ad III. 996. et alii, ignorasse Hesiodus videtur.

Versu 947. dicitur χρυσοκόμης Dionysus et ξανθὴ Ariadna. Scilicet flava coma pulcrior habebatur. Itaque et Amor χρυσοκόμας dicitur apud Euripidem Iph. in Aul. v. 538. Mirationem igitur facit, quod Hom. H. in Bacch. v. 4. 5. huius Dei ἔθειραι κυάνεαι memorantur. Passim autem Bacchus a coma praedicatur. Sic εὐρυχαίταν dixit Pindarus Isthm. VII. 4 seq. Conf. Broukh. ad Tib. I. IV. 3.

v. 949. *ἀθάνατον καὶ ἀγήρω θῆκε* i. e. participem fecit divinitatis, cuius est naturae proprium non modo, ut immortalis, sed etiam ut senectutis expers sit. Conf. infra v. 955. Il. B. 447. Θ. 539. P. 444. Od. E. 136. 218. H. in Cer. 242., unde, secundum Heraclidem p. 448 seq., fabula de pocula Diis ministrante Hebe.

v. 950—955. Hercules, post exantlatos labores in Olympum inter immortales receptus, uxorem ibi duxit Hebén. Retulit etiam Hom. Od. Λ. 601 seq. hunc mythum, quo vix aliud quidquam significatur, quam Herculem cum divinitate etiam in perpetuum *ἥβην*, iuventutem, esse adeptum. Fuere autem, qui insuper natos ex Hercule et Hebe liberos memorarent. Vid. Apollod. II. VII. 7. extr.

De relato in Deorum numerum divinisque honoribus culto Hercule nonnulla lectu digna habet Diod. Sic. IV. 39., ubi videndus etiam Wesseling.

v. 952 legitur etiam Od. Λ. 603. Vt hîc v. 954. *ὄλβιος* Hercules, ita apud Pindarum Isthm. IV. 99. dicitur *κάλλιστον ὄλβον ἀμφεπών*. Vers. 954 seq. construe cum Heynio *ὃς ἀνύσσας μέγα ἔργον ναίει ἐν ἀθανάτοισιν*. Goettlingium, construentem *ἀνύσσας μέγα ἔργον ἐν ἀθανάτοισι*, recte reprehendit Hermannus in Censura, animadvertens, ineptum esse *ναίει*, nisi adiiciatur habitationis locus.

vv. 956—962. Solis progenies. Ex Sole et Perseide Oceani filia (supra v. 365.) Circe et Aeetes (v. 956 seq.). Consentit Homerus Od. K. 136 seqq., nisi quod ei Solis coniux non *Περσηΐς*, sed *Πέρση* dicitur, in quo Homerum secutus est Apollon. Rhod. IV. 59. *Ἠέλιον ἀκάμαντα* *indefessum (cursu)* dici videas etiam Il. Σ. 239. Vt Oceaninam Soli coniugem darent, valuisse hoc potest, quod na-

vigantibus, ut mane oriri Sol e mari, ita vesperi in illud se recipere videtur. Dicebatur autem Veteribus Oceanus tam ad Orientem, quam ad Occidentem, maris pars remotior. Itaque Mimnermus apud Strabonem I. p. 47. memorat Αἰήταο πόλιν, τόθι τ' ὠκέος ἠελίοιο Ἀκτῖνες χρυσέῳ κείνται ἐν θαλάμῳ Ὠκεανοῦ παρὰ χείλεσ', ἵν' ἄρχετο θείος Ἰήσων. Atque hinc facile intelligitur, quomodo dictus sit Aeetes Solis ex Oceanina filius, eiusque coniux Iduia (v. 959.) item Oceani filia. Neque dispar ratio in Circe, si quidem Aeaea et ipsa et insula, in qua degebat, Homero Od. I. 32. Λ. 70. dicta fuerit ab Aea, Colchorum urbe, seu regione. Sed difficultatem Circe facit, in illa Hesperii maris insula degens: unde fuere, qui duas Circas comminiscerentur, alteram Colchicam, alteram Hesperiam (Vid. Schol. ad Apollon. Rhod. II. 399. III. 311.), quod tamen manifesto refragatur Homeri atque Hesiodi sententiae, quorum uterque cognitam Vlyssi Circen Aeetae Colchorum regis sororem facit (infra 1011 seqq. Od. K. 137.). Itaque alii varias causas commenti sunt, cur Circe Colchos suos reliquerit. Vid. Diod. Sic. IV. 45. Val. Flacc. VII. 120. 217 seqq. Eam patris curru devectam in mare Hesperium tradit Apollon. Rhod. III. 309., non Hesiodum ille in ea re, quod I. H. Vossio visum (Epp. Mythol. XV. T. II. p. 127.), sed in hoc secutus, quod Circen incolam maris Tyrrheni insulae facit. Vid. infra 1015 seq. Sic enim accipienda verba Scholiastae ad Apollon. Rh. l. c. Sed fortasse Circen Hesperiam et hinc Solis filiam dictam poëtae γενεαλογοῦντες eam ob causam etiam Aeetae sororem et sic origine Colchicam finxerunt, praesertim, quod iisdem, quibus Medea, artibus excelleret. Certum quidem est, etiam Hesperias Solis filias agnovisse Veteres. Sic Lampetien et Phaëthusam, patris Solis boves in insula maris Hesperii Trinacria pascentes, memorat Homerus Od. M. 131 seq.; sic

ad Eridanum ob casum Phaëthontis lugentes Heliades Apollon. Rhod. IV. 603. et alii: noveruntque Veteres haud dubie *Solis utramque domum*, quam dicit Ovidius Her. Ep. IX. 16., itaque etiam Hesperiam, sive Occidentalem, et ad illam Oceani partem Solis praedia, stabula, armenta. Vid. Apollod. I. VI. 2. ibique Heyn., a quo minus, quam videri vult, dissentit I. H. Vossius Epp. Myth. XIX. T. II. p. 155. ipse fassus p. 160., Nonnum Dionys. XII. 1 seqq. in describenda Solis regia Hesperia antiquiores secutum esse. Pro Persa, seu Perseïde, Aeetae matrem Antiopen facit Eumelus apud Tzetz. ad Lycophr. v. 175., varia admiscens; matrem Circes Asteropen Pseudo-Orpheus Argon. 1222.; Dionysius Milesius Circes et Medeae patrem Aeeten, matrem Hecaten Perseïdem, Sophocles Neaeram, unam Nereïdum, teste Schol. Apollon. Rhodii ad III. 200. 242. Aeetae et Circes sororem Pasiphaën, Solis filiam, quam Apollodorus habet I. IX. 1. et III. 1. 2., Hesiodum ignorare hîc videmus.

v. 956 seq. respicit Eudocia p. 261.

vv. 958—962. Aeetes *θεῶν βουλῇσιν*, Deorum consilio, Diis auctoribus, uxorem duxit *Ἰδυῖαν* (*scientia pollentem*), quae filiam ipsi peperit, item a scientia consiliisque nomen nactam, *Μήδειαν*. Non memoratur hîc Aeetae filius Absyrtus, quem, qui memorant, etiam diversa matre genitum perhibent, priore Aeetae coniuge Asterodia, Caucasia Nympha secundum Apollonium Rhod. III. 242., Oceanina secundum alios, teste ibidem Scholiasta, qui versum hîc 958 cum v. 960 citat.

vv. 963—968. Poëta, cum in superioribus natos e Diis, certe maribus, Deos, praesertim Coelites recensuisset, iam,

his de more valere iussis, Musas canere vult Dearum cum Viris mortalibus concubitus, vel nuptias, natosque inde Diis similes heroas.

v. 963 et seq. suspectos Wolfius habuit, Heynius duntaxat versum 964. Priores Interpretes ad eos offendisse non apparet. In Scholiis et Allegoriis silentio praetermittuntur. Mombritius vertit *Vos o, polus omnis Quos tenet et sedes gaudet regnare beatas, Salvete! tibi, Terra parens, tibi dico salutem Et quaecunque vago dispergeris insula ponto*, ut haec ad cosmogonicam partem carminis referantur. Vide supra v. 106 seqq. L. Barlaeo *νῆσοι* sunt Insularum praesides Dii metonymice, *ἤπειροι* terrarum numina. Neutra explicatio facilitate se commendat, molestiam praesertim faciente *ἔνδοθι*, quod alio pertinere videtur, quam ad *ἅλμυρος*. Vt versus 963 retineatur, *Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες* ad Deos restringendum erit mares et maiores. Versum autem 964, ut hîc est positus, tuendi nullam equidem satis ex omni parte probabilem rationem video: nam mihi non magis, quam Wolfio, satisfaciat quis scribens: *νήσους τ' ἤπειρον τε καὶ ἅλμυρον ἔνδοθι πόντου*. Goetlingii coniecturam: *οἵσιν ὑπ' ἤπειροί τε καὶ ἅλμ. ἔνδ. πόντος*, minus vero similem habens, Hermannus in Censura locum versui fuisse post v. 843. putat, ut sit *ὑπεστενάχιζε δὲ γαῖα Νῆσοί τ' ἤπειροί τε κ. ἀ. ἐ. π.* Mihi, ut fuisse post v. 963. positus censeatur, una probabilis ratio se offert, si statuamus, medios aliquot inter utrumque excidisse versus: tum autem est, ut intercidisse iam antiquitus videantur. Facit enim, quod apud Dionysium Perieg. legimus v. 1181. *Ὑμεῖς δ' ἤπειροί τε καὶ εἰν ἁλὶ, χαίρετε, νῆσοι*, ut iam illi obversatum hunc locum putes, qualem exstare nunc videmus.

Goettlingio a versu inde 963 usque ad finem post He-

siodum scripta esse videntur. Rationem iudicii reddere neglexit; nec vero in eo satis ipse sibi constat. Vide enim quae notavit ad v. 986. 1015.

Ceterum habere nos hîc diversi a Theogonia carminis initium facile adsentimur Wolfio, Vossio, Creuzero, Hermanno, Muetzellio: at non item Wolfio, lacinias quasdam Catalogi Hesiodei fortuito in hunc locum comportatas fuisse contendenti, non Vossio (Epp. Myth. I. p. 103.) et Creuzero (Ep. ad Herm. p. 223.), Eoearum nos hic principium habere arbitratis. Convenit nobis potius cum Muetzellio p. 503., diversam hanc heroogoniam fuisse a Catalogis, quamvis ei subnexis, diversam item ab Eoeis. Dicit Proclus in Praef. ad Ἔργα, opus illud *καινουργῆσαι* (Ἡσίοδον) *μετὰ τὴν ἡρωϊκὴν γενεαλογίαν, καὶ τοὺς καταλόγους.* Itaque ille et carmina haec diversa ab se invicem et Catalogos heroogoniae subiectos novit. Catalogorum autem plures erant libri. Citantur a Veteribus varia ex primo et secundo Catalogo fragmenta: quamobrem non recte Muetzellius p. 504. Eoeas *κατ' ἐξοχὴν Catalogi* nactas inscriptionem censet. Scuti initium, quod haud dubie Eoearum pars fuit, *ἐν τῷ δ καταλόγῳ* fuisse, ex Scholio Aldino ad Scutum constat. Erant igitur Eoeae nactae non eximie Catalogi inscriptionem, sed quartum in Catalogis locum, satis longe illum ab heroogonia remotum, quam Theogoniae proxime subiectam novisse etiam Lucianus videtur, dicens Rhet. Praec. c. 4. Ἡσίοδος — *ἥδε θεῶν καὶ ἡρώων γένη.*

v.v. 969—974. Venusto mytho Ceres post coniugium cum Iasio in fertilis Cretae agro tertiato (Conf. Ἔργ. 456—460.), peperisse traditur Plutum. Conf. Diod. Sic. V. 77. Hunc mythum Homerus referens Od. E. 125. insuper Iasionem ob illum cum Cerere concubitum ab Iove fulmine percussum narrat. Neuter poëta Iasii sive

Iasionis genus habet, de quo varia recentiores tradiderunt. Cretem faciunt cum Nostro plerique. Vid. Apollod. III. XI. 1. ibique Heyn. Ovid. III. Am. X. 25 seqq. Itaque Cretensem mythi originem fuisse non dubito, quamvis cum Cereris religione ac mysteriis ad varios deinceps populos translatus et hinc variatus sit. Conf. Theocr. Id. III. 51. Diod. Sic. V. 49. Dicitur Pluti mater Ceres in Scolio apud Athen. XV. p. 694. C. — Ad fruges variis modis transvectas acquisitasque hinc divitias pertinere videtur, quod v. 972 seq. dicitur Plutus vadere per omnem terram et lata maris spatia. Sed cum Pluti, ut Dei, personam sibi informasset poëta, subiicit v. 973 seq. *τῷ δὲ τύχοντι* (L. Barlaeus *τῷ ἀπαντήσαντι*, I. H. Vossius *dem begegnenden*) *καὶ οὔ κ' ἐς χεῖρας ἵκηται, Τὸν δ' ἀφνειὸν ἔθηκε πολύν τε οἱ ὤπασιν ὄλβον.* Cum illo, quod de erratica Dei natura poëta habet v. 972., convenit alatum Pluti simulacrum apud Rhodios, de quo vide Philostratum Imagg. II. 27. Alas Pluto tribuit etiam Euripides in Meleagro apud Stobaeum 74. et in Ino apud eundem 105. Ad notionem autem, v. 973. expressam, respexerunt, qui in templo Fortunae Thebis simulacrum eius fecerunt, Plutum puerum manibus gestantis. Apud Athenienses Pax erat, similiter Plutum ferens, teste Pausania IX. 16. Memorat idem IX. 26. Minervae *ἐργανῇ* apud Thespienses adstantem Plutum.

vv. 969—971 respiciunt Eustath. ad Od. p. 1528. 7 seqq. Eudocia p. 233. Esse *κατὰ Ἡσίοδου* Iasionis ac Cereris filium Plutum scribit etiam Schol. Pal. Q. ad Od. E. 125. Priorem partem versûs 969, ut Hesiodei, citat Etym. M. p. 677. 16.

vv. 973 seq. Goettlingius in pr. Ed. recentius additos sibi

videri dixit. In altera tantum notat, negligenter additum πᾶσαν post interiecta vocabula καὶ εὐρέα νῶτα θαλάσσης et anacoluthiam, quae sequitur, τῷ δε τύχοντι — τόνδ' ἀφνειὸν ἔθηκε πολύν τε οἱ ὤπασεν ὄλβον. Scilicet Hesiodo vindicare hos versus viderat in Censura Hermannum, cui tantum πᾶσιν reponendum visum pro πᾶσαν· id enim et anacoluthon, ex hoc πᾶσιν ortum habens, et loci sensum arguere hunc: *omnibus hominibus; at illi, qui consecutus fuerit, hunc beatum reddit.* Mihi autem convenit cum Goettlingio, dici non posse Plutum ire *omnibus hominibus.* Notavit Wolfius ad h. l., posse cuiquam corrigendum videri πάντῃ seu πάσῃς. *Attamen*, inquit, *non sine exemplo sunt huiusmodi traiectiones verborum in vetustioribus poëtis. Cf. v. c. Il. X.* 67, 69. (Th. 157 seq. 240 seq. 383 seq. Ἔργ. 405 seq.). *Ad eorundem morem pertinet quoque anacoluthon, quod in dativo τῷ τύχοντι hic animadvertitur.* Puto equidem in τῷ τύχοντι iam obversatum poëtae, quod sequitur, πόλυν ὤπασεν ὄλβον, factum autem currente sermone et interiectis mediis quibusdam, ut anacoluthon existeret. — τόνδ' ut vulgo Edd. (sic enim illae, non, ut in Varr. Lectt. vitiose scriptum, τὸν δὲ) retinuit etiam in alt. Ed. Goettlingius.

vv. 974—978. Ex Harmonia et Cadmo Ino, Semele, Agave, Autonoë Aristaei uxor, Polydorus. Hesiodum, ut in hoc Dearum (v. 965.) recensu locum hîc Harmoniae, infra (v. 992.) Medeae tribueret, movisse praecipue hoc videtur, quod erat utrique genus divinius: Harmoniae quidem e maioribus Diis, Marte et Venere; nam vix est, ut eam ceterum pari loco habuerit, atque ἀθανάτας, quales erant Ceres, Venus, Aurora, Circe, Nereïdes, quamvis fortasse ignoraverit, aut non admiserit aliorum de illa in serpentem mutata, aut mortuae apud Illyrios sepulcro traditiones. Vid. Heyn. ad Apollod. III. V. 4. Vt autem poë-

tae non indigna loco, quem hîc ei tribuit, videretur, valuisse etiam hoc potest, quod honores ei tributos sciebat Thebis, ut Divae, qua de re constat tum ex Plutarcho in Pelop. c. 19., qui Thebanos eam urbi suae tutelarem Deam consecrasse refert, tum ex Scholiasta Pindari ad Pyth. III. 153., ubi, cum Cadmum omnium maxime Graecorum et ab hominibus et a Diis honoratum dixisset, *διόπερ*, inquit, *καὶ αὐτὸς ἀπεθέωθη μετὰ τῆς γυναικὸς Ἁρμονίης καὶ ἀπελθὼν ἐπὶ δρακόντων ἅρματος κατῳκήσεν ἐν Ἠλυσίῳ πεδίῳ, ὡς οἱ ποίηται καὶ οἱ μυθογράφοι παραδεδώκασιν ἡμῖν.* Devectos a Marte Cadmum et Harmoniam *μακάρων ἐς αἶαν*, Euripides auctor est in Bacchis v. 1283. Ed. Matth. — In referendis Cadmi et Harmoniae liberis secuti recentiores sunt Hesiodum. Vid. Apollod. I. III. IV. 2. extr. Diod. Sic. IV. 2. E filiarum Cadmi maritis unum poëta hîc Aristaeum memorat, insignioris utique famae. Vid. Pindar. P. IX. 104. Apollon. Rhod. II. 506. Diod. Sic. IV. 81 seq. Virgil. I. Georg. 14. IV. 317 seqq. Nonn. Dionys. V. 229 seqq. Memoraverat eum Hesiodus etiam alio loco, teste Servio ad Georg. l. c. Hîc (v. 977.) Pulcritudo eius a parte commendatur, unde praecipuum maribus etiam Diis decus. Sic Bacchus *χρυσοκόμης* dictus supra v. 947. Polydorus (v. 978.), Cadmi in regno successor, nomen nactus fertur a donis, quae Dii in Cadmi et Harmoniae nuptias contulerant. Vid. Schol. ad h. l. collatis Pindaro P. III. 165. Diod. Sic. V. 49. Nonno Dionys. V. 125 seqq. — Dicitur *εὐστέφανος Θήβη* etiam apud Hom. Il. T. 99.

vv. 979—983. Ex Callirhoë Oceanina et Chrysaore Geryoneus, quem occîdit Hercules. Sed haud temere Clericus iam et Wolfius iniecta haec ab aliena manu censuerunt, cum et res iam supra fuerit narrata v. 287 seqq., et Chrysaor haudquaquam accenseri possit *θνητοῖς ἀνθρώποις*, de

quibus acturum se poëta dixit v. 967. Attamen colorem in his non multum ab Hesiodeo diversum agnosco equidem cum Muetzellio p. 38., quem vide etiam p. 104.

v. 980. Dubitabat Wolfius, an Graece dictum esset ἐν *φιλότητι* Ἀ*φροδίτης*. Sed recte observavit Muetzellius p. 43 seq., eundem esse versum in fragmento Hesiodi apud Schol. Pindari P. IV. 35.

v. 981. Ad *βροτῶν* offendit Goettlingius. Attamen occisus ab Hercule Geryoneus aliquo iure *βροτοῖς* accenseri potuit.

Versu 983 synizesin in *βοῶν* tuetur Spitznerus de Versu Heroïco p. 187. exemplo similium apud Hesiodum Ἔ*ργ*. 492. 607. Th. 28. 283. Conf. Muetzell. p. 38. Malim etiam ego synizesin hîc admittere, quam cum Goettlingio statuere, esse genitivum hîc pluralem *βῶν* a singulari *βοῦ*, quo usum Sophoclem in Inacho testatur Antiatt. apud Bekker. Anecd. T. I. p. 84.

v. 984 seq. Ex Aurora et Tithono Memnon et Emathion. Auroram Tithoni coniugem novit etiam Homerus Il. Λ. 1. Od. E. 1. H. in Ven. 219 seqq. Memnonis idem meminit Od. Λ. 521. ut heroum, qui ad Troiam venerant, pulcherrimi. *Χαλκοκορυστὴν* eum dicit Hesiodus, item bellum respiciens Troianum, in quo Memnon, ductis ad Troiam Aethiopum auxiliis, Nestoris filium Antilochum occîdit, ipse autem occisus est ab Achille, quod inter praecipua Achillis facinora aliquoties praedicat Pindarus. Vid. Pyth. VI. 41. Nem. VI. 83 seqq. Isthm. V. 51. VIII. 16., idem Aurorae filium Memnonem testatus Ol. II. 148. et Priamidis cognatum Nem. III. 111. Cum Memnon Aurorae filius

dicatur, Aethiopes Orientis populi intelligendi, ita ut propius ad veri similitudinem accesserint, qui Cissios seu Susianos, vel Assyrios, quam qui Aegyptios interpretati sunt. Conf. Heyn. ad Apollod. III. XII. 4. et ad Aen. I. 751. in Exc. Orienti quoque vindicandus alter Aurorae filius Emathion, cui nomen adeo ab hac origine factum. Namque est ab ἦμαρ, ατος, Ἠμαθίων, cum sit eadem Ἡμέρα atque Ἠὼς. Eum Apollod. II. V. 11. § 10. 11. caesum in Arabia tradit ab Hercule, illuc post lustratam Asiam veniente, quod item probabilius aliorum traditione, caesum ferente in Aethiopia ad Nilum Emathionem. Vid. Diod. Sic. IV. 27. Schol. ad Pindar. Ol. II. 148. Certe autem non, quod vult Schol. ad h. l., ab hoc Emathione dicta Emathia.

Locum hunc respiciens, Etym. M. p. 425. 50. Ἠμαθίων υἱὸς Ἠοῦς καθ' Ἡσίοδον.

vv. 986—991. Ex Aurora et Cephalo Phaëthon, quem virum iuvenem Venus rapuit, inque templorum adyta receptum δαίμονα δῖον, Deum inferioris ordinis, fecit. Cephali non meminit Homerus, quamvis Procrin memorans Od. Λ. 320. Sed adamatum ac raptum ab Aurora Cephalum celebrant etiam Apollod. I. IX. 4. Ovid. VII. M. 701 seqq. Her. Epp. IV. 93 seqq. XV. 87 seq. Hygin. f. 189. Anton. Lib. I. 41. (ubi, quemadmodum apud Pausan. I. III. 1., dicitur Ἡμέρα, quae hîc Ἠώς) facilemque hic mythus explicationem habet, cum passim a laudatis auctoribus venator Cephalus dicatur. Tributum autem hîc et alibi Cephali et Aurorae filio nomen, Φαέθων, fuit inter appellationes Solis. Vid. Hom. Il. Λ. 734. Od. E. 479. Λ. 16. T. 441. X. 388. dicique mythico sermone potuit, ut e Nocte Dies (supra v. 124.), ita ex Aurora Sol natus. Sic autem, cum e variis unius Dei appellationibus paullatim

diversae exstiterint personae, ut Hyperionem diversum vidimus factum a Sole (supra v. 371. 374.), non est, quod miremur, diversum etiam habitum esse a Sole Phaëthontem, quo nomine memoratur item celeberrimus Solis ex Clymena filius etiam in Hesiodi fragmento apud Schol. Ambros. ad Od. Λ. 325. At vero, cum alius mythus natum ex Aurora Phaëthontem ferret, alius amatum raptumque ab Aurora Cephalum, potuit sic Hesiodus, sive primus, seu post alios, Phaëthontem Aurorae filium ex Cephalo facere. Phaëthontem equum cum altero Lampo Aurorae currui iungit Homerus Od. Ψ. 245 seqq. Apud Eratosthenem autem c. 43. Phaëthon dictus fertur unus de planetis, ut apud Hygin. P. A. II. 42. Cephali et Aurorae filius idem est Hesperus. At Hesiodus quidem vv. 988—991. talem sibi Phaëthontem non informavit, sed formosum iuvenem a Venere raptum, ipsique templorum factum *σύνναον*. Contulit iam Heynius ad Apollod. III. XIV. 3. locos Homeri Il. B. 547. Pindari Pyth. II. 31., in quibus simile quid de Erechtheo et Cinyra refertur. Conf. et de Virbio Virgil. Aen. VII. 733 seqq. Traditae autem hîc de Phaëthonte fabulae Cypriam originem indicare mihi videntur Apollod. d. l. Phileas apud Etym. M. v. Ἀῶος et Schol. ad h. l., quamvis Plinio XXXVI. 4. § 7. dicantur etiam Samothracum religione iuncti fuisse Venus, Phaëthon, Pothos.

Scripsit Pausanias I. III. 1. *Κέφαλον, ὃν κάλλιστον γενόμενόν φασιν ὑπὸ Ἡμέρας ἁρπασθῆναι καὶ οἱ παῖδα γενέσθαι Φαέθοντα, καὶ φύλακα ἐποίησε τοῦ ναοῦ. Ταῦτα ἄλλοι τε καὶ Ἡσίοδος εἴρηκεν ἐν ἔπεσιν τοῖς εἰς τὰς γυναῖκας.* Itaque illis aliis debetur mentio *Ἡμέρας* pro *Ἠοῦς* et pulcritudinis laus Cephalo tributa; fortasse etiam, quod *φύλακα τοῦ ναοῦ* sibi fecisse dicitur *Ἡμέρα* Cephalum, non Venus Phaëthontem, nisi dixeris, vel librarios ibi turbasse,

vel negligentius usum Pausaniam Hesiodi testimonio, cum non esset ab eius lectione recens, unde errare etiam potuerit in citatione Carminis. Certe ad hunc locum potius, ubi nati e Deabus et Viris mortalibus memorantur, quam ad Carmen de Mulieribus, pertinuisse haec de nato ex Aurora et Cephalo Phaëthonte censenda sunt. Conf. Muetzell. p. 506 seq.

vv. 992—1002. E Medea, Aeetae filia, Solis nepti (v. 958 seqq.), et Iasone Medeus, quem Chiron educavit. Huius occasione genealogiae memoratur obiter magni, sed importuni regis, Peliae, superbia, iussuque eius suscepta Argonautarum expeditio, qua factum, ut Medea in Graeciam abduceretur. Vberius actum de expeditione illa fuisse in Catalogis, complura arguunt servata inde fragmenta. Apud Homerum Medeae, quod mireris, mentio nulla exstat, quamvis invitante *νεκυΐας* argumento, nisi ille quoque immortalem Medeam credidit cum Hesiodo (Conf. supra v. 965 seqq.), ut crediderunt etiam Pindarus P. IV. 18., Alcman, teste Scholiasta ad eum Pindari locum et Musaeus, teste Scholiasta ad Euripidis Medeam v. 9. Navis quidem Argûs et Iasonis meminit Homerus Od. M. 69.; huius etiam Il. H. 469 seq.; Peliae quoque, sed sine contumelia, Od. Λ. 253. 255 seq. Quod hîc v. 993. Deorum consilio abducta Medea, quodque ex eius cum Iasone nuptiis nato filio Medeo perfecta Iovis voluntas dicitur v. 1002., nescio, an indicet, tum ignota Hesiodo fuisse, quae super Iasonis in Medeam perfidia posteri prodiderunt, tum ab ipso clarum inprimis habitum esse illum Iasonis et Medeae filium Medeum, de quo tamen ceteri auctores tacent, tametsi multi Medum Medeae filium agnoscunt, sed ex Aegeo, post Iasonis perfidiam, ab illa susceptum, qui cum matre deinde Colchos et Asiam repetiverit, ibique domitam ab se gen-

tem Medos vocaverit. Vid. Apollod. I. IX. 28. extr. Diod. Sic. IV. 55 seqq. Hygin. f. 27. ibique VV. DD. Iustinus XLII. 2., ubi est duntaxat forma nominis, Hesiodeam referens, *Medius*. Illa autem de Medo fabula nata demum mihi videtur, quo tempore Graecis magis innotescere iam Medi coeperant, quod aetate Hesiodi multo est recentius. Itaque ille Medeum aliam ab causam clarum habuit, fortasse ob multarum in illo artium peritiam, quo duxerit eum tum matris exemplum, tum magistri institutio Chironis. Conf. Il. Δ. 219. Od. Λ. 831. Orpheus Argon. 383 seqq. Chiron Philyrides (v. 1001 seq.), Philyrae (Oceaninae) et Croni filius dicitur etiam Pindaro Pyth. III. 1. IX. 50. et Apollonio Rh. I. 554., quem vide etiam II. 1231 seqq. Habitasse eum in monte Pelio disertius traditur in fragm. Hesiodi apud Schol. Pindari ad Nem. III. 92. Conf. Homerus Il. Π. 143 seq. Eurip. Iph. in A. v. 695. Ed. Matth. Institutos a Chirone heroës recensens, Xenophon de Ven. pr. Medei non meminit, sed neque Iasonis, de quo tamen ex aliorum testimoniis constat.

Medeam ab Hesiodo immortalem habitam huius, ut videtur, loci cum versibus supra 965 seqq. collati argumento refert Scholiastes Pindari ad Pyth. IV. 18., consentiente Athenagora Legat. p. 14., ubi S. Petiti, Varr. Lectt. III. c. 3. pro Ἡσίοδος legentis Καδούσιος, emendatione nihil indigemus.

vv. 1003—1007. Nereïdum proles. Ex Psamathe (supra v. 260.) et Aeaco Phocus; ex Thetide (supra v. 244.) et Peleo (Aeaci f.) Achilles. Itaque Aeginetarum maxime et Aeacidarum mythis celebrata fuere Nereïdum cum heroibus connubia, quibus originem dedisse mythis potest susceptus Aeaco ex puella mari advecta filius, Pelei cum Argonautis navigatio, Achillis varia per mare itinera, venientis dein-

ceps Scyrum, Lesbum, Troiam. Certe, cum simili de causa Theseus, Aegeo patre natus, mythico sermone dictus sit Neptuni filius, potuit etiam Achilles, quamvis Polymela, Actoris Myrmidonum regis filia (Vid. Eustath. ad Il. p. 321. 4.), aliave matre natus, Thetidis Nereïdis filius perhiberi, cupide arripientibus mythum hunc poëtis. Pindarus Nem. V. 12. Ἐκ δὲ Κρόνου καὶ Ζηνὸς ἥρωας αἰχματὰς Φυτευθέντας Καὶ ἀπὸ χρυσέων Νηρηΐδων Αἰακίδας ἐγέραρεν. Memoratur ibidem v. 22 seqq. βία Φώκου κρέοντος Ὃ τᾶς θεοῦ, ὃν Ψαμάθεια Τίκτ' ἐπὶ ῥηγμῖνι πόντου. Congressum cum Nereïde invita formamque ideo mutante Aeacum Apollodorus tradit III. XII. 6. § 12., dissentiente Arnobio IV. p. 145. Dictus Phocus hinc *iuvenis Nereïus* Ovidio VII. M. 685. Interfecerunt eum Peleus et Telamon Aeacidae ex Eucleïde, Chironis filia. Vid. Ovid. XI. M. 380 seq. 397 seqq. Pausan. II. 29. Anton. Lib. f. 38. Phoci rerumque eius nulla fit apud Homerum mentio, Pelei, Thetidis et Achillis frequentissima. Vide e multis locis Il. Ω. 59 seqq., ubi Iuno datam ab se Peleo coniugem Thetin dicit, omnibus Diis illas nuptias celebrantibus. Harum autem nuptiarum uberior etiam mentio facta fuerat ab Hesiodo in Catalogis, non sine uberiore etiam Pelei rerum et generis mentione. Conf. Accius apud Gellium III. 11. Tzetz. ad Lycophr. in Prolegom. et ad v. 178. Achillem ῥηξήνορα, θυμολέοντα dixit etiam Hom. Il. H. 228.

vv. 1008—1010. E Venere et Anchisa natus in Idae montis vertice Aeneas. Consentit Homerus Il. B. 819 seqq., tradens insuper Il. E. 313., filium hunc Anchisae βουκολέοντι peperisse Venerem. Congressa etiam in monte Ida Venus cum Anchisa in huius stabulo traditur H. in Ven. 75 seqq. Dedisse autem videtur Aeneae pulcritudo ortum mytho, tot deinde fabularum fonti. Memorat Apollodorus

III. XII. 2. extr. alterum Veneris et Anchisae filium *Λύρον*, sive, ut Heynius ibi legendum coniicit, *Λύρνον*.

vv. 1011—1015. Ex Circe Solis filia (supra v. 956 seq.) et Vlysse Agrius et Latinus, Tyrrhenorum reges. Ignoravit hos Homerus, quamvis multus in praedicando Circes in Vlyssem amore. Alii fere Telegonum Circes et Vlyssis filium celebrarunt, sive solum, seu cum aliis, in quorum nominibus variant. Vid. VV. DD. ad Hygin. f. 125. Sed et Hesiodi Codd. h. l. quidam post Agrium et Latinum versu memoratum exhibent Telegonum, qua de re vid. Varr. Lectt.

Latini regis (v. 1013.) et Tyrrhenorum (v. 1015.) mentione declaratur, hos Italiae ad mare Inferum populos iam Hesiodi aetate aliquatenus Graecis innotuisse. Agrii, qui Rex ibi fuerit, nomen, alibi non exstans, referendum videtur ad feros horum populorum mores, ut fuisse videtur similem ob causam dictus etiam Agrius Centaurorum unus et item unus de Gigantibus, nisi forte quis suspicetur, Agrium hîc dici regem, qui apud Ovidium et alios in Latinorum regum recensu *Acrota* vel *Agrippa* dicitur. *Τυρσηνοὶ* praedones memorantur Hom. H. in Bacch. 8., sed hi quidem dubium, an Itali. Vid. Heyn. ad Apollod. III. III. 3. Hîc de Tyrrhenis cogitandum esse Italis, manifesto satis ex adiectis liquet. Tyrrheniam autem dictam antiquitus omnem Occidenti obversam Italiam, auctor est Dionys. Halic. I. p. 20. Erat illuc e Graecia navigantibus iter praeter Siciliam aliasque insulas. Itaque non inepte dicuntur (v. 1014 seq.) Tyrrheni habitare *μυχῷ νησῶν ἱεράων*. Nec fortasse satis tum sciebant, essetne ipsa Italia insula necne. *Νῆσοι ἱεραὶ* variis de causis dici potuerunt, vel ob Deorum ibi domicilia aut pascua (ut fuisse feruntur Solis in Sicilia), vel simpliciter, quod essent magnae. Conf. Il. B. 626.

Versus 1011—1013, ut Hesiodi, citat Schol. Apollon. Rh. ad III. 120., ubi item est, ut in Codd. SS. omnibus, *Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον*, pro quo Goettlingius h. l. restitutum voluit *Γραῖκόν τ' ἠδὲ Λατῖνον*, ob haec Laurentii Lydi de Mens. I. 4. p. 7. *τοσοῦτον οὖν ἐπιξενωθέντων τῆς Ἰταλίας, ὥσπερ ἐδείχθη, Λατίνους μὲν τοὺς ἐπιχωριάζοντας, Γραικοὺς δὲ τοὺς ἑλληνίζοντας ἐκάλουν ἀπὸ Λατίνου τοῦ ἄρτι ἡμῖν ῥηθέντος καὶ Γραικοῦ τῶν ἀδελφῶν, ὡς φησιν Ἡσίοδος· Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον*: quibus verbis adiectum fuerit in margine *ἐν καταλόγοις· Κούρη δ' ἐν μεγάροισιν ἀγαυοῦ Δευκαλίωνος Πανδώρη Διῒ πατρὶ θεῶν σημάντορι πάντων, Μιχθεῖσ' ἐν φιλότητι, τέκε Γραῖκον μενεχάρμην.* Equidem puto memoria lapsum Lydum, qui Latinum et Graecum fratres secundum Hesiodum habuerit, versus autem tam 1013 in., quam illos de Pandora, addidisse alium, qui, lectis illis Lydi, inquisiverat in Hesiodea de Latino et Graeco testimonia; tum certum duntaxat habeo, ista Lydi nihil movere nos debere, ut *Ἄγριον*, quem et Eustathius agnoscit, locum cedere hîc iubeamus *Γραικῷ*.

Solem *Ὑπεριονίδην* ab Hesiodo dictum refert, versum hîc 1011 respiciens, Etym. M. p. 779 pr.

Ad v. 1013 in Parisini B. margine scriptum *οὕτως λέγει ὁ Σέρβιος ἐν ᾱ Αἰνέαδος* (sic). Respicit Servii locum ad Aen. VII. 47., ubi ille Circes et Vlyssis filium dicebat ab Hesiodo Latinum, quod repetens ad Aen. XII. 164. traditum illud ait ab Hesiodo in *ἀσπιδοποιΐᾳ*. Corruptum esse libri indicium apparet; quid restituendum sit, non item.

Versum 1015 respexisse videri potest Schol. Apollon. Rh. ad III. 311 seqq. scribens: *τὴν δὲ Κίρκην ὁ Ἀπολλώνιος ἐν τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει ᾠκῆσαι φησὶν, ἑπόμενος τοῖς τεθεμένοις, τὴν Ὀδυσσέως πλάνην ἐν ἐκείνῳ γεγονέναι πε-*

λάγει, ὧν ἀρχηγὸς ἦν Ἡσίοδος. Tyrrhenorum meminisse Hesiodum tradit etiam Eratosthenes apud Strabonem I. p. 23.

vv. 1016 seq. Ex Calypsone Oceanina (supra v. 359.) et Vlysse Nausithous et Nausinous. Liquet nomina pertinere ad proprium Tyrrheni maris accolis studium rei navalis. Namque, ut Circes, ita Calypsûs insulam in eo mari fuisse, multa credere nos iubent. Vide Apollodori fragm. Ed. Heyn. p. 421. Plinius III. c. 10. § 15. Prolem Homerus ex Vlysse et Calypsone nullam memorat. Apud Hyginum f. 125. memoratur Vlyssis et Circes filius *Nausiphous*, corrupto nomine, quod Micyllus correxit *Nausithous*.

Versus 1013, 1017 seq. respiciens Eustathius ad Od. Π. 1796. 45. ἐκ Κίρκης υἱοὶ καθ' Ἡσίοδον Ὀδυσσεῖ Ἄγριος καὶ Λατῖνος· ἐκ δὲ Καλυψοῦς Ναυσίθοος καὶ Ναυσίνοος.

vv. 1018—1021. Absoluto carmine de natis e Dearum cum viris mortalibus congressu heroibus, transit poëta ad memorandum γυναικῶν φῦλον s. ad καταλόγους γυναικῶν, in quibus equidem primum locum tributum fuisse puto Pandorae, non quia movet me, quod Iriarte Catal. Matrit. p. 26. in Codice octavo, continente Theogoniam, Lascaris manu scriptam, post v. 1021. adiungi tradit quatuor versus hexametros (supra in Lydi loco memoratos), quorum primum adponit hunc: κούρη δ' ἐν μεγάροισιν ἀγαυοῦ Δευκαλίωνος (nam neque Catalogus initium ducere potuit a κούρη δ' et est, ut cum Muetzellio p. 509. confictos recentius hos versus habeamus), sed quod ex Prometheo et Pandora genitum Deucalionem ab Hesiodo tradi ἐν πρώτῳ καταλόγων diserte dicit Schol. Apollonii Rh. ad III. 1086., quodque

rei naturae congruum erat, ut *φύλου γυναικῶν* mentionis initium fieret ab illa, *ἐξ ἧς γένος ἐστὶ γυναικῶν θηλυτεράων* (supra v. 590.). Prolatis apud Lydum versibus, si vel maxime Hesiodei censeantur, locus demum esse potuit post Deucalionem memoratum, cuius tum fortasse filia habenda mater illa *Γραικοῦ*, Pandora.

vv. 1020 seq. Goettlingius apparere dicit a poëta aliquo additos esse, qui transitum pararet ad Catalogum heroinarum. Id quomodo appareat, non video. Nam quidni poëta ipse sic transitum paraverit?

CORRIGENDA.

p.	2.	Varr. LL.	col. 2.	versu 6 a fine	pro	Ὀλμειὸς	lege Ὄλμειος.
"	—	"	"	versu 3 a fine	"	*postremum*	" *postremam.*
"	4.	"	col. 2.	ad versum 19	"	*Par.* M.	" *Par.* H.
"	12.	"	col. 1.	ad v. 93	"	*lectio,* Μουσέων	" *lectio* Μουσέων.
"	16.	"	col. 1.	media	"	*Stobaeus Edd.*	" *Stobaeus Ecl.*
"	—	"	"	versu 8 a fine	"	*Il.* Σ.	" *Il.* Ξ.
"	29.	"	col. 1.	ad v. 190	"	πολὺν C. D. E. F.	" πολὺν Flor. C. D. E. F.
"	31.	"	col. 2.	versu 8 a fine	"	*bene esse*	" *hinc esse.*
"	39.	"	col. 1.	versu 2 a fine	"	*in eum locum*	" *in eius locum.*
"	51.	"	col. 2.	ad v. 360	"	*Franckius. ad Call.*	" *Franckius ad Call.*
"	52.	"	col. 2.	versu 5 ab in.	"	*Est* λαμπρῆς	" *Est* λαμπρᾶς.
"	120.	"	col. 1.	versu 4 ab in.	"	τὸν δ' ἀφνειὸν	" τόνδ' ἀφνειὸν.
"	144.	Commentarii		versu 10 ab in.	"	ψυμιζούσας	" ψαμιζούσας.
"	157.	"		versu 8	"	λειριόεσσαν.	" λειριόεσσαν
"	203.	"		versu 22	"	p. 504 *seq.*	" *apud Löbeck. Aglaoph.* p. 504 *seq.*
"	208.	"		versu 9	"	*hîc status*	" *hic status.*
"	280.	"		versu 6	"	*eriperet*	" *eriperent.*
"	372.	"		versu 9 a fine	"	ποιητὴν	" ποιητὴν,
"	375.	"		versu 14	"	*Iovi proles*	" *Iovi, Düs accensenda, proles*
"	384.	"		versu 5 a fine	"	κατὰ Ἡσίοδου	" κατὰ Ἡσίοδον.

Adpellare, adponere pro *appellare, apponere* et huiusmodi alia perperam saepius in contextum irrepserunt.

Digitized by Google

Sumptibus JOANNIS MÜLLER prodierunt:

Boot, J. C. G., Notice s. l. manuscrits trouvés à Herculanum. 1841. gr. 8°. *f* —.80

Cappelle, A. G. van, Commentatio de Regibus et Antiquitatibus Pergamenis. 1843. 8°. maj. . . . . » 2.20

Cobet, C. G., Observat. crit. in Platonis Comici reliq. 1840. 8°. maj. » 2.50

Fontes tres jur. civ. rom. antiq. Legum XII tabul., legis Juliae et Papiae Poppaeae et edicti perpet. fragm. 1840. 8°. maj. . . . . » 1.40

Greve, Fr. de, Oratio de Jona Du. Meijero, Jurisconsulto de patria deque jurisprud. et nomoth. praecl. merito. 1839. 8°. maj. . . . » —.75

Groot, A. D. Cornets de, Javaansche Spraakkunst, uitgegeven in naam en op verzoek van het Bataviasche Genootschap van Kunsten en Wetenschappen, door J. F. C. Gericke; tweede verbeterde en vermeerderde uitgaaf, gevolgd door een Leesboek tot oefening in de Javaansche taal, verzameld en uitgegeven door J. F. C. Gericke; op nieuw uitgegeven en voorzien van een nieuw Woordenboek, door T. Roorda. 1843. gr. 8°. . . . . » 7.80

Hengel, W. A. v., Comment. perpet. in epist. Pauli ad. Philipp. 1838. 8°. maj. . . . . » 3.90

Heusde, Ph. G. v., Characterismi princ. philos. vett., Socratis, Platonis, Aristotelis. Ad. crit. philosoph. rationem commend. 1839. 8°. maj. » 3.30

——— De school van Polybius of geschiedkunde voor de 19de eeuw. 1841. gr. 8°. . . . . » 3.20

Karsten, S., Oratio de antiq. liter. doctrina c. philosophia conjung. habita A. D. VII Maji, A°. 1840, quum in Acad. Rheno-Traject. liter. hum. et philos. theoret. profess. solenni ritu auspicar. 1840. 8°. maj. . . . . »— 50

Lelijveld, P. v., *περὶ ἀτιμίας*. De infamia jure Attico. 1835. 8°. maj. » 3.60

Lennep, D. J. v., Illustris Amstel. Athen. memorabilia, prodita deinceps orat. J. P. d'Orville in centes. Athen. natal. et D. J. v. Lennep in alt. Athen. saecul. Acced. Lennepii in utramq. orat. annot. 1832. 4°. maj. . . . . » 5.80

Muurling, G., Orat. de Wess. Gansfortii, Germ. theol., princip. atque virtut., etiamnunc proband. et sequend. 1840. 8°. maj. . . » —.60

Orientalia. Edidd. Th. G. J. Juijnboll, T. Roorda et H. E. Weijers. 1840. 8°. maj. Vol. I. . . . . » 7.80

Philosoph. Gr. vett., praesertim qui ante Platonem flornerunt oper. reliq. Rec. et illustr. S. Karsten. 1830—38. 8°. maj. Vol. I. p. 1, 2; II. . . . . »12.50

Singulis sub titulis:

Xenophanis Coloph. carm. reliq. De vita ejus et stud. dissert. fragm. explic. plac. illustr. S. Karsten. 1830. . *f* 2.40

Parmenidis Eleatae carm. reliq. etc. 1835. . . . . » 3.60

Empedoclis Agrigent. carm. reliq. etc. 1838. . . . » 6.50

Spiegel, L. P. J. van de, Résumé des Négociations, qui accompagnèrent la Révolution des Pays-Bas Autrichiens; avec les pièces justificatives. 1841. gr. 8°. . . . . » 4.70

Tex, C. A. den, Encyclopaedia jurisprudentiae. In us. Lect. Academ. 1839. 8° maj. . . . . » 5.75

Vriese, W. H. de, Hortus Spaarnbergensis. Enumer. stirp. quas, in villa Spaarnberg prope Harlemum alit A. v. d. Hoop. 1839. 8°. maj. . . . . » 2.90

Vrolik, W., Recherches d'anatomie comparée sur le Chimpansé. 1841. gr. Fol. . . . . »24.75

Wilde, A. de, Nederduitsch-Maleisch- en Soendasch woordenboek. Benevens twee stukken tot oefening in het Soendasch, uitgeg. door T. Roorda. 1841. gr. 8°. . . . . » 3.75

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Go

Digitized by Google

Digitized by Google